C. CORNELII TACITI

OPERA OMNIA

33149

EX EDITIONE OBERLINIANA

CUM NOTIS ET INTERPRETATIONE

IN USUM DELPHINI

VARIIS LECTIONIBUS

NOTIS VARIORUM

JUSTI LIPSII EXCURSIBUS

RECENSU CODICUM ET EDITIONUM

ET

INDICE LOCUPLETISSIMO

ACCURATE RECENSITA.

VOLUMEN OCTAVUM.

LONDINI:

CURANTE ET IMPRIMENTE A. J. VALPY, A. M.

1821.

C. CORNELII TACITI

OPERA OMNIA.

VOL. VIII.

Ordovices non audebant,[p] ipse ante agmen, quo ceteris par

rent, ipse ante aciem progressus, *quo reliquis esset eadem audentia in pari*

NOTÆ

integram legionem duxisse, sed de singulis idoneam et sufficientem manum, ut licet tot numeris hinc abductis, tamen per castra et præsidia eadem summa legionum licet vacuarum constaret; atque ipso nomine, relicta loca in fide retineret, neque ccasioni rebellionis terga patefacta, ut a Suetonio, Britanni cogitarent.

Quo consilio ad Rhenum et Vitellianos usos legimus, cum in Italiam proficiscerentur. *Gronovius.*

Vexillis] Debet attente distingui inter *vexilla* legionum, seu *vexillarios* talis legionis, et *veteranos*, qui sub vexillo etiam merebant. Hi veterani sub vexillo retinebantur, nec tamen ullius legionis erant, nec *vexillarii* proprie dicebantur, neque apud Tacitum reperias sic dictos esse; et male eos interpretes confundunt. In præsidiis, seu castellis, vel coloniis, retinebantur sub vexillo illi *veterani*, omnium fere munerum belli immunes, nisi propulsandi hostis a suis præsidiis, et in nullo corpore legionis censebantur, immo exauctorati et emeriti erant; at *vexillarii* legionum velut expediti seligebantur, mittebanturque ipsi in diversa loca, ad varia belli munia, et retinebant nomen suæ legionis, cujus et tum pars erant, et cui rursus restituebantur, peracta ea expeditione ad quam selecti et missi erant. Igitur cum ibi dicit, *legionum vexillis*, argumentum est, Agricolam nullam duxisse legionem integram, si proprie loquitur. Nam et tantum *modicam* etiam *auxiliorum manum* secum rapit. Nam Aquila legionum est, et verisimiliter, ut hyberno tempore, secum tantum rapuit *vexillarios* legionum, id est, electos et expeditos milites, ut propere Ordovicum rebellionem ulcisceretur, et quo statim famam et terrorem in ceteros rebelles spargeret. Distingue etiam inter *vexillum* simpliciter, et *vexillationem*. *Vexillum* dicitur, cum unicum est; *vexillatio* sunt plura vexilla simul adunata. Distingue etiam inter *vexilla*, seu *vexillationem* ævi Corneliani, et *vexillationes* inferioris ævi, de quibus Vegetius. Nam *vexillationes* illæ Vegetii, equitum fuerunt; at nostra hæc *vexilla* sunt legionariorum seu peditum: nam robur legionis in pedite; licet forte et ipsis vexillariis adderentur equites. *Veterani* seu *missi* etiam sub *vexillo* adhuc retinebantur merebantque: sed illud hoc *vexillum* veteranorum, vexillum fuit simpliciter, non vexillum alicujus legionis; et haud dubie forma ac specie distinctum fuit a vexillis legionum, ut et ipsi *veterani* muniis et officiis distincti a *vexillariis* legionariis erant.

[p] *In æquum degredi Ordovices non audebant*] Ordovices, Septentrionalis Wallia. *Savilius.*

Recte *degredi:* sed *erigere aciem* est, in arduum versus montem ducere, ut apud Livium lib. I. 'Inde ubi satis subisse sese ratus est, erigit totam aciem.'

Libro III. 'Hunc ducem secuti, nequicquam reclamantibus tribunis, in clivum Capitolinum erigunt aciem.' Sed et sæpius sic Tacitus. *Gronovius.*

In æquum] In planum, in apertum campum. Neque statim ordinabatur ipse miles Rom. in colle aut clivo, sed in æquo et justo loco; at mox dux *erexit aciem*, non ausis hostibus *in æquum* locum *degredi.*

Quia in æquum degredi Ordovices non

animus simili periculo esset, erexit aciem: cæsaque prope universa gente, non ignarus, instandum famæ, ac, prout prima cessissent, fore universa;[5] Monam insulam, cujus possessione[q] revocatum Paulinum rebellione totius Britanniæ, supra memoravi, redigere in potestatem animo intendit. Sed, ut in dubiis[6] consiliis,[r] naves deerant:[s] ratio

discrimine, agmen in acclivi jugo *instruxit: profligataque fere tota natione, haud inscius, impellendam* esse *famam, et, prout initia* belli *provenissent,* sic et mox *cessura omnia; statuit subjicere ditioni* Rom. *Monam insulam, a cujus possessione abstractum Paulinum defectione totius provinciæ supra tradidi. Sed, ut in ambiguis cœptis, non aderant naves: prudentia*

5 Horum loco habet Ms. Vatic. 3429. *ac, prout prima cessissent, terrorem ceteris fore.* Quod quidem elegantissimum est, sed forte e librarii ingenio. *Brotier.*—6 Emendat Gronovius, *in subitis.* Pichena, *sed quoniam, ut in dubiis.* Nihil mutandum. Subitarium fuit consilium Monam insulam in potestatem redigendi. Antea anceps dubiusque Agricola, an cœpta prospere succederent, Monamque peteret. *Brotier.*

NOTÆ

audebant] Bene *Ordovices:* quos transacta æstate et præter spem lacessitum iit intra ipsius gentis fines ac terras; et quia in æquum degredi non audebant illi, ascendit in loca iniqua ipse ante agmen incedens, et ibi *erigit aciem;* quod semper dicitur, cum in loco arduo instruitur prælium. Et sic, quia obviam it discrimini, quia suis præit exemplo, 'quo ceteris par animus simili periculo esset;' non quod milites imperium aut prælium eo loci detractarent, sed ut famam sibi initio pararet, et ut Ordovices, qui alam Rom. obtriverant, statim ulcisceretur, et quia mox cessuras res putabat, prout incepisset; scil. 'prout prima cessissent, fore universa.'

[q] *Cujus possessione*] Hoc est, a qua possidenda, vel occupanda.

[r] *Dubiis consiliis*] Sic Hist. v. 21. 'Ne tum quidem Romana classis pugnæ affuit, ut jussum erat. Sed obstitit formido, et remiges per alia militiæ munia dispersi. Sane Cerialis parum temporis ad exequenda imperia dabat; subitus consiliis, sed eventu clarus.' Consilia dubia sæpe subita; ut et subita hactenus dubia sunt, donec audeas: nam ex casu seu occasione suscipiuntur, et ex eventu sæpe prospera sunt; scil. per inscitiam hostium et exploratorum, et per audentiam ducum, subito ac præter spem oppugnantium.

[s] *Naves deerant*] Habebant Romani classem in illo mari, quæ et in Rheno per partes divisa: pars Bonnæ et Geldubæ, pars ad exitum fluvii fuit, ubi pharus olim, quem nunc arcem Britannicam vocant; et ea classis *Britannica* dicta, quia in Britanniam commeabat, et etiam Germanica, quia maxime inserviebat, tum adversus Germanos, cum advehendis copiis in castra prætenta Rheno adversus barbaros.

Naves deerant] Sic Alamus Hispanus: Deerant naves; at, ut in dubiis subitisque consiliis solet, industria et constantia ducis quæ deerant auxilia et adminicula belli supplevit.

et constantia Ducis transvexit. Depositis omnibus sarcinis, lectissimos auxiliarium, quibus[t] nota vada, et patrius nandi usus,[u] quo simul seque et arma et equos regunt, ita repente

ducis constantiaque militem *transtulit. Posita mole sarcinarum, expeditissimos sociorum, quibus comperta* sunt *æstuaria, et velut ingenita natandi peritia, qua se simul et arma et equos* per undas *transmittunt, tam subito invexit, ut attoniti hos-*

NOTÆ

[t] *Auxiliarium, quibus*] Manifestum est Germanos ac præsertim Batavos designari. Germanos fluminibus assuetos noster Hist. v. prædicat. *Virdungus.*

[u] *Patrius nandi usus, &c.*] Scythæ, qui nunc minores Tartari, hodie sic fluvios transmittunt: cum accessere ad ripam, composito fasce arundinum, longitudine trium pedum et densitate decem digitorum, super eo fasce disponunt aptantque sellam, acinacem, aliamque militiæ sarcinam; dein a tergo equi alligant fascem, qui innatat aquis: ipsi jubam et habenas altera manu regunt, et stimulis incitant, altera vero adnatant equis; sicque permeant turmæ totæ, quæ in fronte longitudinem habent unius milliaris et amplius. Attamen puto Germanos transmisisse expeditos in equis, quod exprimere videtur Tacitus his verbis, 'quo simul seque et arma et equos regunt;' ita ut, in equis vecti, sic se et arma et equos industrie regant: quod patet etiam hinc, quia *turmæ integræ* pervadunt, ut alibi ait Tacitus. At quomodo *integræ turmæ* equitum pervadent, si desiliant equis? si adnatent equis ipsis? si fluctuum et undarum arbitrio seorsim ab equis temere volvantur? dein cum tandem ad ripam oppositam, cum ad insulam istam invadendam erumpunt aquis, si madidi, si fessi, si exagitati undis et æstuariis, si separati ab equis adveniunt, qua vi littus a propugnatoribus defensum irrumpent? immo accedent quasi jam ultro exhausti, nandoque lassi ac profligati. Quod et innuere videtur sequentibus: 'ita repente immisit, ut obstupefacti hostes,' &c. At quomodo *repente immisit*, nisi in equis? quomodo aliter sustinerent hostes? Tartari de quibus supra, sic trajiciunt amnes, ut dixi, furtim, insciisque hostibus. Nam si præliandum esset in altera ripa, certe sic male comparati ad pugnam transmitterent, et ægre littus oppositum eniterentur: hoc faciunt, nemine obsistente, in altera ripa. Et quidni fecerint veteres Germani *patrio* suo *nandi usu*, quod Franci nostri proximis his annis ausi sunt felicibus auspiciis fortissimi et invictissimi regis Ludovici Magni? Certe in equis transmisere Rhenum turmæ integræ Francorum, illæso et immoto ordine, etiamsi hostes ad ripam dispositi starent, ac propugnarent: et hocce loco transnabant Germani in equis per æstuaria, quæ brevia, nec profunda aut infesta prorsus perrumpentibus erant. Forte aliis locis a Tacito citatis in simili audacia adnabant equis suis barbari, prout scil. locus et vadum fuit: et certe militabant fere *nudi* Germani, et *sagulo leves*, et satis expediti ultro ad talia videbantur, sagulo statim in equis composito, una cum armis: quod innuit ipse Tac. Hist. v. 14. 'Germanos fluminibus suetos, levitas armorum et proceritas corporum attollit:' quod certe spectat ad pedites. Sed si adnabant equis, tum desiliebant equestres, et tum perinde sagulo et armis leves erant. Prisci Batavi

immisit, ut obstupefacti[v] hostes, qui classem, qui naves, qui mare expectabant,[w] nihil arduum aut invictum crediderint sic ad bellum venientibus. Ita petita pace, ac dedita insula, clarus ac magnus haberi Agricola: quippe cui ingredienti provinciam, quod tempus alii per ostentationem, aut officiorum ambitum,[x] transigunt, labor et periculum placuisset. Nec Agricola, prosperitate rerum in vanitatem usus, expeditionem aut victoriam vocabat, victos[y] continuisse: ne laureatis quidem gesta prosecutus est:[z] sed ipsa dissimulatione[a]

tes, qui classem, qui rates, qui Oceanum opperiebantur, nihil difficile, aut insuperabile existimaverint, sic ad bellum prorumpentibus. Sic postulata pace, ac permissa insula, illustris atque ingens haberi cœpit *Agricola: ut qui provinciam intrans, curam et discrimen cupiisset, quod tempus alii* legati *per vanitatem, aut inanem honorum affectationem absumunt. Nec Agricola, res prosperas in ostentationem aut magniloquentiam flexit, nec bellum aut victoriam appellabat, victos cohibuisse: et ne laureatas quidem rei* prospere *gestæ* literas principi *composuit; sed silentio*

NOTÆ

solebant 'æquora Danubii cunctis tranare sub armis:' ergo armati, ergo et in equis expediti; forte aliter in æstuariis.

[v] *Obstupefacti*] 'Subita conterrent hostes; usitata vilescunt,' inquit Vegetius 3. ult. Marcius apud Livium l. XXV. 'Audeamus, quod credi non potest ausuros nos: eo ipso quod difficillimum videtur, facillimum erit.'

[w] *Qui mare expectabant*] Legunt, *Camaras;* sed nihil mutandum. *Mare expectare,* nihil hic est aliud, quam secundum maris æstum opperiri. *Boxhornius.*

Ludit immo Tacitus, ut solet, uno verbo duabus significationibus respondente nominibus diversis. 'Qui classem, qui naves expectabant;' id est, qui putabant nunquam fore, ut Romani possent eos aggredi sine classe, aut qualibuscumque navibus.

Qui mare expectabant: Qui scil. sibi persuaserant ipsum mare pro muro ipsis fore, atque accessu prohibiturum Romanos. *Gronovius.*

Mare] Classis hic, naves, et mare, unum et idem est: irruptionem hostium mari, seu navibus et classe expectabant, in quo decepti sunt.

[x] *Per ostentationem, aut officiorum ambitum*] Sic Plut. in Tito Flaminio: 'Cum comperisset Titus, eos qui se præcesserant duces, Sulpicium scil. et Publium, quod adulta æstate irrupissent in Macedoniam, et bellum serius intulissent, dilatos ac fatigatos esse; dum scil. difficultates locorum et itinerum eluctarentur, aut levibus adversus Philippum præliis, dum copias et annonam sibi comparant, divexarentur; non quemadmodum illi, qui cum domi annum totum absumsissent in honoribus et officiis, serius profecti erant ad exercitus: non, inquam, simili modo se gerere debere putavit, ita ut ipse sic in officiis et vanis honoribus tempus tereret; immo contra annum integrum provinciæ et magistratui acquirere et lucrari statuit.'

[y] *Victos*] Nempe ab aliis legatis.

[z] *Ne laureatis quidem gesta prosecutus est*] Sic scribit de L. Vitellio Hist. III. 'Ipse lauream prospere gestæ rei ad fratrem misit.'

famæ famam auxit, æstimantibus, quanta futuri spe tam magna tacuisset.

19. Ceterum animorum provinciæ prudens,[b] simulque doctus per aliena experimenta, parum profici armis, si injuriæ sequerentur, causas bellorum statuit excidere.[1] A se suisque orsus, primam[2] domum suam coërcuit; quod plerisque haud minus arduum est, quam provinciam regere. Agere[3] nihil per libertos[4] servosque publicæ rei:[c] non stu-

suo, ac premendo famam, decus auxit, judicantibus, quanto futuri voto tam magnifica reticuisset.

Ceterum gnarus ingeniorum provinciæ, et etiam aliorum experientia certus, parum prodesse arma et prælia, *si iniquitates et ludibria adderentur, materiam bellorum abolere penitus decrevit. Incipiens a se suisque, primo familiam suam continuit; quod multis non minus difficile est, quam provinciam administrare. Nullum negotium, quod ad Rempub. spectaret, gerebat per libertos aut servos: non privato*

1 Ita editiones veteres, Cl. Ernestus et recentiores. Lipsius *exscindere*.—2 Sic libri omnes, præter J. F. Gronovium et Ryckium qui edidere, *primum*.—3 Hic intelligi volunt *agere:* cujus ellipseos exempla requiro. Groslotius corrigebat *publice geri:* quod non placet: activum requiritur. *Agere* excidisse putes, quod mox præcedit *regere*. Ernest. Cum Bipont. lacunam explevi ex mente Rhenani. *Oberl.*—4 Male Ms. Vatic. 3429. *liberos*. Brotier.

NOTÆ

Subintelligendum hic, *literis*. Livius l. v. 'Literæ a Postumio laureatæ sequuntur, victoriam populi Romani esse.'

Libro XIV. in princ. 'Tabellarius, qui se ex Macedonia venire diceret, reddidisse laureatas literas dicitur.'

Mittebantur etiam nuntii cum *laureatis jaculis:* aut si mari, *laureata navis.*

Sic *laureati fasces* consulibus præcedebant, post victoriam, et in triumpho: laureatusque senatus, et populus, et exercitus in lætitia, et in excipiendis imperatoribus. *Pichena.* Lauream que ovantes seu triumphantes deponebant in Capitolio, scil. in sinu Jovis.

Ne laureatis quidem] Non licuit scribere jam olim senatui, nisi qui magistratus populi Rom. esset, neque forte mox principi. Livius l. XXVI. 'Cum de literis L. Martii referretur, res gestæ magnificæ senatui visæ, titulus honoris, quod imperio, non populi jussu, non ex auctoritate patrum dato, proprætor senatui scripserat, magnam partem hominum offendebat.' Hoc tamen licuit Agricolæ legato Cæsaris, et quidem consulari, si 'in sui famam exultare,' et ostentare victoriam publice voluisset; sed majora destinabat.

[a] *Ipsa dissimulatione*] Vide ingenium famæ: fugientes sequitur ipsa, sequentes fugit. Sic de Catone Sallustius: 'Quo minus gloriam petebat, eo magis assequebatur.' *Virdungus.*

[b] *Animorum provinciæ prudens*] Id est, noscens animos provincialium. *Rhenanus.*

[c] *Nihil per libertos servosque publicæ*

diis privatis,[d] nec ex commendatione,[e] aut precibus Centurionum milites accire,[5 f] sed optimum quemque fidelissimum

affectu aut ambitu, nec commendatione aut pro desideriis centurionum deligebat milites, sed egregium quemque et *fidelissimum existimabat: cuncta noscere, non*

—5 Mallet Danesius, *adsciscere.* Quod probat Ernestus: tentat quoque, *ad-*

NOTÆ

rei] Sic initio imperii Tiberius habuit *modesta servitia:* quod non tam debet intelligi de modico numero, quam de modestia servorum ac libertorum; et in eo diversus Tiberius a ministro Sejano. Nam pro magna fortuna habebatur, nosci vel et ipsius servulis. 'Libertis quoque ac janitoribus ejus notescere pro magnifico accipiebatur.' Tac. Ann. l. VI. et IV. 'Satis constabat auctam ei arrogantiam, fœdum illud in propatulo servitium [procerum] spectanti.' Contra Trajanus apud Plin. l. III. epist. 18. 'Est magnificum, quod te ab omni contagione vitiorum reprimis ac revocas, sed magnificentius, quod tuos.'

Nihil per libertos] Supple *gerere*, seu *regere*, quod habes supra.

[d] *Non studiis privatis*] Qua ratione scil. futurum erat, ut sæpe indigni ascirentur. Enimvero 'privatæ res semper offecere, officientve publicis,' ut ait Livius.

[e] *Nec ex commendatione*] Quomodo igitur? aut per se, aut ex fama cognitos. *Virdungus.*

Recte sic: nam, teste Varrone lib. III. de vita pop. Rom. apud Nonium: referentibus centurionibus, adoptati in cohortes subibant, ut semper plenæ essent legiones; a quo optiones in turmis decurionum, et in cohortibus centurionum appellati. *Gronovius.*

Nec ex commendatione] Sed ultro et ex suamet æstimatione dux ascire milites debet et ministros, non alieno nutu, et vago suam utilitatem sectantium hominum arbitrio circumferri, ac sæpe decipi. Martialis 8. 'Principis est virtus maxima nosse suos.' Sic Alexander apud Plut. Apoph. dicitur honorasse Craterum, amasse Ephestionem, dexteritatem Ptolemæi suspicionibus aspersisse, ab turbidis ingeniis Arrii et Pythonis sibi cavisse: et Augustus apud Tac. l. I. 'Lepidum dixit capacem imperii, sed aspernantem; Gallum Asinium avidum et minorem; L. Arruntium non indignum, et si casus daret, ausurum:' quia scil. noverat ingenia hæc hominum intrinsecus. 'Ad populum phaleras, ego te intus et in cute novi.'

[f] *Milites accire*] Tac. Hist. lib. III. 44. ubi de Britannicis legionibus: 'In quibus plerique centuriones ac milites a Vitellio provecti,' &c. Nec puto, legionibus ascribebantur obvii quique: fuerunt alia ministeria atque longa tyrocinia; fuit alia militia longe ignobilior, classiariorum nempe, et forte etiam auxiliarium; quamvis postea res aliter se habuerint, et cum in auxiliis præmia militiæ properarentur; ideo mox legiones spretæ, sed inferiori ævo. Tyrones diu in castris legionum versati inter leves et ferentarios, aut etiam vacui ac supervacui, priusquam ascirentur cohortibus, legionum.

Accire] Possit sumi non tantum de delectu militari, sed et de provectione ad ampliores ordines, ad optionatum v. g. et ad centurionatum: quod

putare: omnia scire, non omnia[g] exequi: parvis peccatis veniam, magnis severitatem commodare:[h] nec pœna semper, sed sæpius pœnitentia contentus esse: officiis[i] et ad-

omnia punire: modicis delictis gratiam, magnis pœnam attemperare: non supplicio semper, sed sæpe pœnitentia placari: muneribus negotiisque potius imponere sole-

scire, vel *accire*. Sic Brotierus: qui cum Ryckio scribit *adscire;* Gronovius

NOTÆ

fiebat ex commendatione tribunorum et ipsorum centurionum, qui bonas artes et industriam suorum laudabant in tali occasione.

[g] *Omnia scire, non omnia*] Hinc scitum illud Domitii Afri: 'Princeps, qui vult omnia scire, necesse habet multa ignoscere.'

Non omnia exequi] Notabis, *exequi* hic valere, *punire, ulcisci*. *Exequi* scil. pro persequi, seu vindicare legibus, et ex disciplina militari. Ita Sueton. Jul. 67. 'Delicta neque observabat omnia, neque pro modo exequebatur.'

Exequi] Scire omnia, non tamen advertere; ne scil. punire delicta et vindicare sæpe invitus cogeretur.

Non omnia exequi] Plin. epist. ad Geminium: 'Salubris indulgentia et ad obliterata jam delicta conniventia, quæ magnos in Repub. viros decet. Decet et in privato judicio et civili ac domestica hominum conversatione, multis erratis oculos claudere. Non imitari illos qui, omnium libidinum servi, sic aliorum vitiis irascuntur, quasi invideant et gravissime puniunt, quos maxime imitantur. Optimum et emendatissimum existimo, qui ceteris ita ignoscit, tanquam ipse quotidie peccet; ita a peccatis abstinet, tanquam nemini ignoscat.'

Non omnia exequi] Plutar. de Præceptis Reip. ger. 'Ad rem civilem magis congruit hæc præceptio, ut quæ levia sunt, iis omittendis, vulgo gratificere: in momenti alicujus rebus eidem te opponas, neque patiaris eos delinquere. Qui enim omnibus in rebus nimis est accuratus et vehemens, nihilque concedit aut dissimulat, is dum se ubique asperum et implacabilem gerit, multitudinem ad certamen contentionis mutuæ assuefacit. Itaque interdum debet, (ut est apud poëtam,) aliquantulum remittere clavum ob magnam fluctus vim, aliquando ipse veniam dare, ac ludendi socium se, captandæ gratiæ causa, præbere, ut in sacrificiis, certaminibus, et spectaculis: nonnunquam velut in familiis fit, in puerorum peccatis, simulet se non observare, quæ delinquuntur, ac surda aure prætermittat, ut facultas castigandi, et libera oratione increpandi, tanquam medicamentum, non usu jam debilitata et inefficax, sed viribus suis prædita sit, atque auctoritate in majoribus negotiis magis præcellat, atque mordeat multitudinem.'

[h] *Commodare*] Pro *accommodare*.

[i] *Officiis*] Sic Tacitus amans brevitatis, pro genio suo sæpe multa reticet, vel subintelligit ex præcedentibus aut sequentibus, vel saltem ex sensu narrationis indistincte, ut patet ex multis locis. Sic dicit Ann. I. II. 'Veruntamen hæc nobis majores;' supple, *tradidere*, quod supra habetur: et alibi, 'recuperare Armeniam;' supple, *parabat*. Sic 'de se Novius,' supple, *confessus;* 'conscios

ministrationibus potius non peccaturos[j] præponere,[6] quam damnare, cum peccassent. Frumenti et tributorum exactionem[7 k] æqualitate munerum[l] mollire, circumcisis, quæ,

bat *non delicturos, quam damnare cum deliquissent. Frumenti et vectigalium onus levare conferendi æqualitate, avulsis* sublatisque fraudibus, *quæ in lucrum*

ascire.—6 Ita Mss. Vatic. 3429. et 4498. Sic quoque Ursinus e vetere codice; unde constat Ursini fides, hactenus suspecta. Cum a libris omnibus editis absit verbum, *præponere,* alii supplebant, *retinere,* alii, *præficere;* Gronovius pro, *potius,* emendabat, *imponere.* Alii ἔλλειψιν esse volebant. *Brotier.* Gronovius cum Ryckio omisit *præponere.*—7 Sic melius forte quam vulg. *auctionem,* et sic volebant Muretus, Lipsius aliique multi. In Ms. Vatic. 3429. *auctionem;* et in margine, *exactionem.* Ms. Vatic. 4498. *exactionem;* et in margine, *auctionem.* In hac varietate nihil mutavi; maxime cum, teste Suetonio in Vespas. XVI. Vespasianus 'non contentus omissa sub Galba vectigalia revocasse: nova et gravia addidisse: auxisse tributa provinciis, nonnullis et duplicasse.' Hoc vult Tacitus, sustulisse Agricolam omnes fraudulentas rationes, quibus hoc agebant ii, qui tributa colligebant, ut provincialibus omnia essent onerosa, sibi utilia et quæstuosa, et ea tantum munera voluisse servari, quæ tributo convehendo erant necessaria, et sic æqualia, non plura, non majora postularent. *Brotier.* Gronovius et Ryckius *auctionem;* quod et in suo textu retinet Brotierus. Bipont. *exactionem.*—

NOTÆ

non edidit:' sic hocce libro, 'at Britanni non virtute, sed occasione et arte ducis rati;' supple, *se victos,* scil. *rati,* de quo mens et sensus anteverterat: et paulo ante; 'nihil per libertos servosque publicæ rei,' supple, *regere,* quod præcessit. Sic hoc loco: 'officiis et administrationibus potius non peccaturos, quam damnare, cum peccassent;' supple, *ascire* seu *commodare,* quod supra habetur.

[j] *Non peccaturos*] Homines spectatæ fidei et integritatis atque abstinentiæ, non cupidos, non avaros, non rapaces: aliter ac Vespasianus, de quo Sueton. capite 16. 'Creditur etiam procuratorum rapacissimum quemque ad ampliora officia ex industria solitus promovere, quo locupletiores mox condemnaret; quibus quidem vulgo pro spongiis dicebatur uti,' &c.

[k] *Frumenti ac tributorum exactionem*] Nota duo onera provinciarum. De frumenti triplici genere, decumano, emto, æstimato ex provinciis frumentariis extrahi solito, vide Sigonium l. I. de antiquo jure provinciarum c. 1. Tributum duplex fuit, unum, quod in agros, alterum, quod in ipsa corpora sive capita provincialium impositum. *Virdungus.*

Tributorum auctionem] Legam, *exactionem;* nisi tamen tributa aucta recenter intelligit; quod Vespasianus fecerat, ut in Suetonio legas. *Lipsius.*

Auctionem] Quæ forte et licitatio fuit.

[l] *Æqualitate munerum*] Intellige æqualitatem simul et æquitatem, quæ hic non multum differunt. *Æqualitas* tributarios respicit, qui scil. æqualitate onerum, seu dispensatione æquali tributorum pro cujusque facultatibus, maxime levantur; *æquitas* respicit dominantes, aut vel ipsos exactores, qui talibus oneribus super-

in quæstum reperta,[8] ipso tributo gravius tolerabantur: namque per ludibrium assidere[m] clausis horreis,[n] et emere ultro

adinventæ, ipso vectigali impatientius ferebantur: quippe per contumeliam assidere horreis cogebantur, obseratisque foribus, emere ultro ac vendere fruges imposito

8 Sic bene recentiores. Male in veteribus editionibus, *in quæstum reperta*

NOTÆ

addunt e suo ingenio *injurias*, et appendunt contumelias, quæ tributo ipso ægrius et iniquius feruntur a sociis.

[m] *Namque per ludibrium assidere*] Sensus est, Milites Romani cogebant in summa annonæ vilitate provinciales, emere frumenta, quæ mox ulterioribus venderent, clausis horreis publicis, veluti in summa caritate, quæ res ludibrio non carebat. In causa erat procuratorum avaritia. *Rhenanus.*

Sensus est, nisi fallor, Provinciales illis coactos frumentum dare, ubi non habebant; ideoque cum ex publicis horreis id emere necessum esset, ægre ac difficulter ad emendum admissos esse, nec nisi oblato ingenti pretio.

An potius hoc vult: clausa ipsorum provincialium horrea, ne de suo darent illud frumentum, sed cogerentur id emere ab harpyis illis? *Virdungus.*

[n] *Clausis horreis*] An publicis horreis, in quæ publicani frumenta Decumarum condiderant, et quanquam haberent fortasse domi frumenta, cogebantur ab istis emere? Talia sane horrea in provinciis, et de iis Tacitus in Ægypto: 'Germanicum apertis horreis, pretia frugum levasse,' inter popularia ejus facta.

An *ludibrium* hoc (ea voce utitur) spectat propria horrea? quæ claudebant publicani, neque aperiri volebant, nisi pacti arbitrio suo super Decumis essent.

Tale sane Cicero Verri objicit in libro tertio: atque edictum etiam vulgasse in aratores, 'Ne tollas ex area, nisi pactus eris.' Itaque pacisci pro libidine publicanorum debebant, qui ut idem ait, *dimidias partes* pro decumis auferebant.

Quid deinde? 'emere ultro cogebantur,' inquit. Cum videlicet tantum frumenti attributum jam publicanis esset, ii rursum vendebant aratoribus, jubebantque emere. Satis? immo amplius, etiam *vendere*. Quomodo? cum grandi pecunia suum vendidissent, redibant, et quasi in usum militum, eorumque annonas, emebant: sed vili pretio scilicet, et eo pretio quod præses aut potius procurator principis, ex ejus re, dixisset. Id quoque a Verrinis prædonibus factum: ubi omnes hæ fraudes relatæ et revelatæ ab illustri Oratore. *Lipsius.*

Id forte intelligi possit de horreis publicis, et etiam de privatis. Quippe procuratores pro suo libito, per ludibrium et per contumeliam injuriamque socios fortasse assidere cogebant horreis etiam privatis, quod tamen tolerabilius fuisset de horreis publicis, quia ibi congesta annona publica, in usum, scil. castrorum præcipue et exercituum: idque forte fieret leviori damno sociorum, si tum liceret ipsis ex aliis horreis sibi comparare frumentum. Et conjicere licet omnia horrea sic clausa esse; vel certe publicis horreis clausis assedisse tum socios, cum exhausta erant horrea privatorum, aut cum suis fraudibus et monopoliis, falsisque rumoribus de re frumentaria et annonæ caritate sparsis, aut certe fictis arrhis, quia scil.

frumenta,[o] ac vendere pretio[9] [p] cogebantur: devortia itine-

quæ. Frustra Pichena, *repertis.* Brotier.—9 Ms. Vatic. 3429. *ludere pretio.* Non emendandum, ut placet Gronovio, *vendere parvo.* Hæc frumenta pretio, a publicanis æstimato, vendebantur. Unde iis nomen, *frumentum æstimatum.* Idem.

NOTÆ

soli frumentum emerent certo tempore, et in horrea publica congererent, idque jus sibi unis arrogarent pro libito, contemtis rejectisque aliis mercatoribus, aut etiam emere, militaris necessitatis prætextu, prohibitis. Vel simili fraude et flagitio in publicum, cum scil. difficultatem tritici procurassent, famemque plebeculæ jam ostentarent, mortemque minitarentur; ita ut fruges, velut *ex hostico raptas,* mallent interim corrumpi, ipsasque in horreis putrefactas occultarent, et usque in vilitatem anni sequentis, enecta interim plebe, et crudelius quam ferro jugulata, reservarent: hinc assidebant miseri *clausis horreis.* Sic reperiuntur 'varia prædandi vocabula:' et ut ait Plautus Aul. sunt 'Homines cum senis manibus genere Geryonaceo: Quos si Argus servet, qui oculeus totus fuit, Is nunquam servet.'

[o] *Emere ultro frumenta*] Romani, præter tributum, devictis a se provinciis, saltem ubi id ferebat soli ratio, conferendam frumenti partem imposuerunt, plerumque decimam. Præter hanc et alia pars legato præsidiarioque provinciæ militi cedebat, et aliis in similem finem; pretio quod æquum videretur.

Qui rei frumentariæ negotio et annonariis functionibus præerant, interdum et quorum aliqua in militaribus auctoritas, in collectione insolenter se gerebant, iniquissimis grassati concussionibus et exactionibus, ut fuse Tullius ostendit quinta in Verrem.

Videntur Romani quicquid in Britannia frumenti nasceretur, maxima parte suum fecisse, et instituto ejus monopolio coëgisse miseros incolas ad redemtionem, quanto libuisset pretio; injecto insuper onere militis alendi, aut consimili, ut vilius iterum distraherent.

Præterea illi, penes quos cura erat subvehendi species annonarias, exempli gratia, Cantuaria Londinum, currus Carlilam usque destinassent, a dominis exacto quanti esset quod a vectionibus vacassent. Expediri tamen illa potuissent, indigenis non ita vexatis; sed minore præfectorum compendio.

Ista aut paria incommoda hic Tacito notantur. *Savilius.*

[p] *Vendere pretio*] Alii legunt, *pendere pretium,* alii, *vendere prædia,* alii, *vendere parvo cogebantur.* Forte sic intelligendum; scil. 'Vendere pretio cogebantur,' quod præfecti nempe, seu procuratores Cæsariani statuissent imposuissentque frumento. Forte nihil deest, et sic concipi possit: *Cogebantur* emere frumentum, ac vendere pretio certo; constitutoque, scil. a publicanis aut procuratoribus, quod satis intelligitur ex eo quod cogerentur: quippe non ad id *cogebantur,* nisi certo pretio publice indicto, forte etiam secreta fraude *cogebantur.*

Pretio cogebantur] Hasce fraudes ex parte expressit eleganter Plinius Paneg. 'Nonne cernere datur, ut sine ullius injuria omnis usibus nostris annus exuberet? quippe non ut ex hostico raptæ perituræque in horreis messes, nequicquam queritantibus sociis, auferuntur. Devehunt ipsi, quod

rum[q] et longinquitas regionum indicebatur, ut civitates a proximis hybernis in remota et avia[r] referrent, donec, quod omnibus in promtu erat, paucis lucrosum[s] fieret.

20. Hæc primo statim anno comprimendo, egregiam famam paci circumdedit; quæ vel incuria, vel tolerantia[1] priorum,[t] haud minus quam bellum timebatur. Sed, ubi

certo *pretio*:- etiam *per difficillima deviaque itinera, atque in procul amotas regiones* transvectio frumenti *imperabatur, ut nationes a vicinis* sibi *præsidiis in ultima et longinqua subveherent* annonam, *donec, quod universis pronum et expeditum erat, paucis quæstui esset.*

Hæc cum primo officii *anno statim coërcuisset, eximium decus paci conciliavit; quæ vel negligentia priorum* legatorum, *vel dissimulatione, non minus metuebatur,*

1 Sic emendavit Rhenanus. Prius erat *intolerantia*. Oberl.

NOTÆ

terra genuit, quod sidus aluit, quod annus tulit: nec novis indictionibus pressi ad vetera tributa, deficiunt. Emit fiscus, quicquid videtur emere: inde copiæ, inde annona, de qua inter licentem vendentemque conveniat: inde hic satietas, nec fames usquam.'

q *Divortia itinerum*] Iterum ex Cicerone, (nam quis fraudes melius retegat?) lux esto. Frumenti æstimatio introducta fuit, sed primo, inquit, in commodum aratoris, ' cum in eum locum, quo imperabatur, frumentum portare nollet.' Quid fecerunt boni Præsides? ' Instituerunt semper ad ultima ac difficillima loca apportandum frumentum imperare, ut vecturæ difficultate ad quam vellent æstimationem pervenirent.' Et id vulgo factum ostendit, non solum a Verre aliquo.

At Agricola emendavit, itemque postea Valerianus mandavit: ' Ne præses provincialem aut possessorem cogat frumenta illic, ubi non habet, dare: equum, ubi non potest, pascere; quia, non est ulla provisio melior, quam ut in locis suis erogentur, quæ nascuntur, ne aut vehiculis aut sumtibus remp. gravent.' *Lipsius.*

r *In remota et avia*] Potuit dici quod de Belgica olim Paneg. Max. Augusti. ' Vidisti enim non ut per agros aliarum urbium omnia fere culta, aperta, florentia, vias faciles, navigera flumina ipsas oppidorum portas alluentia: sed statim ab eo flexu, e quo retrorsum via ducit in Belgicam, vasta omnia, inculta, squalentia, muta, tenebrosa: et ut militaris via sit confragosa, et alternis motibus ardua atque præceps, ut vix semiplena carpenta interdum vacua transmittat. Ex quo sæpe accidit ut obsequia nostra tarda sint, cum parvarum frugum nobis difficilior sit evectio, quam ceteris plurimarum.' Has autem difficultates locorum in suum compendium facile vertebant avidi rapinarum et prædæ vultures.

s *Paucis lucrosum*] Lamprid. Alex. Alexander Severus ' aurum et argentum raro cuiquam, nisi militi divisit: nefas esse dicens, ut dispensator publicus in delectationes suos suorumve converteret, id quod provinciales dedissent.' Principes, qui talia flagitia patiantur, comparabat Crates olim ' iis ficubus, quæ in altis præruptisque locis nascuntur; e quibus homo fructum non accipit, sed corvi tantum et milvi.'

t *Priorum*] Priorum legatorum Britanniæ.

æstas advenit,[u] contracto exercitu, militum[2] in agmine laudare modestiam, disjectos coërcere: loca castris ipse capere: æstuaria ac sylvas ipse prætentare:[v] et nihil interim apud hostes quietum pati, quo minus subitis excursibus popularetur: atque, ubi satis terruerat, parcendo rursus[w] irritamenta[3] pacis ostentare. Quibus rebus multæ civitates,

quam bellum. Sed, postquam rediit æstas, convocatis legionibus, in itinere obsequium militum celebrare, inconditos et inordinatos comprimere: sedem castris ipse deligere: vada sylvasque ipse explorare: et nihil interea apud hostes securum tutumque relinquere, quin repentinis incursionibus omnia ageret, ferret: atque, ubi eos *metu perculerat, indulgendo rursus, delinimenta pacis ostendebat. Qua ratione,*

2 Sic Gronov. et Ryckius et Bipont. ex emendatione Rhenani. In edd. ante omnibus *multum*. Ms. Vat. (et V. C. Ursini) apud Broterium *multus*, quod ille et in textu recepit. Sed sensit ita non expleri sensum. Itaque addit *militum* ante *laudare*. *In agmine* manifeste conjungitur cum *modestiam* et *disjectos*. Cum milites iter facerent, hoc est, *in agmine*, laudabat modestiam, scil. eorum, qui in agmine manebant: qui deserebant prædandi causa, eos coërcebat. Mihi *multum* tamen suspectum est, malimque deleri: ita omnia plana. *Ernest.* *Militum* bene habet, non delendum. *Multus* Vaticani probat Bleterius. *Oberl.* —3 Lipsius et Acidalius mallent, *invitamenta*. Nobis quoque placeret, si

NOTÆ

[u] *Ubi æstas advenit*] Anni scilicet ab urbe condita 833. qui consules habuit Imp. Titum Vespasianum VIII. Fl. Domitianum VII. Idem erat annus a Christo nato vulgaris 80. *Virdungus.*

[v] *Ipse prætentare*] Non est, quod ab errore Agricolam vindicet, utpote legatum. Sed tanto turpior, neque ullo modo excusanda Taciti ignorantia est, qui illud in aliqua laudis parte ponit. Nam ut ait Polyb. l. x. 'In levis pretii capite fieri experientia debet, non in duce ipso.' *Savilius.* Et tu quis es, qui summum ducem imprudentiæ, et principem auctorum ignorantiæ arguis? num verum de te pronuntiavit doctissimus Jos. Scaliger? Et oranda Modestia est, ut te continere velis?

Et certe id officio ducis convenienter. Leo Imperator Tactic. IX. 12. 'Sin admodum lubrica difficiliaque loca fuerint, te ipsum oportet primum eo transire: deinde ibi consistere et commorari, donec omnes sine offensione transierint.' Idem exemplo suo ingerunt alii magni duces, reges, et imperatores passim in historia.

Ipse prætentare] Panegyr. Constantini: 'Illos pugnare fas est, quibus suo cujusque fato, aut vincendum est, aut cadendum: tu cujus ex vita omnium fata pendent, ad ullum discrimen accedas? inter tot tela gladiosque versere? quis hoc a te exigit? aut quis pati possit, ut quicquam in te belli casibus liceat? deceat te, imperator, hostem ferire? Immo non decet laborare.' Adulatio mera. Attamen distinguendum inter duces et principem, in quo summa rerum, inter loca, occasiones, et etiam hostes.

[w] *Parcendo rursus*] Sallust. Orat. Philipp. 'Ignoscendo populi Rom. magnitudinem auxisse.' Idem in Jug. 'Neque victis quicquam, præter injuriæ licentiam eripuisse.'

quæ in illum diem ex æquo[x] egerant, datis obsidibus, iram posuere, et præsidiis castellisque circumdatæ, tanta[4] ratione curaque, ut nulla ante Britanniæ[y] nova[5] pars illacessita transierit.

pleræque nationes, quæ ad id tempus se pares ferebant Romanis, tum *datis obsidibus, odium omisere, et* hæ *castellis arcibusque septæ ac cinctæ* sunt, *tanta prudentia diligentiaque, ut nulla Britanniæ pars paulo ante comperta, illacessita* armis Rom. *præterierit.*

faverent libri. *Brotier.*—4 Ms. Vatic. 3429. *et tanta ratione.*—5 Ita libri omnes. Mallet Gronovius, *nota pars:* eum sunt secuti recentiores interpretes Galli et Angli. Ernestus retinet, *nova pars;* sed mox excidisse putat *sic* vel *ita.* Nihil omnino mutabat Illustr. Huetius, et *novam* partem explicabat, *Romanis armis inaccessam.* Brotier.

NOTÆ

[x] *Ex æquo*] Quæ feroces et hactenus indomitæ omnes pacis seu deditionis conditiones abnuerant, quasi viribus atque opibus æquales Romanis, aut certe resistendo pares, finitimorum subsidio, tum dedere obsides, et iram posuere.

Ex æquo egerant] Quæ pari pervicacia libertatem defendebant, qua oppugnabantur.

[y] *Ut nulla ante Britanniæ*] Tanta cum prudentia et cura circumdatæ castellis civitates fuere, ut nulla antehac ignota Romanis Britanniæ pars extiterit, quæ non ex illis castellis, tanquam ὁρμητηρίοις, bello lacesseretur. *Berneggerus.*

Aliter H. Savilius versione Anglica accepit. Sic enim reddit, ac si velit Tacitus, neminem Britannorum castella illa lacessere ausum fuisse. Me quod spectat, mendosum id existimo, legendumque : *ut nulla inde Britannorum pars illacessita transierit.*

Inde idem, quod postea, *exinde:* ut ex eo tempore nulli rebellium Britannorum illæsi et sine clade ea loca transire potuerint. *Boxhornius.*

Scribendum videtur : *nulla ante Britanniæ nota.* Et prospicit, quod mox dicturus est c. 22. 'Tertius expeditionum annus novas gentes aperuit.' Ante hunc igitur tentatæ partes non erant *novæ,* sed *notæ.* Gronovius.

Nulla . . . nova pars illacessita transierit] Possit hic locus intelligi ex his quæ præcessere : 'Loca castris ipse capere : æstuaria ac sylvas ipse prætentare : et nihil interim apud hostes quietum pati, quo minus subitis excursibus popularetur : atque, ubi satis terruerat,' &c. Itaque hoc nostro loco ita disposita erant castella variis locis Britanniæ, ut pars nulla illacessita transiret, id est, remaneret. Neque enim sic capias, quasi inter illa castella illacessiti transire non possent neque auderent barbari. Potius est, ut nulla pars regionis esset, quæ ex illis castellis non posset lacessi, exterreri, ferri et agi : qui sensus colligitur ex illis quæ præcedunt, 'nihil apud hostes quietum pati, quo minus subitis excursibus popularetur.' Τὸ *transierit,* id est, effugerit, seu nulla erat ; quæ non potuerit hinc lacessi, nempe, a Romanis. Ne putes tamen Agricolam amplexum esse his castellis ceteras Britanniæ gentes : nam mox, 'tertius expeditionum annus novas gentes aperuit,

21. Sequens hyems[z] saluberrimis consiliis absumta: nam-

Quæ successit hyems utilissimis consiliis transacta est: *quippe, ut homines vagi*

NOTÆ

vastatis usque ad Taum . . . nationibus . . . ponendisque insuper castellis spatium fuit.' Sic igitur capio, ut nulla pars Britanniæ, quæ paulo ante *nova* erat, et quæ tunc recens comperta fuit, illacessita manserit, aut manere potuerit. Quod sequitur de gentibus tertio anno visis et cognitis, illæ pro tunc, cum priora illa castella disponerentur, certe nec novæ tum nec veteres erant, quia nondum apertæ armis Rom. aut cognitæ erant: quia tantum, scil. tertio expeditionum anno compertæ tandem et cognitæ sunt, et tunc *novæ* fuerunt Romanis, et tum tantum novæ dici potuerunt, quia de novo compertæ.

Nulla . . . nova pars illacessita transierit] Quod possit intelligi ex præcedentibus; 'æstuaria ac sylvas ipse prætentare: et nihil interim apud hostes quietum pati, quominus subitis excursibus popularetur . . . Quibus rebus multæ civitates,' &c. Ergo his actis, *multæ civitates* dedere *obsides* Agricolæ, et *posuere iram*, quod occasionem et facultatem dedit firmandis passim præsidiis et castellis: et quod factum *tanta ratione curaque, ut nulla*, quæ ante hos excursus *nova* Romanis armis erat *Britanniæ pars*, jam *illacessita* evaserit; sicque nulla pars intacta pertransierit, effugerit, abierit. Notandum arces et urbes præcipuas Britannorum fuisse *æstuaria et sylvas.* Has fossis muniebant, hisque se maxime tuebantur. At jam variis locis disposita Agricolæ præsidia tentabant hæc munimenta barbarorum; et ex his fere omnes nationes antè incognitas lacessebant, aut lacessere poterant Romani.

Illacessita transierit] Id intelligunt, ita ut *nulla, quæ ante nova Britanniæ pars fuit*, intentata, seu intacta armis Romanis remanserit. Id posset dici seu intelligi de Britanniæ partibus, paulo ante compertis ab ipsomet Agricola. Hoc sensu, *transierit*, idem esset, ac nulla pars transmissa seu omissa sit, quin lacesseretur, aut lacessi posset ex illis præsidiis Romanis ab Agricola constructis.

Nova pars] Paulo ante repertæ erant quædam Britanniæ partes, seu nationes, quæ hactenus incognitæ Romanis fuerant; ideoque *novas* illas vocat. At præsidia castellaque ita disposuerat Agricola, ut nulla pars, seu natio *nova*, id est, paulo ante comperta, transire illacessita potuerit; hoc est, facile lacessi potuit ex immunitis huic regioni præsidiis. De quibus castellis sic etiam infra c. 22. 'Annotabant . . . nullum ab Agricola positum castellum, aut vi hostium expugnatum, aut pactione ac fuga desertum.' Immo 'crebræ eruptiones, &c. ita intrepida ibi hyems et sibi quisque præsidio.' Igitur erumpebant ex istis præsidiis Romani, et castella hæc sibi invicem subsidio erant. Itaque feroces nationes paulo ante compertæ, et nondum domitæ, transire in ditionem, seu fines Rom. illæsæ et illacessitæ non poterant. Aut certe facile ex istis præsidiis lacessi poterant, ita ut sic continerentur intra suos fines, aut vastarentur pro nutu præsidiariorum et limitaneorum ducum.

[z] *Sequens hyems*] Anni scilicet 833. post urbem conditam, quo consules fuerunt M. Plautius Silvanus, M. Annius Verus Pollio, qui et insignis morte Titi Imperatoris. *Virdungus.*

que, ut homines dispersi[a] ac rudes, eoque in[1] bello faciles,[b]

incultique, et ideo ad bella promti, paci et otio per amœnitates assuefierent, suadere

1 Edd. ante Rhen. *in bello:* unde magis probem alteram Rhenani conjecturam *in bellum*, sive *in bella:* quod non minus recte dicitur. *Ernest.* Restituo lectionem pristinam. Sic et Bip. qui *faciles* recte reddunt *facile parabiles, promti.* Oberl. Gronovius cum Ryckio et Brotiero omisit *in*.

NOTÆ

[a] *Dispersi*] Sic olim mira sapientia Theseus Athenienses, qui per pagos Atticæ regionis dispersi erant, in unam urbem deduxit. Unde potestas civitatis, imperium, opes, mœnia, portus, emporium, classis, navalia, armamentarium. Hinc porticus, theatra, domorum elegantia, conviviorum amœnitas, balnea, templa, fora, judicia, studia, leges, eloquentia, ceteræque artes optimæ; hinc ædificia publica, prytaneium, arx validissima, Areopagus, et sanctissima delubra sapientiæ, Lyceum, Academia, Pœcile, et quicquid optimum sanctissimum, atque amœnissimum in amplissima civitate fingi aut cogitari potest.

Dispersi ac rudes] Quam facunde Orator talia persequitur in Orat. pro Sextio: 'Quis enim vestrum, judices, ignorat, ita naturam rerum tulisse, ut quodam tempore homines, nondum neque naturali neque civili jure descripto, fusi per agros ac dispersi vagarentur, tantumque haberent, quantum manu ac viribus, per cædem ac vulnera, aut eripere aut retinere potuissent? Qui igitur primi virtute et consilio præstanti extiterunt, ii perspecto genere humanæ docilitatis atque ingenii, dissipatos unum in locum congregarunt, eosque ex feritate illa ad justitiam atque mansuetudinem traduxerunt. Tum res communem utilitatem continentes, quas publicas appellamus, tum conventicula hominum, quæ postea civitates nominatæ sunt, tunc domicilia conjuncta, quas urbes dicimus, invento et divino et humano jure, mœnibus sepserunt. Atque inter hanc vitam perpolitam humanitate, et illam immanem nihil tam interest, quam jus, atque vis.' Sic et Plut. l. I. de Fortuna aut Virt. Alexandri. 'Porro, quam inprimis admirantur Zenonis rempubl. qui ipse Stoicæ sectæ fundamenta jecit. Hæc in unam illam summam colligitur, ne oppidatim, aut per singulos discriminatim populos habitemus, suis quique legibus, institutisque diremti, sed ut existimemus omnes homines esse populares nostros municipesque, una, scil. ut sit vita, perinde ut mundus unus, velut unius armenti compascuo in agro compascentis.'

Dispersique ac rudes] Plutar. ibid. de Fort. aut Virt. Alex. 'Quod Themistocles, cum extorris patria ingentibus cumulatus donis esset a Persarum rege, urbes scil. stipendiarias tres adeptus in frumentum, singulas in vinum et in pulmentaria: quod tum dixisse fertur, O pueri, perieramus, nisi periissemus. Hoc itidem mihi videtur, justiusque dici posse de iis, qui ab Alexandro in ditionem redacti sunt. Haudquaquam mansuescerent homines illi, nisi prius vincerentur: haudquaquam Alexandriam Ægyptus habuisset, nec Mesopotamia Seleuciam, nec Sogdiana Prophtasiam, nec Bucephaliam India, nec accolam Græcam Caucasus urbem, quibus urbibus, pristina exoleta feritate, deterrimi quique mores in me-

quieti et otio per voluptates assuescerent, hortari privatim, adjuvare publice, ut templa, fora, domus exstruerent, laudando promtos, et castigando segnes: ita honoris æmulatio pro necessitate erat. Jam vero Principum filios liberalibus artibus[c] erudire, et ingenia Britannorum studiis Gallorum[d]

privatim, navare operam publice, ut delubra, foras, ædes ædificarent, extollendo strenuos, et objurgando inertes: sic ipsis *æmulatio decoris loco imperii erat. Præterea vero liberos procerum liberalibus disciplinis instituere, et indolem Britannorum in-*

NOTÆ

liores usu transierunt ... Beatiores mihi videntur multo, qui ab Alexandro subacti sunt, quam qui arma ejus effugerunt: quippe hos nullus perditissimam vitam agere prohibuit, illos ad feliciora vitæ instituta vel invitos traduxit.' Idem Plut. l. II. de Fort. aut Virt. Alex. 'Alexandro sua virtus divinum et e dignitate regia certamen imperabat, cujus erat finis, non aurum illud, quod mille camelis circumferebatur, non deliciæ Medicæ, aut mensæ, aut mulieres, non Calydonium vinum, aut Hyrcani pisces; sed ut iisdem moribus ac legibus universos institutos homines, uni etiam parere imperio, unique vivendi rationi obtemperare persuaderet, aut cogeret.' Idem ibid. 'Alexandri vero disciplinam si attendas, Hyrcanos connubia docuit, ut agriculturam Arachosios. Sogdianos parentes alere perpulit, nec in posterum interimere. Persas matres revereri, earumque connubiis abstinere,' &c. Ibid. Plut. 'Alexander ita statuens, divinitus se communem omnium nationum moderatorem atque arbitrum esse missum, quos verbis non poterat, armis, ad communitatem adigens, omnes undique gentes in unum corpus conduxit, tanquam in amicitiæ cratera commiscens vitas, mores, nuptias, victus rationes, mandavitque ut universi mundum pro patria agnoscerent, castra pro arce et præsidio, bonos pro cognatis, malos pro peregrinis. Illam vero videre voluissem præclaram hanc sacramque sponsalium procurationem, cum, scil. Alexander uno tentorio, quod auro erat ornatum, complexus centum Persidas sponsas, totidemque Macedones et Græcos sponsos, communibus penatibus mensæque eidem adhibuit: primusque ipse serto redimitus, hymenæum orsus, tanquam cantilenam amoris mutui testem accinens, maximas et potentissimas gentes in communitatem conduxit, centum copulatis conjugio paribus, unius ipse puellæ sponsus, reliquis omnibus auspex simul et pater et moderator.'

[b] *Bello faciles*] Quia dispersi nullas civitates habebant præter *sylvas*, et modicas admodum opes, ideoque hi bello feliciores, quam pace; deinde quia *rudes* artium omnium præterquam belli, sicque ab omni amœnitate et humanitate procul amoti, feroces et bello faciles promtique agitabant.

[c] *Principum filios liberalibus artibus*] Sic jam olim a Sertorio usurpatum erga Hispanos observat Plutarchus in ejus vita. 'Ea causa,' inquit, 'Barbari maxime amabant, admirabanturque Sertorium, quod disciplina Rom. iisdemque armis et eodem ordine instructos ipsos in acie componeret, simulque auferret ipsis violentiam illam immanitatemque ac ferociam, quam

anteferre, ut, qui modo linguam[e] Romanam abnuebant, elo-

geniis Gallorum anteponere, ita *ut, qui nuper sermonem Rom. respuebant,* jam *fa-*

NOTÆ

antea præferebant in præliis; cum pro agminibus latrociniorum more agitantibus, ingentem ex ipsis exercitum recteque dispositum instituerct, cum etiam ipse liberaliter argentum singulis distribueret, et auro galeas ipsorum exornaret, variisque coloribus distingueret scuta et clypeos; cum et doceret ipsos indui tunicis et chlamydibus, quibus flores inserti intextique erant; cum simul et pecuniam illis ad hæc comparanda suppeditaret, et ipsos ad hunc egregium ornatum sumtu suo, exemploque et æmulatione incitaret. Maxime vero conciliabat animos cura ipsius erga liberos procerum. Nobilissimos quippe harum nationum juvenes cum coëgisset evocassetque in urbem magnam, quam Oscam vocant, præfecit his, instituitque præceptores, qui ipsos Græcis Romanisque disciplinis imbuerent; sicque re ipsa filios primorum obsides habuit in sua potestate, dum in speciem illos institueret, velut eo consilio, et tanquam, statim atque in viros ipsi ascripti essent, eos in partem imperii et Reipub. vocaturus asciturusque esset. Patres vero miro gaudio afficiebantur, cum viderent filios vestibus purpura prætextis ornatos, et cum eo honore simulque cum modestia institutas scholas frequentarent, cum et Sertorius pro ipsis stipendium honorariumque exhiberet præceptoribus et ludi magistris, cum et sæpe eorum ingenia præsens ipse exploraret, præmiumque præcellentibus indole juvenibus proponeret, aureosque torques his præberet, quos bullas Romani vocant.'

[d] *Studiis Gallorum*] De quibus sic Strabo, ubi de Gymnasio Massiliensi: 'Hæc Massiliensium institutio hodie nobilissimum quemque Romanorum pellexit, adeo ut pro peregrinatione quam studiorum causa Athenas pridem suscipiebant disciplinarum cupidi, nunc illuc se conferant: quorum æmulatio Gallos quoque excitavit, ut pace per Galliam composita, ipsi otium a rebus bellicis amplectentes, ad discendi institutum animum appellerent, non viritim modo, sed etiam universim per urbes. Quippe qui dicendi magistros (quos Sophistas vocant) privato publicoque impendio oppidatim suscipiant, salarium illis statuentes perinde ac medicis.'

Ex illo prisco Galliarum instituto manavit illud Satyrici poëtæ: 'Gallia causidicos docuit facunda Britannos.' Notum est etiam certamen Græcæ Latinæque facundiæ Lugduni olim institutum ad aram Divo Augusto consecratam: ad quam olim Satyricus alludens prima Satyra, inquit: 'Aut Lugdunensem Rhetor dicturus ad aram.' Strabo etiam de Massilia scribens, 'Eadem,' inquit, 'urbs Massilia Gallos linguæ Græcæ studiosos fecit, et eo usque amantes, ut contractus et conventa apud eos Græco sermone concipiantur.'

Studiis Gallorum] Ingenia, studia, artes hoc loco pro eodem sunt. Ingenia Britannorum ingeniis Gallorum præfert, aut præferre fingit Agricola, ut sic juvenes illorum ad amplectendas artes Romanas impellat.

[e] *Ut, qui modo linguam*] *Ita ut qui modo,* seu, nuper, *linguam Rom. abnuebant* aut spernebant, jam *eloquentiam concupiscerent.*

quentiam concupiscerent.[2] Inde etiam habitus nostri honor[f] et frequens toga:[g] paulatimque discessum[3] ad delinimenta

cundiam nostram *ambirent*. *Dein etiam cultus nostri honos, et in usu toga* Rom.

2 Sic recte quidem. Nec satis apte Cl. Ernestus hanc diversitatem in modis verborum arguit, et mutatum vellet, aut *abnuerent*....aut *concupiscebant*. Agricola principum filios liberalibus artibus erudiendo, ingenia Britannorum ostentando, eaque studiis Gallorum meliora prædicando, effecit ut Britanni, qui modo linguam Romanam abnuebant, eloquentiam concupiscerent. Potuisset quidem Tacitus quoque dicere, *abnuerent*. Abstinuit autem ne pariter desinerent verba. Id enim est orationis vitium. *Brotier.*—3 Mallet Pichena, *descensum*.

NOTÆ

[f] *Habitus nostri honor*] Gellius lib. XIII. T. Castritius Rhetoricæ disciplinæ doctor, 'cum discipulos quondam suos senatores vidisset die feriato tunicis et lacernis indutos, et Gallicis calceatos, Equidem, inquit, maluissem vos togatos esse. Pigitum est cinctos saltem esse et penulatos. Sed si hic vester hujusmodi vestitus die multo jam usu ignoscibilis est, soleatos tamen vos pop. Rom. senatores, per urbis vias ingredi nequaquam decorum est.'

[g] *Frequens toga*] Toga vestis Romanorum propria in pace, ut *sagum* in castris; unde *togati*, *sagatis*, id est, pagani militibus opponuntur: sed et *palliatis*, id est, Græcis, Suetonio; et *braccatis*, id est, *Gallis*, Tacito. Quia autem non nisi in foro *togati*, atque adeo *toga* vestis forensis; hinc *togatus* pro homine forensi sive patrono causarum, item pro salutatore, quia in alia veste *matutinum* illud *Ave* deferre fas non erat. *Virdungus.*

Item pro pacifico ac pacem observante. Supra Hist. l. III. de Fl. Sabino: 'Togatum nempe se et unum e senatoribus, dum ... præliis legionum, &c. judicatur.' Eo sensu sumi etiam debet locus ille Hist. II. 20. 'quod versicolore sago braccas .. indutus togatos alloqueretur.' Similiter et hoc lib. c. 9. Agricola, licet vir militaris, 'inter togatos facile justeque agebat.'

Toga] Ascon. Pedian. in Orat. Cic. pro M. Scauro ait, Catonem 'togatum sine tunica exercuisse judicium in forumque sic descendisse: idque repetisse ex vetere consuetudine, secundum quam et Romuli ætatis statuæ in Capitolio, et in Rostris Camilli, fuerunt togatæ sine tunicis.'

Frequens toga] Indui toga egregium et honestum fuit, at vero tunicis molle et fœmineum. Nam olim viri Romani 'primo quidem sine tunicis, toga sola amicti fuerunt.' Sic apud Gellium VII. 12. Ideoque 'P. Africanus Pauli filius, vir omnibus bonis artibus atque omni virtute præditus, P. Sulp. Gallo homini delicato inter pleraque alia, quæ objectabat, id quoque probro dedit, quod tunicis uteretur manus totas operientibus. Verba sunt hæc Scipionis: Nam qui quotidie unguentatus adversum speculum ornetur, cujus supercilia raduntur, qui barba vulsa, fœminibusque subvulsis ambulet, qui in conviviis adolescentulus cum amatore, cum chirodota tunica inferior accubuerit, qui non modo vinosus, sed virosus quoque sit, eum ne quisquam dubitet, quin idem fecerit, quod cynædi facere solent.'

vitiorum, porticus et balnea et conviviorum[h] elegantiam:[i]

sensimque deventum est *ad blandimenta vitiorum, basilicas et thermas et exqui-*

NOTÆ

Non præcise probrosus, quia cum *chirodota, &c.* sed præcipue, quia *inferior* amante in toro convivali accubuisset inter epulas. Nam sic *inferior* accumbens, in sinu amatoris molliter quiescebat. Sic Britanni juvenes paulatim ad *voluptates* et *delinimenta vitiorum* descendere; et sensim tales fuere, quibus diceret Vespasianus apud Suetonium: 'Mallem allium oboluisses.'

[h] *Conviviorum*] Quæ vocat Plinius Paneg. 'Exquisita ingenia cœnarum.'

Conviviorum] Elegantiam seu luxum hunc facunde describit Paneg. Theod. 'Delicati illi ac fluentes, et quales tulit sæpe Respub. parum se lautos putabant, nisi luxuria vertisset annum, nisi hybernæ poculis rosæ innatassent, nisi æstivam in gemmis capacibus glaciem Falerna fregissent: horum gulæ angustus erat noster orbis. Namque appositas dapes non sapore; sed sumtu [libabant, æstimabant]. Illis demum cibis acquiescebant, quos extremus oriens, aut positus extra Rom. Colchus imperium, aut famosa naufragiis maria misissent, quos inviæ [seu invitæ] quodam modo, reluctantique naturæ hominum pericla rapuissent. Ut taceam infami sæpe delectu scriptos in provinciis aucupes, ductasque sub signis venatorum cohortes militasse conviviis: nonne cognovimus cujusdam retro principis non prandia sæpe, sed fercula S. H. millies æstimata, patrimoniorum equestrium pretia traxisse?'

Conviviorum] Quorum luxus exponitur apud Gellium xv. 8. 'Verba,' inquit, 'quæ apposuimus Phavorini hæc sunt: Præfecti popinæ atque luxuriæ negant cœnam lautam esse, nisi cum libentissime edis, tum auferatur, et alia esca melior atque amplior succenturietur. Is nunc flos cœnæ habeatur inter istos, quibus sumtus et fastidium pro facetiis procedit. Qui negant ullam avem, præter ficedulam, totam comesse oportere. Ceterarum avium atque altilium, nisi tantum apponatur, ut a cuniculis inferiori parte saturi fiant, convivium putant inopia sordere. Superiorem partem avium atque altilium qui edunt, eos palatum non habere. Si proportione crescit luxuria, et debere epulas crescere. Videte quid relinquitur, nisi ut delibari sibi cœnas jubeant, ne edendo defatigentur: quando stratus auro, argento, purpura, amplior aliquot hominibus, quam Diis immortalibus adornantur.'

[i] *Elegantiam*] Gellius lib. xi. 11. 'Apparet elegantem dictum antiquitus non ab ingenii elegantia, sed qui nimis læto amœnoque cultu victuque esset. Postea elegans reprehendi quidem desiit, sed laude nulla dignabatur, nisi cujus elegantia erat moderatissima. Sic M. Tullius L. Crasso et Q. Scævolæ non meram elegantiam, sed multam parsimoniam mistam laudi dedit: Crassus, inquit, erat parcissimus elegantium, Scævola parcorum elegantissimus. Præterea ex eodem libro Catonis, hæc etiam sparsim et intercise commeminimus: Vestiri, inquit, in foro honeste, mos erat, domi quod satis erat, equos carius quam coquos emebant. Poëticæ artis honos non erat. Si quis in ea re studebat, aut sese ad convivia applicabat, grassator vocabatur.'

idque apud imperitos *humanitas* vocabatur,[j] cum pars servitutis[k] esset.

22. Tertius expeditionum[l] annus novas gentes aperuit, vastatis usque ad Taum[1 m] (æstuario nomen est) nationibus: qua formidine territi hostes, quanquam conflictatum sævis

sitæ comitatis epulas: idque apud rudes civilitas seu urbanitas *appellabatur, cum pars servitii foret.*

Tertia expeditionum æstas novas nationes reperit, direptis provinciis usque ad Taum (sic æstuarium appellatur): quo terrore perculsi hostes, non ausi sunt *aggredi*

1 Mss. Vatic. *ad Tanaum.* Sed in margine Ms. Vatic. 3429. *Taum.*—

NOTÆ

[j] *Humanitas vocabatur*] Idem Gell. XIII. 15. 'Itaque verba posui Varronis e libro rerum humanarum primo, cujus principium hoc est: Praxiteles, qui propter artificium egregium, nemini est paulummodo humaniori ignotus. Humaniori, inquit, non ita ut vulgo dicitur, facili et tractabili et benevolo, tametsi rudis literarum sit (hoc enim cum sententia nequaquam convenit) sed eruditiori doctiorique, qui Praxitelem, quid fuerit, et ex libris et ex historia cognoverit.'

[k] *Pars servitutis*] Voluptatibus scilicet, virtutis, qua se rursus in libertatem vindicare possent, nervos incidentibus, animosque ad servitutem pessumdantibus. *Virdungus.*

Humanitas hic accipitur ea notione, qua apud Cæsarem libro I. de bello Gall. 'Horum omnium fortissimi sunt Belgæ, propterea quod a cultu atque humanitate provinciæ longissime absunt.' *Boxhornius.*

Huc pertinet locus Hist. IV. 64. quo sic Tencteri ad Agrippin. 'Instituta cultumque patrium resumite, abruptis voluptatibus, quibus Romani plus adversus subjectos, quam armis valent. Sincerus et integer et servitutis oblitus populus,' &c.

Servitutis] Pars servitutis fuit, non præcise recepisse bonas artes hostium; sed servitus fuit imbui moribus illorum, discere linguam Rom. et eloquentiam, eandemque juris dicendi disciplinam, (id enim ex imperio summum fuit;) et præsertim imbui certis artibus, quæ corrumpunt juvenes et mores profligant; quæ in flagitia voluptatum, desidiam, mollitiamque et inertiam statim desciscunt. Hæc quippe inter artes dominantium; hæc inter arcana imperii, hæc inter prima capita inservientium. Ut patet jam olim de quibusdam gentibus Orientis, quæ regibus Persarum parebant, quæ sic domitæ statim, ac deliciis infractæ sunt.

[l] *Tertius expeditionis*] M. Plautio Silvano, M. Annio Vero consulibus: anno urbis conditæ 834. *Virdungus.*

[m] *Usque ad Taum*] *Tuedam*, ut alii putant. *Savilius.*

Tuedæ fluvii ostium in Ottadinis, hodie *Northumberland.* Is autem fluvius Angliam a Scotia longo spatio discludit, limesque orientalis dicitur. Ex Cambdeno. *Virdungus.*

Taum] Tava, fluvius Caledoniorum et Damniorum pop. Britanniæ majoris versus septentrionem, in Oceanum Germanicum se exonerat: hodie *Tay*, in regno Scotiæ: labitur in mare Allemaniæ. *Tillemonius.*

tempestatibus[n] exercitum, lacessere non ausi: ponendisque insuper castellis spatium fuit. Annotabant periti, non alium Ducem opportunitates locorum sapientius legisse: nullum ab Agricola positum castellum[o] aut vi hostium expugnatum, aut pactione aut fuga desertum. Crebræ eruptiones:[p] nam adversus moras obsidionis annuis copiis[q] firmabantur: ita intrepida ibi hyems, et sibi quisque præsidio,[r] irritis hosti-

exercitum, quamvis ille *diris procellis vexatus et exagitatus fuisset: muniendisque præterea præsidiis tempus fuit. Observabant prudentes, non alium ducem solertius elegisse opportuna* præsidiis *loca: nullum ab Agricola structum castellum, aut vi hostili captum, aut pacto ac militum digressu relictum* esse. Immo ex his præsidiis *crebro erumpebat* miles Rom. *quippe* ea *singulis annis copiis commeatuque et annona firmabantur adversus spatia obsidionum: sic impavida illa hyberna* erant, *et sibi quisque subsidio, ac inani hostium impetu, ideoque* illi *spem abjicie-*

NOTÆ

[n] *Tempestatibus*] Non intelligit forte de tempestatibus maritimis, quasi copias mari devexerit Agricola, sed de procellis cœlo immissis. Talibus procellis divexatum sæpe, cum terra incederet, exercitum Alexandri memorat Curtius.

[o] *Positum castellum*] Castra et castella quibus locis munienda sint, docet Vegetius I. 22. nimirum, loco tuto, ubi et lignorum, et pabuli, et aquæ suppetat copia. Et si diutius commorandum sit, loci salubritatem etiam eligendam monet. Cavendum autem, ne mons sit vicinus altior, qui ab adversariis captus possit officere; considerandumque, ne torrentibus inundari consueverit campus, &c. Adde l. IV. 1.

Hæc castella inferior ætas *Burgos* appellavit. Eaque sæpe structa instar oppidorum, præsertim in finibus imperii, et ubi perpetuæ stationes et prætenturæ contra hostem; eademque origo nobilium aliquot hodie oppidorum. *Virdungus.*

[p] *Crebræ eruptiones*] Sæpe erumpebant adversus hostes præsidiarii milites ex istis castellis, quia quolibet anno firmabantur semper novis copiis; (intelligit autem copias cujusque generis, hominum scil. et cibariorum, seu commeatuum;) ita ut facile possent illi adversus obsidentes erumpere. Aut *eruptiones* illæ possint etiam ita intelligi, ut illacessiti ipsi præsidiarii ultro hostes lacesserent ex his præsidiis, excurrerentque ad prædam: et 'ita intrepida ibi hyems,' &c.

[q] *Annuis copiis*] Puto dictum indistincte pro quibuscumque copiis. Sic infra, 'mixtis copiis;' id est cibis, et simul agminibus seu manipulis, numeris, &c.

Annuis copiis] Veget. III. 26. 'Qui frumentum necessariumque commeatum non præparat, vincitur sine ferro.' Sic in plerisque oppidis cibaria habuere: 'totius anni in aceto [ad poscam] larido atque ordeo et paleis condita habebat.' Capitol. in Gord.

[r] *Sibi quisque præsidio*] Nonnulli intelligunt, quasi quodlibet castellum, intra se, seu cujusque castelli miles ipse sibi præsidio esset, ut solus, nempe, se tutari posset, etiam si ex vicinis castellis non subveniretur. Ego intelligebam, sic disposita fuisse ea castella, ut alia aliis, alternisque vicibus sibi invicem præsidio essent, prout necessitas postularet, aut in-

bus, eoque desperantibus, quia soliti plerumque damna æstatis hybernis eventibus pensare, tum æstate atque hyeme juxta pellebantur. Nec Agricola unquam per alios gesta avidus[2] intercepit: seu Centurio, seu Præfectus, incorruptum facti testem[s] habebat. Apud quosdam acerbior in conviciis[t] narrabatur, ut[3] bonis comis, ita adversus malos injucundus: ceterum ex iracundia nihil supererat:[u] secretum et[4] silentium[v] ejus non timeres: honestius putabat offendere, quam odisse.[w]

bant, quia cum sæpe ante *æstivas clades hybernis excursibus instaurare solerent, tum perinde æstivo atque hyberno tempore repellebantur. Nec unquam Agricola res ab aliis gestas per ambitionem sibi arrogavit; sive centurio, sive præfectus* cohortis egregie se gessisset, eum *integrum decori facinoris testem experiebatur. Apud nonnullos ferebatur asperior in probris, ut bonis facilis, ita malis infestus: porro ex ira* illius *nihil occultum remanebat: conscientiam et silentium illius non metueres: honestius credebat iram promere, quam premere.*

2 *Avidus* eleganter dicitur. Nec addendum, *gloriæ*, aut omittendum, *avidus*; ut vult Cl. Ernestus. *Brotier.*—3 Edd. vett. *ut erat bonis c.* quod restituit Broterius; non bene, ut opinor: nec enim aptum est Taciti in talibus consuetudini illud *erat*. *Ernest.*—4 Pro *et* Ms. Vatic. 3429. habet *ut*.

NOTÆ

staret hostis. Nam supra, civitates 'præsidiis castellisque circumdatæ tanta ratione curaque, ut nulla ante Britanniæ nova pars illacessita transierit.' Si nulla natio transire potuit, aut mansit intacta ab illis præsidiis; igitur vicina invicem illa castella et sic ordine disposita, ut sibi invicem mutuo subsidio essent.

[s] *Incorruptum facti testem*] Sic declarabat Agricola; neminem, qui suæ confideret, alienæ virtuti invidere. Et hoc profecto, si quid aliud, ardentem inflammat, et armat militum generosorum virtutem. Ut contra, quamvis præclarum ingenium hebetat, et quamvis fortem indolem exarmat misera illa (ut vocat Plinius) reputatio; 'vides enim, si quid bene feceris, nesciet imperator; aut si sciverit, testimonium non reddet.' *Virdungus.*

Cic. pro Muræna: 'Quibus Lucius Lucullus tantum laudis impertit, quantum neque ambitiosus imperator, neque invidus tribuere alteri in communicanda gloria solet.'

Testem] Qui testis simul et judex et arbiter esset: ut, scil. et laudaret, et remuneraret.

[t] *In conviciis*] Cum, scil. objurgaret, seu castigaret verbis.

[u] *Ex iracundia nihil supererat*] Seneca de ira II. 16. 'Simplicissimi omnium habentur iracundi.' *Pichena.*

Ex iracundia nihil supererat] Ennius apud Gell. XIX. 8. 'Eo, inquit, ingenio natus sum; amicitiam Atque inimicitiam in fronte promtam gero.'

[v] *Secretum et silentium*] Contra de Domitiano inferius: 'Talibus curis exercitus, quodque sævæ cogitationis indicium erat, secreto suo satiatus.'

De eodem etiam Plinius Panegyrico ad Trajanum: 'Non audire quisquam, non alloqui audebat, tenebras

23. Quarta æstas[x] obtinendis, quæ percurrerat,[1] [y] in-

Quartus annus transactus est *in* componendis ac *possidendis, quæ peragrave-*

1 Ita Rhenanus et recentiores. Puteolanus et veteres editiones, *præcur-*

NOTÆ

semper secretumque captantem; nec unquam ex solitudine sua prodeuntem, nisi ut solitudinem faceret.'

Secretum] Conscientiam et dissimulationem ejus non metueres.

Secretum et silentium] Ut eorum, quorum iræ altæ gravesque sunt, et introrsus versæ, quos 'tristes, acerbos, et irreconciliabiles,' vocat Aristoteles et describit: tales Tiberius et Domitianus. *Virdungus.*

Tales sunt, qui revolvunt iras animo in longum, ut suo tempore erumpant acrius.

Secretum et silentium] Quod clare intelliges ex altero loco Tac. Ann. XIII. 21. ubi de Agrippina: 'Nec... mihi infamia parricidii aut Cæsari conscientia subeunda est.' Accusabatur affectati imperii mater adversus filium Neronem: et cogitato a matre parricidio, quid gravius in conscientia filii dominantis, etiam si falsa accusatio foret? ibi *secretum* et *silentium* hoc, quod alte reconditur; hæc est ipsa *conscientia* gravis, cujus pondus subit ille, cui aliquid restat ex iracundia, et qui id tegit et altum premit, quod certe grave est obtegenti; sed et sæpe erumpit in perniciem ejus, cui odium et ira reservabatur. Infra de Domitiano c. 39. 'Talibus curis exercitus, quodque sævæ cogitationis indicium erat, secreto suo satiatus,' &c.

[w] *Quam odisse*] Quam premere aut recondere odium suum: ira fuit, non odium.

[x] *Quarta æstas*] Anni ab urbe condita 835. a natalibus Christi Dionysianis 82. qui annus habuit consules Imp. Domitianum VIII. et T. Flavium Sabinum. *Virdungus.*

[y] *Obtinendis, quæ percurrerat*] Aliud est vastare et percurrere agrum, aliud suum facere, et, ut hic loquitur noster, *obtinere.* Igitur quæ tertio expeditionis anno, excursionibus tantum pervagatus erat Agricola, quarti anni æstate omnino sub Romani imperii ditionem redegit. *Boxhornius.*

Jam redegerat Agricola sub ditionem Rom. quæ ante percurrerat: sed *obtinuit*, id est, quæ celeri quodam virtutis ac victoriæ cursu obierat, subegerat, occuparat, eorum annuæ moræ continua possessione, administratione, et usurpatione, ibi jus populi Romani fundavit: in eis tenendis obduravit obfirmavitque sese; atque ostendit, non se, ut prædam aut gloriolam peteret, sed ea possessurum venisse, ac nec relinquere, neque eripi sibi velle.

Et quin id præsidiis castellisque firmandis consecutus fuerit, mihi dubium non est. Τὸ *percurrit*, explicant *continuit*, haud male; sed aliud proprie est *continere*, aliud *obtinere*: *obtinere* est, pacifice possidere, est perseverare in tenendo, quod Galli dicunt *maintenir et garder*, seu providere, ne qua vis possessionem interrumpat, et si qua tentetur, eam fortiter feliciterque repellere. Vide, quæ notamus ad Livium libro III. 37. *Gronovius.*

Ex Floro aliud est *facere* provinciam, aliud *obtinere*. *Facere* est domare hostem, eum vincere et subigere vi armisque. At *obtinere* provinciam, est illam pacare et pacatam possidere, ita ut nullus hostis intra

sumta: ac, si virtus exercituum et Romani nominis gloria pateretur, inventus in ipsa Britannia terminus.[z] Nam Clota[2] et Bodotria, diversi maris æstibus[3] per immensum revectæ,[4 a]

rat: ac, si fortitudo legionum, et populi Rom. decus id permitteret, repertus est *in ipsa Britannia finis* virtutis ac decoris. *Quippe Glota et Bodotria, contrarii maris æstu* seu reciprocatione aquarum *per infinitum* spatium *re-*

rerat.—2 Ita Mss. Vatic. et editiones veteres. Male Beroaldus et recentiores, *Glota.* Ptolemæo quoque, II. 3. memoratur *Clota æstuarium.* Brotier. Gronovius tamen et Ryckius servant *Glota.*—3 Mss. editiones veteres et recentiores, *æstibus.* Male Rhenanus, *æstus;* Lipsius, *æstu;* [et sic Gronovius et Ryckius.] In Ms. Vatic. 3429. *diversis maris æstibus.* Brotier.—4 Ita Mss. Vatic. et veteres ac recentiores editiones. Male Rhenanus, *revecti,* quod multi postea retinuere, [cum Ryckio et Gronovio.] *Idem.*

NOTÆ

aut extra de possessione contendat, sed cedat, jure victoriæ.

Obtinendis, quæ percurrerat] Florus l. IV. 'Difficilius est provincias obtinere, quam facere: viribus parantur, jure retinentur.' Publius: 'Fortunam citius reperias, quam retineas.'

[z] *Terminus*] Terminus nempe virtutis et gloriæ.

[a] *Nam Glota et Bodotria, diversi maris æstu per immensum revecti*] *Glota,* æstuarium *Dubrettaniæ; Bodotria* æstuarium *Edinburgi.* Savilius. In Veneto legitur, *Diversi maris æstibus per immensum revectæ.* Quod si tantummodo immutemus, *revectæ,* in *revectis:* sic melius erit. Videtur enim isthmum ibi fuisse inter duo maria, ergo et duo æstus diversi maris: qui æstus, sive accessus per immensum revehebantur, id est, longe se intra terras insinuabant, adeo ut angustum ibi terræ spatium relinquerent. Annal. XV. 'Proruptis per immensum ædificiis.' *Pichena.*

Qui *dirimuntur?* haud dubie *Glota* et *Bidotria* fluvio. Quomodo? angusto terrarum spatio. Quare? quia *diversi maris æstu per immensum revecti:* hoc est, hinc atque inde occurrentis æstus impetu et affluxu maris detenti, et velut repulsi in terras, ac retro acti. Atque eo intervallo non longo castellis septo, quicquid interius terrarum erat, parebat Romanis. *Gronovius.*

Illi duo fluvii diverso et diversi maris æstu hinc et inde longe revecti in terras, et hi spatio terrarum angusto inter se diremti: quod spatium castellis occupavit Agricola.

Glota] Vel Clota, fluvius Damniorum populorum in Britannia majore versus septentrionem et occidentem: hodie *Clyde,* in provincia *Clydesdale,* regni Scotiæ ad meridiem et occidentem, labitur in Oceanum occidentalem. Glota æstuarium, est sinus Oceani ad ostium Glotæ fluvii: hodie vocatur *Frith of Clyde,* in latere occidentali regni Scotiæ. *Tillemonius.*

Bodotria] Æstuarium, vel sinus Oceani Germanici, et Damniorum populorum, in ora orientali Britanniæ majoris: hodie *Frith of Forth* Scotis, *Golfe d'Edinbourg* Francis, inter provincias *Lothian* et *Fife* ad mare Allemaniæ, et in latere orientali regni Scotiæ. *Tillemonius.*

angusto[b] terrarum spatio dirimuntur: quod tum præsidiis firmabatur: atque omnis propior sinus tenebatur, summotis velut in aliam insulam hostibus.

24. Quinto expeditionum[c] anno, nave prima[1 d] transgressus, ignotas ad id tempus gentes crebris simul ac prosperis præliis domuit: eamque partem Britanniæ, quæ Hiberniam[e] aspicit, copiis instruxit, in spem[2] magis,[f] quam ob formidi-

pulsi, arcto terrarum limite inter se *dividuntur: qui tum dispositis castellis vallabatur: atque omnis sinus propinquior occupabatur, amandatis velut in aliam insulam hostibus.*

Quinta æstate prima rate transvectus, novas et incognitas hactenus nationes frequentibus simul ac prosperis pugnis debellavit: illudque latus Britanniæ, quod spectat Hiberniam, milite ac præsidiis firmavit, in spem magis, quam ob metum:

1 Ita libri omnes. Emendabat Illustr. Huetius, *navibus tum primum transgressus.* Tentat quoque Cl. de la Bleterie, *gnave transgressus.* At non crediderim hanc esse Taciti mentem stylumve. Nec forte satis certæ Latinitatis, *gnave.* Aperta mihi videtur Taciti narratio. Agricola, summotis ultra Clotam et Bodotriam, velut in aliam insulam, hostibus, transgressus est Clotam æstuarium, *the Gulf of Dumbarton*, nave, Romanarum omnium prima, quæ oras illas scrutata est: eamque Britanniæ partem, quæ Hiberniam aspicit, nempe provincias *Cantire, Carrik, Galloway, Wight, &c.* copiis instruxit. *Brotier.*—2 Optime dictum. Frustra tentat Lipsius, *in speciem*, id est, ad

NOTÆ

[b] *Angusto*] Fluviorum alter a meridie, alter a septentrione revehebatur penitus in terras; attamen inter utrumque adhuc relinquebatur angustum terræ spatium intactum ab illis æstuariis; et ea parte jungebantur ulteriores Britanni cum aliis. Itaque præsidiis Rom. occupat illud spatium Agricola; sicque commercia et conventus et auxilia mutua indomitæ Britanniæ dirimebat prohibebatque. Quo et elucidabitur ille locus Taciti supra, 'ut nulla ante Britanniæ nova pars illacessita transierit.'

[c] *Quinto expeditionum*] Anno urbis conditæ 836. quo consules fuerunt Imp. Domitianus IX. T. Verginius Rufus II. Hic est annus, quo Domitianus philosophos urbe Italiaque exegit. *Virdungus.*

[d] *Nave prima*] Non præcise *prima navis* dicitur, quia *prætoria*, sed quia *prima* transgrediebatur.

[e] *Hiberniam*] De qua sic Mela lib. III. 6. 'Super Britanniam Juverna est pæne par spatio, sed utrimque æqualis, tractu littorum oblonga, cœli ad maturanda semina iniqui: verum adeo luxuriosa herbis, non lætis modo, sed etiam dulcibus, ut se exigua parte diei pecora impleant, et nisi pabulo prohibeantur, diutius pasta dissiliant. Cultores ejus inconditi sunt, et omnium virtutum ignari magis, quam aliæ gentes, aliquatenus tamen gnari, pietatis admodum expertes.' Alii confundunt *Juvernam* cum Islandia.

[f] *In spem magis*] Vel potius, *in speciem magis.* Lipsius.

Τὸ *speciem* ab auctoris mente mihi videtur alienum. Nam si *in speciem* tantum, et ad arma Romana ostentanda, illam Britanniæ partem Agri-

nem: si quidem Hibernia,[g] medio inter Britanniam atque Hispaniam sita,[h] et Gallico quoque mari[i] opportuna, valentissimam[j] Imperii partem magnis invicem usibus miscuerit. Spatium ejus, si Britanniæ comparetur, angustius,[k] nostri maris insulas[l] superat. Solum cœlumque et ingenia cultusque hominum haud multum a Britannia differunt, nec in melius.[3] Aditus portusque per commercia et negotiatores cog-

quippe Hibernia posita medio inter Britanniam et Hispaniam spatio, *et Gallico etiam mari commoda, potentissimam imperii partem magnis invicem opportunitatibus jungere possit. Illius magnitudo, si cum Britannia conferatur, minor*, attamen *nostri æquoris insulis amplior est. Terra, aër, et indoles habitusque incolarum, non multum discrepant a Britannia. Accessus portusque magis comperti per commercia*

ostentandas vires. *Idem.*—3 Brotierus legit *differunt: melius aditus*, et ita

NOTÆ

cola copiis instruxisset, sane *species* illa absque formidine non fuisset.

Verius ergo, *in spem*, scilicet *Hiberniæ potiundæ;* quod etiam ostendunt sequentia verba. *Pichena.*

Si *in speciem* legis, quare ista subjungit? 'Siquidem Hibernia valentissimam imperii partem magnis invicem usibus miscuerit.' Dicere hoc vult: Britanniæ eam partem, quæ *Hiberniam* spectat, copiis ab Agricola instructam, non tam metu ullo, quam *spe* Hiberniam quoque ipsam obtinendi: quod clarum ex sequentibus: 'aditus portusque per commercia et negotiatores cogniti.' Mox: 'Agricola expulsum seditione domestica, &c. in occasionem retinebat.' Facilem quoque rem sibi persuasisse, illa monstrant: 'sæpe ex eo audivi,' &c. Copiis itaque instruxit hanc Britanniæ partem, ut in tempore paratas ad expeditionem haberet. *Acidalius.* Scil. *in spem* magis obtinendi ea parte regionem novam, Hiberniam scil. quam *ob formidinem* rebellionis subjectorum ea parte Britanniæ, quam metu, ne ea parte nos lacesserent, aut Britannis succurrerent Hiberni.

[g] *Hibernia*] Britannicarum insularum una: hodie *Ireland*, regnum et insula; paret regi Magnæ Britanniæ. *Tillemon.*

[h] *Medio inter Britanniam atque Hispaniam sita*] Cave intelligas, *in medio* sitam, id est, æque distantem. Nam Hibernia proxima quidem est Britanniæ, ab Hispania vero longissime abest. Sed, *in medio*, hic significat, in eodem maris spatio sita. *Pichena.*

Hiberniæ talis est situs. Ab ortu habet Britanniam, a qua unius diei navigatione disjungitur: ab occidente, vasto et aperto pulsatur Oceano; a septentrione, Islandiam procul spectat: a meridie, Hispaniæ objecta est, et ab ea tridui navigatione abest. *Virdungus.*

[i] *Gallico ... mari*] Gallicum mare pars est Oceani occidentalis, alluit oram occidentalem Galliæ Lugdunensis. Hodie *Mer de France*, circa Britanniam et Normanniam provincias regni Franciæ. *Tillemonius.*

[j] *Valentissimam*] Intelligit Hispaniam et Galliam.

[k] *Angustius*] Si demas Caledoniam seu Scotiam, non minor est Hibernia, quam Anglia.

[l] *Nostri maris insulas*] Intelligit Me-

niti. Agricola expulsum seditione domestica unum ex Regulis gentis exceperat, ac specie amicitiæ in occasionem retinebat.[m] Sæpe ex eo audivi,[4] legione una et modicis[n] auxiliis debellari obtinerique Hiberniam posse. Idque etiam adversus Britanniam profuturum, si Romana ubique arma, et velut e conspectu libertas tolleretur.

25. Ceterum æstate, qua sextum[o] officii annum inchoabat, amplexus[1] civitates trans Bodotriam sitas,[p] quia motus

mercatoresque. Agricola exceperat unum ex dynastis Hiberniæ, intestina discordia ejectum, et eum prætextu amicitiæ in occasionem reservabat. Sæpe ab illo accepi, posse Hiberniam expugnari et possideri una legione, et modica sociorum manu. Idque etiam usui futurum contra Britanniam, si Romana ubique castra spectarentur, *et libertas velut ex oculis* omnium mortalium *prorsus auferretur.*

Porro ea *expeditione, qua incipiebat sextum administrationis annum,* ipse prætentavit *validas nationes ultra Bodotriam positas, quia bellum omnium ultra popu-*

Rhenanus et recentiores, cum Ryckio et Gronov. Pro *melius*, Rhenanus et Danesius mallent *ejus*, nempe insulæ. Emendabat Muretus, *differunt in melius. Aditus.* In Mss. Vatic. et editionibus veteribus, *differt : in melius aditus.* Ac forte nihil fuit mutandum. Hic enim eleganter usurpatur, *differt. In melius* dici quoque potuit, ea potissimum ætate, qua præpositio *in* erat familiaris, ut *in tantum, in quantum.* Nec fere aliter Tacitus, Annal. XIV. 39. 'Cuncta tamen ad Imperatorem in mollius relata.' *Brotier.* Acidalius corrigit *differunt, nec in melius.* Arripio cum Bipont. hanc emendationem, sine qua vox *melius* plane friget. *Oberl.*—4 Forsan *audivit.* Bipont.

1 Ita Ms. Vatic. 3429. et quidem optime. Perperam in veteribus et re-

NOTÆ

diterraneum mare, et quæ in eo insulæ, ut Siciliam, Cretam, &c. *Savil.*

[m] *In occasionem retinebat*] Ut antea Claudius invaserat Britanniam obtentu Berici regis exulis restituendi. *Virdungus.*

[n] *Legione una et modicis*] Tam enim expertos armis milites habuerunt Romani, testante Vegetio II. 4. ut cuivis bello duæ legiones crederentur posse sufficere : in levioribus autem bellis, ait III. 1. unam legionem, mixtis auxiliis, hoc est 10,000. peditum, et duo millia equitum crediderunt posse sufficere. *Virdungus.*

[o] *Æstate, qua sextum*] Ab urbe condita 837. æræ Christianæ vulgaris 84. Imp. Domitiano X. App. Junio Sabino consulibus.

[p] *Amplas civitates trans Bodotriam sitas*] Lipsius reposuit : *ampla civitate trans Bodotriam sita.* Quod quidem, ut a librorum fide, ita etiam ab historia ipsa recedere videtur.

Nam sic inferretur, unam tantum civitatem trans Bodotriam fuisse ; cum magnam illam Caledoniæ provinciam plures civitates seu populos habuisse, ipse Tacitus affirmet paulo infra : 'cœtibus et sacrificiis conspirationem civitatum sancirent :' ac deinde ; 'legationibus et fœderibus omnium civitatum vires exciverant.' Ubi non de integra Britannia, sed de sola Caledonia sermo. Veterem ergo lectionem restitui. Atque ubi in vulgatis legitur, *portus classe exploravit :* Rhenani judicium secutus correxi, *prius classe exploravit.* Jussit scilicet Agricola, ut classis littora Caledoniæ

universarum ultra gentium, et infesta hostili exercitu[2] itinera, timebantur, portus classe exploravit :[q] quæ, ab Agricola primum assumta in partem virium, sequebatur egregia specie, cum simul terra, simul mari bellum impelleretur,[3] ac sæpe iisdem castris pedes equesque, et nauticus miles, mixti copiis[r] et lætitia, sua quisque facta,[s] suos casus attollerent: ac modo sylvarum et montium profunda, modo tempestatum ac fluctuum adversa, hinc terra et hostis, hinc auctus[4]

lorum, et infensæ insessæque hostilibus copiis viæ metuebantur, ideoque ***portus*** illorum *exploravit cum classe: quæ* tum ***primum ascita ab Agricola in partem copiarum, sectabatur ingenti specie, cum simul terra marique arma promoverentur, ac plerumque in iisdem æstivis pedites equitesque et classiarii milites sociati commeatibus cibisque et gaudio, sua quisque facinora, suos eventus celebrarent: ac nunc saltuum immensa ac montium ardua, nunc procellarum fluctuumque improspera, hinc regio et***

centioribus editionibus, ***amplas civitates.*** In mediis, ***ampla civitate .... sita.*** Gronovius emendabat, ***amplæ civitatis .... sitæ.*** Rhenanus, ut vulgata retineret, mox corrigebat, ***prius*** pro ***portus.*** Tacitus autem dixit, ***amplexus civitates,*** ut supra Annal. xv. 59. ‘ amplectitur rempublicam.’ ***Brotier.*** Ryckius et Gronovius scribunt ***amplas civitates.***—2 Ms. Vatic. 3429. et veteres edd. ***hostilis exercitus.***—3 Ms. Vatic. 3429. et veteres editiones, ***impellitur.*** Frustra tentat Cl. Ernestus, ***inferretur, impingeretur.*** Brotier.—4 Ita, et eleganter, veteres ac recentiores editiones. Pichena aliique, cum Ryckio et Gronovio,

NOTÆ

circumveheretur, atque omnia loca, quæ in mari non longe abessent, exploraret. *Pichena.*

Lego: ***amplæ civitatis trans Bodotriam sitæ, quia motus, &c. timebantur, portus classe exploravit.*** Et ***portus,*** non ***portum,*** quia civitatem ponit, non pro oppido, sed pro gente, vel regione aliquot populos complexa, et late per tractum littoris patente; ad quam erat verisimile, naturam ab Oceano complures aditus portusque patefecisse. Sic dicitur ***civitas Helvetiorum*** Cæsari; ***civitas Hyrcanorum*** Trogo Pompeio. *Gronovius.*

q *Portus classe exploravit*] Et hoc imperatorio officio convenienter, si verum. Dux consuetudinem pelagi, vel loci ante congressum debet cognoscere. Vegetius et Cæsar lib. IV. de bell. Gall. cap. 20.

Pro ***portus*** sæpe legebatur ***prius:*** sed ***portus*** eandem sensum facit, immo et forte meliorem: non enim si bene attendis, prius ***classe exploravit;*** sed simul sequebatur classis, et ***simul terra, simul mari bellum*** impellebatur. Ergo sequebatur classis terrestres copias, seu comitabatur juvabatque: non præcedebat, non prius explorabat. Quasi vero dux incederet sine exercitu!

r ***Mixti copiis***] Forte, mixto milite simul cum remige. Sed tamen malim mixtis inter eos cibis et epulis, aut certe utrisque simul, scil. epulis ac numeris; unde lætitia, et ex lætitia jactatio militaris, ut solet inter istos thrasones. Melius est, ***mixti*** epulis vinoque et cibis inter se.

s ***Lætitia, sua quisque facta***] Expones, ***per lætitiam,*** seu ***præ lætitia.***

Oceanus[t] militari jactantia compararentur. Britannos quo-

hostes, hinc inflatus procellis Oceanus, militari ostentatione conferrentur. Etiam,

****

victus Oceanus. Sic quoque vertit Cl. Gordon, 'Those vanquished Ocean.' Murphy quoque, 'And the spirit, with which he conquered winds and waves.' At *victus* simul ad præcedens *terra* et *hostis* referatur. *Idem.*—

NOTÆ

[t] *Hinc auctus Oceanus*] Putabam, *victus.* Sed quid si *auctus,* quia incognitum mare jam navigatum, et reliquo Oceano quasi adjectum? *Lipsius.*

Hinc auctus Oceanus] Qui novas gentes et adhuc ignotas aperit, is dicitur *auxisse* orbem terrarum, qui revera semper idem, sed non opinione: hinc Alexander ille Magnus, qui plures orbes meditabatur. Juvenalis: '*Æstuat* infelix angusto in limite mundi, Ceu Gyaræ clausus scopulis, parvave Seripho.' *Auctus* ergo *Oceanus* putabatur, quod milites id ulterius navigassent quam antea. Per hæc in memoriam redeo Christophori de Columbo; mirabili cujus ausu, immensus ille vetus orbis minima nunc orbis portio censetur. *Salin.*

Recte *auctus,* quia scil. ab his addita provinciæ regio amplissima, quia novus quæsitus ac domitus hostis; quia novus Oceanus Romanum agnoscebat imperium; ideo promotum *auctumque,* et ei accessio facta videbatur. *Gronovius.*

De Tiberi fluvio dixit Tacitus, *immenso auctu* Hist. I. Et in hac lætitia nondum agitur de præliis, nullum quippe adhuc commissum erat, nec de victoria relata ex hoste aut Oceano, qui hactenus tantum explorabatur: narrant tantum quasi per miraculum 'sylvarum et montium profunda,' &c. scil. nova terra, novus occurrebat hostis, novus et inauditus Oceanus. Forte neutrum recte, nec *victus* nec *auctus.* Forte scripsit, *altus Oceanus,* id est, vastus, profundus, atque in immensum se attollens; nam per miraculum, hæc omnia narrant remiges et milites, jam securi discriminis, ut *sylvarum et montium profunda,* ita *fluctuum adversa,* et *altus Oceanus* inter se *militari jactantia* comparabantur. Forte, *hinc terra et hostis, hinc iratus* seu *infestus Oceanus:* huc ducit series et sententia loci hujus.

Auctus Oceanus] Repono, ut fuit in veteribus libris, *auctus Oceanus,* et explico de æstu, quo intumescit furens hoc mare. Cui sententiæ favet alter locus Taciti lib. II. 24. ubi de classe Germanici, quæ per eas insulas, eodemque mari, tempestate dispersa fuit olim: 'Quanto violentior cetero mari Oceanus, et truculentia cœli præstat Germania, tantum illa clades novitate et magnitudine excessit, &c. Tandem relabente æstu, et secundante vento, claudæ naves, raro remigio, aut intentis vestibus, et quædam a validioribus tractæ revertere .... ut quis e longinquo revenerat, miracula narrabant, vim turbinum [en ergo pariter tum etiam auctus Oceanus] et inauditas volucres, monstra maris, ambiguas hominum et belluarum formas, visa, sive ex metu credita.'

Hinc auctus Oceanus] Visa veluti prodigia nova referunt milites remigesque: miles, scil. *sylvarum et montium profunda,* alii *tempestatum ac fluctuum adversa;* et hinc *terra hostisque,* et hinc *auctus Oceanus* per miraculum comparantur. Igitur τὸ *auctus Oceanus* sumi possit eodem sensu, quo *sylvarum et montium profunda,* scil. sensu proprio et naturali, non improprio aut meta-

que, ut ex captivis audiebatur, visa classis obstupefaciebat, tanquam, aperto maris sui secreto, ultimum victis perfugium clauderetur. Ad manus et arma conversi Caledoniam[u] incolentes populi, paratu magno, majore fama, uti mos est de ignotis, oppugnasse[5] ultro, castella adorti,[v] metum, ut provocantes, addiderant: regrediendumque citra Bodotriam, et excedendum potius,[6] quam pellerentur, specie prudentium ignavi[7] admonebant: cum interim cognoscit, hostes pluribus agminibus irrupturos. Ac, ne superante numero et peritia locorum circumiretur,[8] diviso et ipse in tres partes exercitu incessit.

26. Quod ubi cognitum hosti, mutato repente consilio,[w]

ut ex bello captis comperiebatur, conspecta classis Britannos exterrebat, quasi detecto Oceani sui recessu, supremum pulsis effugium adimeretur. Ad vim bellumque conversæ Caledoniæ gentes, ingenti apparatu, et atrociore fama, ut de incognitis solet, quod ipsæ *ultro lacessissent, aggressi præsidia* Rom. *formidinem, ut oppugnantes, intulerant: et prætextu prudentium segnes persuadebant, recedendum* esse *citra Bodotriam, et* ultro *abeundum potius, quam ejicerentur: cum interea comperit, hostes pluribus cuneis oppugnaturos. Ac, ne numerosioribus copiis, et quia gnari locorum* hostes *erant, circumdaretur, tripartito et ipse exercitu invehebatur.*

Quod ubi compertum est *Britannis, mutata subito sententia, omnes simul noctu*

5 Frustra tentat Lipsius, *oppugnare ultro, castella adoriri.* Alii emendant, *oppugnavere.* Brotier.—6 Mallet Gronovius, *prius, quam pellerentur.*—7 Brotierus scribit *ignavi specie prudentium.* Ita Ms. Vatic. 3429. In veteribus editionibus, *specie ignavi prudentium:* inde in recentioribus fuerat emendatum *specie prudentium ignavi.*—8 Sic bene veteres et recentiores Edd. In Lipsianis *circumirentur.* Brotier.

NOTÆ

phorico. Forte tamen rudis miles imperite *auctum Oceanum* dicit, quia nunc major apparet, quam antea sibi finxerant animo, cum nondum hactenus comperissent Britanniam esse insulam, et circumiri Oceano posse. Sed potius *auctus* hic sit iratus, inflatus, &c. sensu proprio.

Oceanus] Pars Oceani Germanici ad septentrionem et occidentem.

[u] *Caledoniam*] Ortelio Caledoniorum tractus Rossia videtur hodie ex tabulis vocari. Retinet vetus nomen oppidum infra Atholiam ad dextram Tai ripam situm, vulgo *Duncalden.* Eadem vestigia extare in *Caldar* et *Calendar*, auctor Scotiæ Chronico. *Virdungus.*

[v] *Oppugnasse ultro, castella adorti*] Fortasse, *oppugnare ultro, castella adoriri.* Lipsius.

Rectissime Pichena sentit τὸ *oppugnasse*, regi a τῷ *fama:* ut *fama oppugnasse*, sit rumor quod oppugnarint. *Castella*, inquit, *adorti*, et apparatu magno et majore fama, vel ex eo quod oppugnatum ultro venissent, metum addiderant. *Gronovius.*

[w] *Mutato repente consilio*] Cum consilium tuum cognoveris adversariis proditum, dispositionem mutare te convenit, Vegetius 3. ult. *Virdungus.*

universi nonam legionem,[x] ut maxime invalidam, nocte aggressi, inter somnum ac trepidationem cæsis vigilibus, irrupere.[y] Jamque in ipsis castris pugnabant, cum Agricola, iter hostium ab exploratoribus edoctus, et vestigiis insecutus, velocissimos equitum peditumque assultare tergis pugnantium jubet, mox ab universis adjici clamorem: et propinqua luce fulsere[z] signa: ita ancipiti[a] malo territi Britanni: et Romanis redit animus, ac, securi de[1] salute, pro gloria certabant. Ultro quin etiam erupere:[2] et fuit atrox in ipsis portarum angustiis prælium, donec pulsi hostes; utroque exercitu certante, his, ut tulisse opem, illis, ne eguisse auxilio viderentur. Quod nisi paludes et sylvæ fugientes texissent, debellatum illa victoria foret.

27. Cujus constantia[1] ac fama[b] ferox exercitus, [c] nihil

adorti nonam legionem, ut longe infirmiorem, inter soporem atque consternationem, interfectis vigilibus, impetum fecere. Jamque in ipsis castris certabant, cum Agricola, itinere hostium per exploratores comperto, et vestigiis eos *insectatus, pernicissimos equitum peditumque invadere terga dimicantium jubet, dein omnes simul clamorem tollere: et jam proxima luce micuere vexilla* legionum: *sic imminente utrimque hoste perculsi Caledonii: et nostrorum animis redit virtus, ac* jam *certi de incolumitate, pro gloria dimicabant. Quin etiam* ipsi *ultro invasere* hostes: *et fuit immane certamen in ipso portarum aditu, donec fusi Britanni; pugnante utroque agmine, his, ut subvenisse* Nonanis, *illis, ne indiguisse ope existimarentur. Quod nisi lacus saltusque fugaces occultassent, ea victoria confectum patratumque bellum foret.*

Cujus victoriæ *constantia gloriaque elatus erectusque* animis *exercitus,* nihil

1 Brotierus cum Ryckio et Gronov. legit *pro sal. de gloria.* Sed recte Acidalius monuit *pro* et *de* permutari debere. *Ernest.*—2 *Irrupere* veteres editiones habent: [et sic Ryckius et Gronovius.] Utrumque bonum sensum facit. *Oberl.*

1 Tentant Lipsius, Pichena, et Acidalius *cujus conscientia.* Nihil mutan-

NOTÆ

[x] *Nonam legionem*] Multa hic perite fecerunt Britanni; primum quod repente et improviso, deinde quod noctu sopitos, tum quod universi unam legionem, postremo quod hostium invalidissimos adorti sint. *Vird.*

[y] *Irrupere*] In castra nempe Nonæ legionis.

[z] *Fulsere*] Micuere procul signa legionum, quæ gravius incedebant; unde terror in hostem, qui forte major ingruit, quam si de repente et inopinato irruerent legiones.

[a] *Ancipiti*] Nempe a fronte et a tergo oppugnati: scil. a Nonanis hinc; et illinc, ab his qui auxilio advolarant.

[b] *Cujus constantia ac fama*] Fallor, aut *conscientia* legendum. *Lipsius.* Recte sic *constantia* aliquando op-

virtuti suæ invium: penetrandam[2] Caledoniam, inveniendumque tandem Britanniæ terminum continuo præliorum cursu,' fremebant: atque illi modo cauti ac sapientes,[c] promti post eventum ac magniloqui erant. Iniquissima hæc bellorum conditio est: prospera omnes sibi vindicant,

viribus suis impervium: perrumpendam *esse* Caledoniam *fremebant*, reperiendumque tandem *aliquando* finem Britanniæ perpetuo certaminum impetu: *atque illi paulo ante intenti, seduli, ac modesti*, nunc *feroces post fortunam ac vaniloqui erant. Miserrima hæc sors armorum est: res prospere gestas omnes sibi*

dum existimat Illustr. Huetius, ' quod per summam constantiam exercitus hanc victoriam peperisset.' Mox infra cap. 36. ' ac primo congressu eminus certabatur: simul constantia, simul arte Britanni,' &c. *Brotier.*—2 Ms.

NOTÆ

ponitur, non tam levitati ejus hominis qui varius et mutabilis semper, quam timori seu levitati ex timore: quo, scil. perculsus, minus honeste se gerit in certis occasionibus, nec satis firmiter aut severe resistit pro dignitate seu majestate imperii.

Sic insignis *constantia* Alexandri rapientis ad supplicium quosdam de tumultuantibus armatis: cui convenit apud Tacitum Voculæ *constantia* Hist. IV. 25. item Perdiccæ ultro accedentis et increpantis pedestrem exercitum, qui percussorem ad eum miserat. Justin. 13.

Cui constantiæ contrarium est quod habet Tacitus Hist. II. 94. ' Nec coërcebat istas voces Vitellius, super insitam inerti animo ignaviam, conscius sibi instare donativum:' hoc est, præterquam quod a natura nihil habebat *constantiæ*, et horrebat vanos strepitus, nec audebat militaris turbæ insolentiam imperatoria severitate compescere, &c.

Hinc et intelligendum illud Velleii lib. II. 125. in seditione Germanici Pannonicique exercituum, post excessum Augusti: ' quo quidem tempore, ut pleraque egit ignave Germanicus, ita Drusus....prisca antiquaque severitate,' &c. ubi *ignave*, hoc est, parum constanter, parum severe.

Nam hoc quoque *constantiæ* est, tumultuantibus non cedere, atque etiam obviam ire, ut Suetonius loquitur de Julio, cap. 60.

Nec dubium, quin turpiter et mendaciter aduletur Velleius patri et filio, Tiberio scil. et Druso, factumque *constantissimi*, qua licuit, *exempli*, ut agnoscit Suetonius, *ignaviæ* crimine traducat.

Sic fere et eam vocem hic accipimus, ut, *hujus victoriæ constantia et fama ferox exercitus* sit: cujus, scil. sic interritis animis partæ, tantaque fama passim celebratæ memor, atque inde inflatus erat miles.

Sic Annal. lib. XIV. ' At Suetonius mira constantia medios inter hostes Londinium perrexit.' *Gronovius.*

[c] *Cauti ac sapientes*] Intelligebam de his, qui oppugnati intra castra, modo cauti et attenti erant, ut in adversis solet, nunc autem post victoriam feroces et erecti animis fremebant, &c. Alii intelligunt de his, qui supra, ' specie prudentium ignavi admonebant,' recedendum esse ' citra Bodotriam.' His verbis, *atque illi modo cauti, &c.* videtur Tacitus distinguere alios duces ab iis, qui obsessi erant, ceteros, scil. legatos legionum,

adversa uni[3] imputantur.[d] At Britanni non virtute, sed occasione et arte usos[4] rati,[e] nihil ex arrogantia remittere, quo minus juventutem armarent, conjuges ac liberos in loca tuta transferrent, cœtibus ac sacrificiis conspirationem civitatum sancirent: atque ita irritatis utrimque animis discessum.

arrogant, improspera uni tribuuntur. At Britanni qui non fortitudine, sed casu et astu legati *se victos* esse *putabant, nihil ex ferocia minuere, quin copiarum delectus haberent, uxores filiasque in tutas sedes transmitterent, conciliisque et sacrificiis conjurationem populorum sancirent* ac firmarent: *atque ita infestis utrimque odiis abscessum* est.

Vatic. 3429. *et penetrandam.*—3 Sic bene Rhenanus et recentiores. In veteribus editionibus *cum imputantur.* Brotier.—4 Gronovius cum Ryckio et Brotiero scribit *arte ducis rati.* Sed sic hæret sententia. Ernestus conjicit *arte vicisse:* et laude digna hæc conjectura; nec minus illa Brotieri, *arte se victos rati.* Præferam tamen, quam arripio, Bipont. *arte usos,* scil. Romanos: ni malis *arte ducis usos.* Ingeniose quoque Freinshemius, *non virtutem, sed occasionem et artem ducis rati.* Oberl.

NOTÆ

et forte etiam præfectos castrorum ac tribunos et primipili centuriones, qui in consilium vocabantur: a milite scil. eos distinguit, qui tali victoria ferox pervadendam Caledoniam fremebat: vel de toto exercitu indistincte intelligit.

[d] *Adversa uni imputantur*] Hoc est, duci. Sic Hist. IV. de Herennio Gallo: 'Victi, quod tum in morem verterat, non suam ignaviam, sed perfidiam legati culpabant.' *Rhenanus.*

Adversa uni] Sive ante sive post prælium, sive in adversis sive in prosperis, nunquam fas militi imperia ducis sciscitari; at cum adversa ipsi uni imputantur, jam miles se supra ducem attollit, quo nihil exitiabilius. Recteque docet Livius lib. XLIV. 'militem hæc tria curare debere: corpus ut quam validissimum et pernicissimum habeat, arma apta, animum paratum ad subita imperia: cetera scire de se Diis immortalibus et imperatori suo curæ esse. In quo exercitu milites, consul, et imperator vulgi rumoribus circumagatur, ibi nihil salutare esse.'

[e] *Arte ducis rati*] Lego: *non ut virtute, sed occasione et arte ducis superati.* Nam illud *super,* compendio sæpe scriptum, et unica litera: quæ et in fine anteeuntis verbi est, scil. *ducis: occasione* autem *victos* se volunt, quia superventu subito Agricolæ oppressi erant. *Lipsius.*

Non manca hæc: suetum est enim magnitudinis sectatoribus, verbis ibi parcere, ubi sensus ultro emergit. Disce de eorum signifero Thucyd. libro IV. 'Sperabant enim ipsos in vicum Solygiam tentaturos.' Ubi Scholiastes, *subintelligendum τὸ venire.* Sic et hic *victos* facile suppletur. *Salinerius.*

Sensus facile suppletur ex antec. et certe brevitati studet Tacitus; sed nemo tamen mihi persuadebit non ibi deesse aliquid, ut v. g. *se victos, se pulsos rati,* vel quid simile. Forte scripserat, *arte ducis se superatos rati.* Ita ut vox *rati,* alteram similem *superatos* ejecerit.

Arte ducis rati] Potest sensus suppleri ex præcedentibus, *prospera omnes sibi vindicant, uni,* duci nempe,

28. Eadem æstate cohors[f] Usipiorum,[g] per Germanias conscripta,[1] in Britanniam transmissa,[h] magnum ac memorabile facinus[i] ausa est. Occiso Centurione ac militibus, qui, ad tradendam disciplinam immixti[2] manipulis, exem-

Eodem anno cohors Usipiorum apud Germanias delecta, cum in Britanniam transveheretur, ingens atque insigne facinus ausa est. Interfecto centurione et militibus, qui, numeris immixti, ut eos militia Rom. *instituerent,* virtutis ac dis-

1 Brotierus ex Ms. Vatic. 3429. scribit *et in Brit.* at copula deest in libris editis.—2 Sic bene libri editi. Male Ms. Vatic. *immixtis manipulis.*—

NOTÆ

imputantur *adversa.* At Britanni *adversa,* seu adversum prælium contigisse, *non virtute, sed occasione et arte ducis rati, &c.* Quasi diceret, Omnes in se trahunt res prosperas, *adversa uni imputantur:* atque etiam Britanni *adversa* sua, non virtuti, sed occasioni et arti ducis Rom. tribuebant, &c.

Inepte et sine ullo sensu corrigunt, *prostrati,* vel *superati.* Sic enim diserte et absolute loquendo, decus Agricolæ minueret Tacitus. Et cur hæc auctor diceret ex persona sua? Immo Britannos ipsos hanc belli gloriam imminuere decebat. Itaque Britanni ipsi sic sentiebant, non Tacitus; neque historiæ scriptor sic jejune et frigide sapiat aut scribat. Forte sic edidit: *Britanni quasi non virtute, sed occasione et arte ducis superati:* aut quid simile.

[f] *Cohors*] Quæ sexcentorum hominum fuit. Sic quælibet Liburnica ducentos milites vexerit.

[g] *Usipiorum*] Usipetes, populi Germaniæ magnæ ad Rhenum fluvium: hodie pars septentrionalis ducatus *Gueldriæ,* cum *Zutphaniæ* comitatu, in provinciis Unitis. *Tillemonius.*

[h] *Transmissa*] Pro transmittenda: hæc scil. transmittebatur, nondum transmissa erat.

[i] *Magnum ac memorabile facinus*] Olim hoc tanti fuit, quanti nunc penetrasse Magellani sinum, et orbem hunc circumdedisse. Ambrosius libro III. Hexaëm. cap. 3. 'Illud magnum et inausum navigantibus, atque intentatum nautis mare, quod Britannias frementi includit æquore, atque in ulteriora, et ipsis fabulis inaccessa secreta se porrigit.' Hac autem circumvectione retecta Britannia, et insula bona fide approbata. *Lipsius.* Magnum erat et memorabile tali tempore ac loco tales rebellionem moliri, et id sic exequi; dein per omnia extrema tamdiu ærumnosam vitam trahere ac durare. Inceptu, profligatu, exitu *magnum* hoc et *memorabile facinus;* non cursu tantum, quem ne cogitarunt quidem, cum rem ingentis ausi susciperent; quanquam et hujus cœpti fortuna ipsis præcipue miseriis fuerit magna et memorabilis. *Gronov.*

Magnum ac memorabile facinus] Longe majus id quod scribitur de Francis nostris Paneg. Max. Aug. 'Recursabat quippe in animos illa sub Divo Probo et paucorum ex Francis captivorum incredibilis audacia et indigna felicitas, qui a Ponto usque correptis navibus, Græciam Asiamque populati, nec impune plerisque Libyæ littoribus appulsi, ipsas postremo navalibus quondam victoriis nobiles ceperant Syracusas, et immenso itinere pervecti, Oceanum, qua terras rupit, intraverant, atque ita eventu temeritatis ostenderant

plum et rectores[j] habebantur, tres liburnicas, adactis per vim gubernatoribus, ascendere: et uno remigante,[3] [k] suspectis duobus, eoque interfectis, nondum vulgato rumore, ut miraculum[l] prævehebantur:[4] mox hac atque illa rapti, et cum[5] plerisque Britannorum, sua[6] defensantium, prælio congressi, ac sæpe victores, aliquando pulsi, eo ad extremum[m] inopiæ venere, ut infirmissimos[n] suorum, mox sorte ductos, vescerentur. Atque ita circumvecti Britanniam, amissis per insci-

ciplinæ *specimen*, simul *et duces æstimabantur, coactis per vim rectoribus, tres liburnicas conscendere: et uno* istorum *abscedente*, hincque *suspectis duobus* aliis, *ideoque et occisis, nondum sparsa fama* facinoris, *instar prodigii devehebantur* Oceano: *dein huc atque illuc abrepti, et cum plerisque Britannorum, sua propugnantium, dimicantes, ac plerumque superiores, interdum* etiam *repulsi, eo tandem egestatis redacti sunt, ut* primo *suorum invalidissimos vorarent, dein* postremo *sorte ducerent* validos, ut vescerentur. *Atque ita circumeuntes Britanniam, et*

3 Sic Ms. Vatic. a quo discedere et hoc loco nefas puto. *Uno remigante* usi, quem secuti *prævehebantur*; i. e. prætervehebantur littori. Sic bene Bipont. *Oberl.* At Brotierus cum Ryckio et Gronovio habent *remigrante*.—4 *Provehebantur* Gronov. Ryckius et Brotier.—5 Corrupte Ms. Vatic. 3429. et editiones veteres, *mox ad aquam atque ut illa rapti secum*. Brotier.—6 Pomponius Lætus in margine Ms. Vatic. 3429. ascripsit, *ut sua;* quod

NOTÆ

nihil esse clausum piraticæ desperationi quo navigiis pateret accessus.'

[j] *Exemplum et rectores*] Vitam scilicet militarem magistrantes, sive magistros agentes vitæ militaris: 'militaris disciplinæ duces, et proprio exemplo ad similem virtutem gloriamque [manipulares ceterosque] incitantes:' quod Spartianus eleganter: 'exemplo virtutis suæ ceteros adhortari:' vel 'ad exemplum docendi aliquid facere,' ut habet Vopiscus in Tacito. *Virdungus.*

Exemplum] Nempe *exemplum* militiæ, et *rectores*, ut qui, scil. his tyronibus curandis instituendisque disciplina Romana præpositi essent.

[k] *Uno remigante*] An *remigrare* hic significat, remigio aufugere? id quidem fieri non potuit, cum in unaquaque Liburnica tertia pars cohortis esset, quæ gubernatorem vi retinere, atque occidere poterat. Ergo verisimilius est, illum, antequam ex portu solverent, clam se subduxisse, ac domum versus remeasse: nam duos tantum occisos apparet. *Pichena.* Forte initio oram maris ac littus legebant; sicque fugere terra, et latebris aut sylvis se occultare facile fuit: coëgerant ipsos, ut fugæ duces essent.

[l] *Ut miraculum*] Nondum sparso rumore audaciæ et facinoris; cum, scil. navigarent imperiti sine clavo, sine rectore, et fere sine remigio: instar *miraculi* aspiciebantur sic maris et fluctuum arbitrio navigantes; at audito narratoque facinore, mirari gentes desierunt, et cum ad oram appellerent, urgente fame, tandem oppressi sunt.

[m] *Ad extremum*] Id est, postremo, tandem.

[n] *Infirmissimos*] Tanta fuit fames, ut primo invalidos et infirmos, dein sanos validosque etiam *sorte ductos vescerentur.*

tiam regendi navibus, pro prædonibus habiti, primum a Suevis,[o] mox a Frisiis intercepti sunt: ac fuere, quos per commercia venumdatos, et in nostram usque ripam[p] mutatione ementium adductos, indicium tanti casus illustravit.[q] Initio[7] æstatis[r] Agricola, domestico vulnere[s] ictus, anno ante

per imperitiam gubernandi amissis Liburnicis, pro piratis seu latronibus *habiti, primum a Suevis, dein a Frisiis circumventi sunt: atque* eorum *extitere* nonnulli, *qui per nundinas venditi, et ad nostrum usque littus mutatione mercantium advecti, historia tanti accidentis inclaruere. Ineunte æstate Agricola gravi dolore domestico*

sic ipsi placeret.—7 Forte scriptum olim, *initio VII*, vel *septimæ æstatis;* et numerus librariorum errore exciderit. Hæc enim æstas non eadem est, quæ memoratur supra cap. 25. Mox enim infra cap. 34. 'ii sunt quos proximo anno, unam legionem furto noctis agressos, clamore debellastis.' *Brotier.* Sic et Ernestus.

NOTÆ

[o] *Primum a Suevis*] Suevici maris meminit auctor noster in lib. de moribus Germanorum, et tradit ex C. Nepote Plinius, Q. Metello Celeri tum Galliæ proconsuli, Indos a rege Suevorum dono datos, qui ex India commercii causa navigantes, tempestatibus essent in Germaniam abrepti.

Ceterum eas Suevorum sedes hodie Saxones tenent: nam horum annalibus proditur, ex insulis in Toringorum terram eos primum applicuisse. Et Suevi sunt Saxonibus hodieque Toringi, quanquam ex littoralibus mediterranei facti. *Rhenanus.*

A Suevis] Primum a Suevis pro prædonibus habiti, dein tandem *a Frisiis intercepti sunt:* vel forte ab utrisque *intercepti;* nam *tres liburnicas* habuere. Si ille *unus* gubernator remigrarat cum sua liburnica, duæ adhuc supererant, quarum naufragium spargi in Suevos et Frisios, et utrisque prædæ esse potuit. Videntur tamen habuisse tres liburnicas: nam qui invitis tot caligis, qui in navi, remigrasset unus gubernator cum ipsa liburnica? hoc impossibile videtur.

[p] *In nostram usque ripam*] Intelligit sinistram Rheni ripam, nam dextram Germani tenebant. Sic Hist. IV. 'Forte navem haud procul castris frumento gravem, cum per vada hæsisset, Germani in suam ripam trahebant.' *Rhenanus.*

Forte non semper, nec in omnibus locis Rheni dextram ripam tenebant Germani: nam quandoque ultra amnem disposita Romanorum præsidia. Cum secundum flumen incedimus, seu cursum ejus sequimur, descendendo ad ostium, quo erumpit in mare, ea pars, quæ nobis *dextra* est, ripa *dextra* amnis vocatur: sic de sinistra. Et ea ripa, quam Rhenanus natione Germanus et in Germania positus sinistram vocat, nobis Gallis dextra est.

Ripam] Nempe Rheni.

[q] *Illustravit*] Renuntiata narrataque tali fortuna, illi fama innotuere: rumoribus scil. et sermonibus hominum inclaruere.

[r] *Initio æstatis*] Hic casus Agricolæ conjiciendus est in annum officii ejus septimum, ab urbe vero condita 838. Imp. Domitiano XI. T. Aurelio Fulvio consulibus. *Virdungus.*

[s] *Domestico vulnere*] Sic Plin. lib. v. epist. 16. 'Non possum exprimere verbis quantum animo vulnus acceperim, cum audivi Fundanum ipsum,

natum filium[t] amisit. Quem casum neque, ut plerique fortium virorum, ambitiose,[u] neque per lamenta[v] rursus ac

perculsus, genitum sibi *superiori anno filium amisit. Quem luctum neque per ostentationem constantiæ, ut plerique egregii viri, sustinuit, neque etiam in mæsti-*

NOTÆ

(ut multa luctuosa dolor invenit) præcipientem, quod in vestes, margaritas, gemmas, fuerat erogaturus, hoc in thura et unguenta et odores impenderetur.' Hoc dicit de puella ante nuptias intempestivo fato patri erepta et rogo imposita.

[t] *Natum filium*] Qui alter ab eo filio, de quo Tacitus antea, cum scil. Agricola in Asia quæstor esset, et qui interierat puer admodum multos ante annos. At istum novissimum haud dubie susceperat in Britannia.

Anno ante natum filium] Non lugebant solenni ritu pueros investes ac prætextatos, et immatura morte raptos : quod patet clare apud Tacitum, ubi de funere Britannici. Et Plut. Consol. ad uxorem : ' Hoc cujusmodi sit, et quid in eo maxime sit verum, magis prisci atque aviti ostendunt mores ; qui neque infantibus pueris inferias ferebant ; neque cetera faciebant, quæ pro aliis mortuis fieri par est. Nondum enim his terra est communicata, neque eorum quicquam, quæ terra nascuntur. Neque sepulcra exstruebant neque monumenta, nec expositiones mortuorum amabant, nec corporibus assidebant. Hos enim lugere prohibent leges ; perinde ac si impium sit eos lacrymis prosequi, qui in meliorem et magis divinum locum transmigrarunt,' &c.

[u] *Ut plerique fortium virorum, ambitiose*] Dubito, num hic *ambitio* referatur ad principum virorum funera, quæ apud Romanos sumtuosa pompa celebrabantur. Ideo de Germanis in supradicto libro dixit : ' funerum nulla ambitio.' Potius censeo, per *ambitionem* intelligi constantiæ ac fortitudinis ostentationem, quod convenit cum sequentibus verbis, ' neque per lamenta rursus,' &c. *Pichena.*

Id est, ut animi robur, quasi dolori imperare posset, ostentans, nulla humani affectus signa daret : ut is, qui nuntiata morte filii, nihil motus est : ' Sciebam,' inquit, ' me genuisse mortalem.' Hic, ut in omni re, liquet modum esse optimum. *Virdungus.*

Sic veteris instituti ac moris fuit, temperare lacrymas in juniorum funeribus. Sic Ann. XIII. Nero de Britannico : ' Id a majoribus institutum referens, subtrahere oculis acerba funera, neque laudationibus aut pompa distinere.' Neque laudabantur publice in exequiis matronæ juniores, licet nobiles ac splendidæ : id decus usurpatum in fœminis tantum virtute et ætate provectioribus.

Neque ut plerique fortium virorum, ambitiose] Quintil. decl. VIII. ' Non habet orbitas vestra lacrymas ; super ardentes rogos tenetis inconcussam rigidamque faciem ; itis obviam consolationibus ; et quod omnem modum feritatis excedit, captatis in magna calamitate laudari.'

[v] *Per lamenta*] Plut. Consol. ad uxorem : ' Equidem homini pio et benevolo in suos gratulamur, quod eorum qui e vita excesserunt, desiderio, honore, et memoria moveatur ; hæc vero fletuum inexplebilis cupiditas, lacrymas, corporis contusiones lacerationesque afferens, nihilo sane est honestior, quam illa, quæ in voluptatibus versatur immoderatio.'

Infra : ' Quid enim absurdius, quam risum nimium aut immodicum gaudium e vita tollere, his vero fletuum et lamentationum fluctibus ex

mœrorem muliebriter tulit: et in luctu bellum inter remedia[w] erat.

29. Igitur præmissa classe, quæ pluribus locis prædata, magnum et incertum terrorem faceret, expedito exercitu, cui ex Britannis fortissimos et longa pace exploratos addiderat, ad montem Grampium[1][x] pervenit, quem jam hostes insederant.[2] Nam Britanni, nihil fracti pugnæ prioris eventu, et ultionem aut servitium expectantes, tandemque docti, commune periculum concordia[y] propulsandum, legati-

tiam, aut muliebres fletus se ipse effudit: atque in ipso *dolore expeditio inter solatia fuit.*

Itaque prius immissa classe, ut ipsa multis locis prædam agens, ingentem et ambiguum pavorem inferret, ipse cum *delecto agmine, cui Britannorum validissimos et diuturna pace expertos adjecerat, venit ad montem Grampium, quem ante hostes occupaverant. Quippe Britanni, nequaquam dejecti animo ob superioris prælii cladem, et vindictam aut servitutem opperientes, et qui tandem didicerant, commune discrimen communi consilio repellendum* esse, *missis legatis, initoque fœdere, om-*

1 Ms. Vatic. 3429. *Graupium.*—2 Ms. Vatic. 3429. *hostis insederat.*—

NOTÆ

uno fonte deductis in universum prorumpere? ac nonnullos unguenti quidem et purpuræ causa, cum uxoribus pugnas edere, tonsuras vero his lamentabiles, nigras vestes, deformes sessiones, et discubitus laboriosos concedere? quodque omnium est gravissimum, servos aut famulas, si qui supra modum ac præter æquum puniant, resistunt ac prohibent, et tamen acerbam illam punitionem in luctu et casibus, in quos se sponte conjecerunt ipsi, negligunt, qui ipsi tamen etiam facilitate et humanitate indigent.' Plut. ibid. 'Dicit Æsopus, cum Jupiter Diis honores distribueret, etiam Luctum honorem sibi postulavisse: dedit igitur illi hoc, ac sumsit: sed apud eos tantum qui probarent, atque ita vellent.' Quasi summus Deorum id non probaret, sed tantum non sponte id toleraret in Luctu.

[w] *In luctu bellum inter remedia*] Sic Tib. Cæsar, defuncto filio Druso, nihil intermissa rerum cura, 'negotia pro solatiis' accipit, libro IV. Annal. Et hoc est, quod Cicero mœrens obitu filiæ Tulliæ, passim in epistolis negat se habere, ubi acquiescat; quia non amicorum negotiis, non reipublicæ procurationibus impediantur cogitationes, et mœstitia animi non avocetur. *Virdungus.*

[x] *Grampium*] Qui mons mediam Scotiam dividit in *Australem*, sive superiorem; et in *Borealem*, sive inferiorem. Aiunt hunc montem *Granzebaine* prisca Scotorum lingua vocari, hoc est, *montem incurvum*. Plura de eo Hector Boëthius. *Virdungus.*

Grampius] Mons Caledoniorum populorum, &c. in Britannia majore versus septentrionem: hodie *Granzebaine*, provinciarum *Athol*, *Braidalbane*, *&c.* in parte media regni Scotiæ. *Tillemon.*

[y] *Commune periculum concordia*] Hoc, idem Thucydides libro IV. 'Extraneos advenientes, si sapimus, juncti repel-

onibus et fœderibus omnium civitatum vires exciverant. Jamque super triginta millia armatorum aspiciebantur, et adhuc affluebat omnis juventus, et quibus cruda ac viridis senectus, clari bello, ac sua quisque decora[z] gestantes: cum inter plures Duces virtute et genere præstans, nomine Calgacus,[3][a] apud contractam multitudinem, prælium poscentem, in hunc modum locutus fertur:

30. 'Quotiens causas[b] belli et necessitatem[c] nostram intueor, magnus mihi animus est, hodiernum diem, consensumque vestrum, initium libertatis totius Britanniæ fore. Nam et universi servitutis expertes,[d] et nullæ ultra terræ, ac ne

nium nationum copias et auxilia evocarant. Jamque cernebantur plusquam triginta hominum millia, et adhuc confluebant undique juvenes, et quibus valida ac vivida senectus, militia conspicui, ac sua quisque insignia præmiaque virtutis et gloriæ *præferentes: cum inter multos duces fortitudine et nobilitate præcellens, vocabulo Galgacus, talem orationem coram toto exercitu, qui pugnam petebat, habuisse perhibetur:*

Quoties advertit animus ad causas belli, et ad ipsas, quibus premimur, angustias, magna mihi spes est, huncce diem, consensionemque vestram, principium fore libertatis omnium Britannorum. Quippe *nos* omnes a servitio intacti illibatique, et nulla ultra tellus, ac ne Oceanus quidem tutus, in-

3 Ita Mss. Vatic. 3429. et 4498. nec aliter veteres editiones. Perperam ergo in recentioribus, *Galgacus.* Pomponius Lætus, cum in suo exemplari primum scripsisset, *Galgacus,* ipse emendavit, *Calgacus.* Brotier. Gronovius et Ryckius scribunt *Galgacus.*

NOTÆ

lemus: quoniam singuli; et si lædimur, universi periclitamur.'

[z] *Sua quisque decora*] Ut milites Romani, cum triumphum imperatoris sui prosequerentur. Appianus: 'Laureati omnes et fortissimus quisque dona gestans militaria.' Sed et Hist. lib. II. Vitelliani, 'juxta suam quisque centuriam armis donisque fulgentes.'

Decora] Ut phaleras, armillas, torques, equos ipsos, frameas, &c.

[a] *Nomine Galgacus*] Hic *Galauc* apud Liennauc, Triadum libro, inter tres Britanniæ heroës appellatur, ut scribit Cambdenus. *Virdungus.*

[b] *Quoties causas*] Menander: 'Cum feceris aliquid, quod bonum et egregium sit, tum bonam spem accinge tibi; sciens quia virtutem et audaciam, si justam causam suscipis, Deus adjuvat.' Decantatissimum illud: 'Deus frangit et attollit,' &c. *Virdungus.*

[c] *Necessitatem*] Quia inter Romana arma a fronte et Oceanum a tergo positis et velut inclusis *Caledoniis* necessario aut vincendum, aut serviendum fuit.

[d] *Servitutis expertes*] Atque ideo fortiores. Apud Dionem Agrippa memorat, 'Græcos quoque, quamdiu unus solus rempublicam eorum gessit, nihil egregium patrasse: postquam autem populus eam administrare cœperit, præclarissimam famam

mare quidem securum, imminente nobis classe Romana: ita prælium atque arma, quæ fortibus honesta, eadem etiam ignavis tutissima, sunt. Priores pugnæ,[1] [e] quibus adversus Romanos varia fortuna certatum est,[f] spem ac subsidium in nostris manibus habebant: quia nobilissimi[2] [g] totius Britanniæ, eoque in ipsis penetralibus siti, nec servientium littora aspicientes, oculos quoque a contactu[3] dominationis inviolatos habebamus. Nos, terrarum ac libertatis extremos, recessus ipse ac sinus[h] famæ[4] in hunc[5] diem defendit: nunc terminus Britanniæ patet: atque omne ignotum pro magnifico est.[6] Sed nulla jam ultra gens,[i] nihil nisi fluctus

gruente classe Rom. sic certamen atque arma, quæ *viris* egregiis decora, eadem *nunc* quoque inertibus saluberrima sunt. Superiora certamina, quibus adversus Romanos *Britanni* incerto marte dimicarunt *hactenus*, spem opemque in nostris armis reponebant: quia *nos* clarissimi totius Britanniæ, ideoque in ipso intimo sinu repositi *sumus*, neque *vel ipsas* inservientium ripas videntes, oculos etiam *ipsos* a contactu dominationis intemeratos servabamus. Nos, orbis atque libertatis ultimos, ad id usque tempus defendit famæ secretum ac longinquitas: nunc finis Britanniæ compertus est: atque omne incognitum pro magno habetur. Sed jam nulla ultra *nos* natio *est*, nihil nisi

1 Freinshemio Boxhornioque displicent, *pugnæ:* hanc vocem omitti volunt. Minime tamen displicet, maxime cum Cicero, Horatius aliique optimi scriptores sæpissime dixerint, *pugnatas pugnas*, *pugnata bella*, *pugnare pugnam*, *&c.* Brotier.—2 Miror Cl. Ernestum pro, *nobilissimi*, tentare, *novissimi;* nec videre cur, *nobilissimi in penetralibus*, habitent. Id tamen patet. Populi, montium incolæ, ut ceteris duriores fortioresque, sic quoque se nobiliores putant. Porro ut Dii, ita et homines nobilissimi in penetralibus siti. Miraque vis inest in his Calgaci verbis. *Idem.*—3 Sic optime Rhenanus et recentiores. In veteribus editionibus, *contractu.* Brotier.—4 Frustra tentat Muretus, *fama.* Idem.—5 Gronovius scribit, *hanc.*—6 In libris scriptis et editis, *nunc*

NOTÆ

adeptos.' Quin et Romani, post exactos reges, se ipsis meliores ac fortiores extiterunt, ut Sallustius commemorat.

Fatendum est tamen, non omnes ideo populos libertatem concoquere: de quibus usurpes illud Agesilai, 'eos in servitute bonos, in libertate malos esse.' *Virdungus.*

[e] *Priores pugnæ*] Legerim: *priores, quibus adversus Romanos varia fortuna certatum est:* homines enim certaverunt, non pugnæ certatæ. Ii porro populi, ait, spem atque subsidium in nobis habuere, nos si vincamur, nullibi. *Freinshemius.*

Idem sensus est, utrovis modo legas; præfero vulgatam: nam præcedunt hæc, 'prælium atque arma quæ fortibus honesta,' &c.

[f] *Certatum est*] Nempe ab aliis Britannis antea.

[g] *Nobilissimi*] Ideo quia fortissimi; et ideo fortissimi, quia iidem ipsi servitutis hactenus expertes fuimus.

[h] *Sinus*] Secretum et silentium fa-

et saxa: et infestiores[7] Romani:[j] quorum superbiam frustra per obsequium et modestiam effugeris. Raptores orbis,[k]

undæ et scopuli: et intra *Caledoniam* Romani: quorum arrogantiam frustra per obsequelam et lenitatem declinaveris. Prædones orbis, postquam omnia

terminus Britanniæ patet: atque omne ignotum pro magnifico est. Sed nulla jam ultra gens, &c. Muretus delebat, *atque omne ignotum pro magnifico est.* Mutabat Acidalius, et legebat, *sinus famæ (namque omne ignotum pro magnifico est) in hunc diem defendit. Nunc terminus, &c.* Melius adhuc aptiusque cohæreret oratio, si legeretur, *Nos terrarum ac libertatis extremos recessus ipse ac sinus famæ in hunc diem defendit; atque omne ignotum pro magnifico est. Sed nunc terminus Britanniæ patet: nulla jam ultra gens: nihil nisi fluctus, &c.* Sicque vertere Gallici interpretes Brueys, Guerin, de la Bleterie. *Brotier.*—7 Sic optime Ms. Vatic. 3429. Sic quoque volebat Rhenanus, vel *eo manifestiores.* In veteribus editionibus, *inferiores:* unde Lipsius conjiciebat, *iis feriores.* Male emendatum in multis editionibus, [ut in Gronov. et Ryck.] *interiores*

NOTÆ

mæ nos hactenus defendit: seu adversus famam ac bellum, silentium secretumque nobis pro tutela et præsidio fuit.

[i] *Nulla jam ultra gens*] Paneg. Max. Aug. 'Quam nunc insulam remotiorem? quem alium sibi optet Oceanum? quo denique pacto effugere pœnas Reipub. potest? nisi si haustu terræ devoretur, aut turbine aliquo in devia saxa rapitur?'

[j] *Nihil nisi fluctus et saxa: et interiores Romani*] Faciunt ista maxime ad probandam pugnæ necessitatem. Nihil enim restabat Caledoniis, nisi pugnare et vincere. Nam nec a fronte nec a tergo receptui locus. Non a tergo, quia *nullæ ultra terræ:* ultimus enim hic terrarum limes credebatur. Non a fronte, quia reliqua Britanniæ, omnemque ejus regionem ad Caledoniam usque ferro jam subegerant Romani. *Boxhornius.*

Vanum est alterum cornu dilemmatis, scil. illud *a fronte.* Quis enim se recipit a fronte, aut locum receptui habet *a fronte,* hostibus oppositis? Non hic nisi de tergo loquitur: idque ut magis agnoscas, scribe mecum: *sed nulla jam ultra gens, nihil nisi fluctus, et saxa, et infestiora Romanis.* Contra hos enim virtus potest valere; contra ista, nulla: huc igitur incumbendum esse significat, et in hos impetum faciendum. *Gronovius.*

Attamen cum nullus sit perfugio locus, neque a tergo, neque altera parte, et a fronte immineat hostis, huc incumbendum, hac fortiter pugnandum, ea parte vincendum: hoc certe vim concionis auget, et necessitatem omni modo exhibet ostentatque. Hoc vult Tacitus; *Nulla ultra gens* est, quæ nos tueri pugnando possit: nullus est locus, quo perfugere possimus adversus prædones, *raptoresque orbis, nihil nisi fluctus et saxa,* nihil nisi Oceanus undique nos cingit: et *interiores,* id est, intra Caledoniam *Romani,* jam superbe nostris cervicibus insident, imminentque opibus et libertati nostræ, &c. Nihil mutandum.

[k] *Raptores orbis*] 'Remota [enim] justitia, quid sunt regna, nisi magna latrocinia?' inquit eleganter Hipponensis Antistes de Civitate Dei, l. IV. c. 4. Sic Lucanus Alexandrum Magnum 'felicem terrarum prædonem' vocat. Et Scytharum legatus apud Curtium: 'omnium gentium, quas adisti, latro es.' Sic et Pirata ille,

postquam cuncta[8] vastantibus defuere terræ,[9] et mare scrutantur:[l] si locuples hostis est, avari; si pauper, ambitiosi: quos non Oriens, non Occidens, satiaverit. Soli omnium opes atque inopiam[m] pari affectu[n] concupiscunt. Auferre,

populantibus *exhaustæ sunt ac* defuere terræ, *ipsum* etiam pelagus investigant: si dives hostis sit, cupiunt opes; si inops, gloriam famamque sectantur: quos non expleverit Oriens atque Occidens. Soli mortalium divitias atque egestatem pari studio et ardore affectant. Spoliare, occidere, raptare falsis

Romani: cui convenit *τὸ ultra.* Brotier.—8 Editiones ante Rhenan. *cunctis.*—9 Sic bene Rhenanus et recentiores. Perperam veteres editiones *defuere: terram.* Brotier.

NOTÆ

ex quo cum Alexander quæsisset, 'quo scelere impulsus mare haberet infestum?' 'Eodem,' respondit, 'quo tu orbem terræ.' Hoc Cicero de legibus l. III. *Virdungus.*

Raptores orbis] Sic Mithridates apud Sallustium: 'Romani arma in omnes habent, in eos acerrima, quibus victis spolia maxima sunt.' Iterum: 'Romanis cum nationibus, populis, regibus cunctis, una et vetus bellandi causa est, cupido profunda imperii et divitiarum.' Et Catil. 'Libidinem dominandi causam belli habent, et maximam gloriam in maximo imperio putant.' Sed hæc verba hostium; nec unquam potentioribus, et magnis imperiis obtrectare victi aut subditi desinent. Victi et inferiores semper passi injuriam videntur; quia, scil. non fecerunt: quia eandem aliis injuriam facere non possunt, dolent, indignantur.

Raptores orbis] Quod eleganter expressit Lucanus l. x. ubi de Cæsare et Alexandro: 'Intrepidus superum sedes et templa vetusti Numinis, antiquas Macedum testantia vires, Circuit: nulla captus dulcedine rerum, Non auro cultuque Deum, non mœnibus urbis, Effossum tumulis cupide descendit in antrum. Illic Pellæi proles vesana Philippi, Felix prædo jacet, terrarum vindice fato Raptus, sacratis totum spargenda per orbem Membra viri posuere adytis: fortuna pepercit Manibus, et regni duravit ad ultima fatum. Nam sibi libertas unquam si redderet orbem, Ludibrio servatus erat, non utile mundo Editus exemplum, terras tot posse sub uno Esse viro.'

[l] *Postquam .... defuere terræ, et mare scrutantur*] Gell. l. XII. 13. 'Invenimus Tullium tertia in Verrem scripsisse: Est autem modo locus intra Oceanum jam nullus, neque tam longinquus, neque tam reconditus, quo non per hæc tempora nostrorum hominum libido iniquitasque pervaserit.' Hoc ævo Tullii: sed mox et ipsum Oceanum scrutati sunt; jam ante quæ intra et citra Oceanum scrutati erant.

Et mare scrutantur] Petronius Satyr. de bello civili: 'Nec satiatus erat: gravidis freta pulsa carinis Jam peragebatur: si quis sinus abditus ultra, Si qua foret tellus, quæ fulvum mitteret aurum, Hostis erat.'

[m] *Opes atque inopiam*] Inhiant et imminent non solum in fortunas locupletum, sed etiam in sanguinem pauperum; atque adeo, si locuples hostis est, sitiunt opes; si pauper, famam. *Virdungus.*

trucidare, rapere falsis nominibus, *imperium;* atque, ubi solitudinem faciunt, *pacem* appellant.[o]

31. 'Liberos cuique ac propinquos suos natura carissimos esse voluit: hi per delectus, alibi servituri, auferuntur: conjuges sororesque, etsi[1] hostilem libidinem effugiant, nomine *amicorum* atque *hospitum* polluuntur. Bona fortunasque in tributum egerunt; in annonam[2] frumentum: corpora ipsa ac manus, sylvis[p] ac paludibus emuniendis, verbera

vocabulis, *principatum;* atque, ubi desertas vastasque terras reliquerint *ipsi*, *pacem* vocant.

Filios suos ac cognatos unicuique natura dilectissimos esse præcepit: hi specie conscribendi militis, alio in servitutem abripiuntur. Uxores sororesque, si *forte* hostilem cupidinem ac stupra devitent, specie amicitiæ atque hospitii temerantur. Facultates et opes, in stipendium; in commeatum, fruges, exhauriunt: ipsa corpora ac brachia inter plagas ac ludibria, *saltuum stagnorumque aggeribus* struendisque fossis ac molibus firmandis vallandisque sylvis

1 Ms. Vatic. 3429. legit *etiamsi:* Gronovius et Ryckius *et si.*—2 Ita Rhenanus et recentiores. Corrupte in Ms. Vatic. 3429. *bonæ fortunæ quæ in tributum aggerat animus in frumentum, &c.* In editionibus veteribus, *bona fortuna quæ in tributum agerat annus in frumentum.* Unde suspecta vox *egerunt;* et si quid felicius excogitaretur, reponendum. *Brotier.*

NOTÆ

[n] *Pari affectu*] Eadem ambitione, et pari ardore: si locuples hostis est, opes cupiunt; si pauper, victoriæ et rapti orbis, ac servitii publici famam appetunt: libertatemque a Deo, et a natura ipsa inditam, e medio et ex natura ipsa sublatam volunt.

[o] *Pacem appellant*] Solitudo hæc facit ad servitutem: solitudine scil. terras depopulantur vastantque, ut tandem servire gentes oppressæ velint. Et præcipue in extremis imperii finibus *solitudinem* fecere, ut hic in Scotia; ut barbaros procul amoverent, servitutemque victorum populorum sic magis assererent firmarentque in perpetuum. Itaque cum solitudinem fecere et servitutem, hoc *pacem* vocant. Væ victis: meliores imperant, dominique rerum vocabula dant rebus pro nutu et jure suo. Cic. Philipp. 2. 'Et nomen pacis dulce est, et ipsa res salutaris. Sed inter pacem et servitutem plurimum interest. Pax est tranquilla libertas: servitus malorum omnium postremum, non modo bello, sed morte etiam repellendum.'

[p] *Sylvis*] Quia pro civitatibus erant *sylvæ* veteribus Britannis, quas tanquam arces et præsidia sibi postea muniebant Romani, opera scil. et sudore provincialium abutentes; eos talibus laboribus exercebant ac divexabant, cum ipsos statim *in commilitium ascire* intutum existimarent.

Sylvis] Sic vertit Italus Interpres: Atterunt corpora ipsa manusque exscindendo faciendoque per sylvas ligno, et viis per paludes muniendis. Hoc de paludibus forte verum est, quamvis etiam in alium usum paludes muniri possent, nempe vel retinendis aquis, ne multis locis effunderentur, vel in usum et vim præsidiorum ipsorum. At de lignis cædendis in usum

inter[3] ac contumelias, conterunt. Nata servituti mancipia semel veneunt,[q] atque ultro a dominis aluntur:[r] Britannia servitutem suam quotidie emit,[s] quotidie pascit.[t] Ac, sicut in familia recentissimus quisque servorum[u] et[4] conservis

fatigant. Genita servitio mancipia semel venundantur, atque ultro nutriuntur a possessoribus: Britanni singulis diebus captivitatem suam redimunt, quotidie alunt. Et, quemadmodum in familia novissimus quisque servien-

3 Brotierus ex Ms. Vatic. 3429. scribit *inter verbera*. In veteribus Edd. *verbera emuniendis inter*.—4 Ms. Vatic. 3429. *etiam conservis*. Sed *et* pro *etiam* usurpatur. *Brotier*.

NOTÆ

domesticum ibi non agitur: potuerunt cædere sylvas, aggerere ligna et fasces, sed haud dubie in usum aliquem publicum: ipsas sylvas non exscindebant, sed immuniebant, aut partem tantum aliquam scindebant, quia infesta hæc et importuna, aut ut ea materia cetera clauderentur firmarenturque validius.

Sylvis ac paludibus emuniendis] De his adi P. Fabrum Semest. l. II. c. 5. ubi hanc operis publici pœnam Romanos accepisse censet ab Ægyptiis: de quorum rege Æthiope Sabaco Diodorus Siculus l. I. Bibliothecæ.

Vide et eundem l. V. de metallis, quæ in Hispania Romani exercebant. *Virdungus*.

[q] *Mancipia semel veneunt*] Sic Salvianus l. VI. extremo, ubi queritur, Romanos *tributa* barbaris pendere, quæ *munera* vocabant: 'Dicimus donum esse, quod pretium est, et quidem pretium conditionis durissimæ ac miserrimæ. Omnes quippe captivi, cum semel redemti fuerint, libertate potiuntur: nos semper redimimur, et nunquam liberi sumus.' *Lips.*

[r] *A dominis aluntur*] Demensum enim servi accipiebant quot mensibus. *Virdungus.*

[s] *Quotidie emit*] Tributo scil. quod pendit Romanis.

[t] *Quotidie pascit*] Frumento: his enim rebus alebatur exercitus, per quem in servitute Britanni continebantur. *Virdungus.*

[u] *Recentissimus quisque servorum*] Itaque servi recentiores non in magno pretio. Suetonius aliter præfert in Julio c. 47. 'Servitia recentiora politioraque immenso pretio comparasse dicitur.'

Sed rescribo, *servitia decentiora*. Firmat Plinius l. I. epist. 20. 'Credo decentes esse servos, qui mihi sunt emti consilio tuo.' *Lipsius.*

Puto, servitia *recentiora* quandoque erant simul et *decentiora*, et præsertim pueri elegantioris formæ; qui scil. deliciis, splendori, et magnificentiæ magnarum domorum destinati erant; qui et descripti per ætates, colores, et nationes teste Seneca. Et cum dicit Tacitus recentissimum quemque servorum ludibrio aliis servulis esse, hoc verum est indistincte et in genere, non forte in specie: ita ut v. g. intra speciem, seu sectam delicatissimorum ac formosissimorum servorum, *recentiores* simul et *decentiores* essent, non risu digni et præcipue comparati cum aliis servulis, qui destinati vilioribus ministeriis. At in secta aliorum istorum, qui abjectioris sortis erant, hoc verum magis; scil. recentissimum quemque fuisse ludibrio aliis conservis: vel quia nondum apti et facti urbanis ministeriis, et quia adhuc rudes et subrustici erant,

ludibrio est: sic, in hoc orbis terrarum vetere famulatu, novi nos et viles in excidium petimur. Neque enim arva nobis, aut metalla,[v] aut portus sunt, quibus exercendis re-

tium etiam contubernalibus irrisui est: sic, *et* in hac antiqua orbis terrarum servitute, recentes nos et viles in exitium quærimur. Neque enim agri nobis, vel aurifodinæ, aut emporia sunt, quibus *colendis* exercendis*que* conser-

NOTÆ

vel ob priorum nequitiam ac pravitatem: cui nequitiæ nondum facti recentes isti, qui nuper in urbem pedibus albis advecti, et nondum satis imbuti ingeniis et fraude servili; ideoque initio displicebant. Irrisi certe propter industriam artesque et delicata ministeria, quibus novi et rudes isti recentes erant et vetustiores præcellebant. Sed quod spectabat ad dominos splendidiores, et elegantis ingenii eruditique luxus proceres, et etiam ad splendidas delicatasque fœminas, certe *recentes* servuli ætate ac forma, simul et *decentiores* gratioresque erant, quam priores et exoleti, quorum jam ætas provectior, et pulchritudo cum ætate deflorescebat. Quare et *decentes* Plinio, quod idem est ac decori seu honesti dignique domo splendida, vocantur. Quare non temere corrigendus Suetonius loco citato, et illi *decentes* servi Plinii, simul et *recentes* erant; quia scil. nuper *emti*.

Recentissimus] Intelligendum est, plurimum sic se habuisse, ut servi recentiores viliores forent, et irriderentur ab *aliis*, qui jam assueti ingenio magnarum domuum, et ministeriis facti, longe habiliores et elegantiores erant: ut contra novi et recentes servuli inexperti et rudes; ideoque ludibrio aliis erant initio, donec tyrocinii et elegantiæ ac deliciarum Rom. rudimenta deposuissent. Nec enim licuit omnibus habere, et emere pretio formosos decentesque a mangonibus pueros, aut qui jam servissent et experti ministeriorum et elegantiæ essent; qui *decentiores* essent facie, ætate, et cultu, formaque *liberali* præcellerent. Id potuere tantum principes et proceres; *neque* enim *licet omnibus adire Corinthum.* Non tamen vox *recentiora* apud Suetonium fuerit sine sensu: quia nempe ætate juniores recentioresque illi ephebi, ideoque simul et *decentiores* erant: qui opponuntur, ut ait Casaubonus, *exoletis.* Pædagogia illa *recentia* magis tempestiva, seu ætate et vetustate longe excellentiora, magisque decora, et magis ἐν ὥρᾳ, ut dicunt Græci, non vero dura, aut *παρηβηκότα.* Sueton. de Galba 22. 'In mares pronior; et eos, non nisi præduros exoletosque,' &c. Teste Athenæo exoletorum ætas usque ad 28. annum duravit; tum exolescebant delicati isti, et tum vere exoleti ac duri erant: scil. post ætatem pubertatis, quæ 14. anno est, tantundem ætatis, scil. alios 14. annos addebant deliciarum aut libidinum flagitiis.

[v] *Arma nobis, aut metalla*] Arma non potuerunt illis deesse, qui jam in procinctu erant. Itaque legendum, *arva*, hoc est, agri, quibus adjuventur commeatus. *Rhenanus.* Per *arma*, an intelligit armorum officinas, quas in provinciis, ubi ferri copia, instituebant Romani? si corrupta ea vox *arma*, certe emendatio Rhenani non minus mihi suspecta.

Quod vero de *metallis* Tacitus ait, secum pugnare videtur. Supra enim in descriptione Britanniæ dixit: 'Fert Britannia aurum et argentum et alia metalla.' Et Solinus c. 25. 'Præterea

servemur. Virtus porro ac ferocia subjectorum ingrata imperantibus: et longinquitas ac secretum[w] ipsum quo tu-

vemur. Ceterum fortitudo atque audacia subditorum invisa dominantibus: et recessus sinusque ipse quo securior, eo suspectior *est*. Sic, ademta spe salu-

NOTÆ

ut taceam metallorum largam variamque copiam, quibus Britanniæ solum undique generum pollet venis locupletibus.'

Credo conciliationem esse, quod ea insulæ pars, quæ proprie *Britannia* nuncupatur, magisque tunc cognita erat, ferax metallorum esset: non autem *Caledonia*. Immo ad hanc differentiam respiciunt *Caledonii*, quasi dicant, non sunt hæc apud nos, ut apud reliquos Britannos. *Pichena.*

Aut metalla] Quid? nonne ante dictum est, *aurum et argentum* in Britannia esse? Dictum est: sed hic de sese *Caledonii* loquuntur et sentiunt, ubi tunc nihil horum. *Arva* autem non esse; cape illa fertilia et gleba ubere. *Lipsius.*

Aut metalla] Quæ etsi invenissent in his regionibus prædones isti, mallent tamen ex venis hominum eruere aurum, quam ex venis aut rivis terrarum; quod describit facunde Paneg. Theod. 'Nec enim qui regibus mos est, exercendis inviligabat metallis, ut latentia naturæ bona in usum arcesseret, et pararet innoxias nullo pauperiore divitias. Parum ille pretiosum putabat aurum, quod de montium venis, aut fluminum glareis quæsitor Bessus, scrutator Callaicus eruisset: illud purius splendidiusque credebat, quod dedissent dolentes; quod hominum lacrymæ, non amnium aquæ abluissent; nec e terrenis specubus egestum, sed e cervicibus jugulisque cæsorum esset effossum.'

Arva] Non tamen sine sensu legas, *arma*. Nam gentes tributariæ, seu stipendiariæ, suppeditabant etiam arma, non solum in delectu, ut Batavi, qui *arma virosque* imperio subministrabant, sed etiam aliquando *arma* dabant civitates: sic Ædui, exercitui Vitellii, cum in Italiam transiret, Fabio Valente duce, arma præbuerunt. Sic et Lugdunenses Viennensesque. Nec tam *mulctati armis* in pœnam (quid enim commiserant?) quam ut armarent tirones Vitellianos.

Et l. I. 71. cum exercitus Germanici amisisset per æstuaria et paludes Germanicas jumenta, sarcinas, et arma, tum 'ad supplenda exercitus damna, certavere Galliæ, Hispaniæ, Italia, quod cuique promtum, arma, equos, aurum offerentes: quorum laudato studio Germanicus, armis modo et equis ad bellum sumtis, propria pecunia militem juvit.' Sic et l. II. 3.

At Caledonii non habebant *arma*, quia nec metalla eruebant; advectitiis armis utebantur, emebantque a vicinis. Et quis credat, non habuisse illos *arva?* cum et fertilitatem Britanniæ laudet ipse Agricola, et ipsis frumentum imperaretur in annonam subsidiumque militum?

Arva igitur hic memorari putem: sunt quippe hæc tria præcipue, e quibus tributa seu vectigalia erui et augeri possint; nempe annona ex *arvis;* ex metallis opes, arma, stipendia; et ex portibus merces, et cetera necessaria usui invecta: unde præcipui Reipub. reditus.

[w] *Longinquitas ac secretum*] Ob hanc suspicionem ea, quæ procul erant a conspectu imperii sæpius afflixerunt

tius, eo suspectius. Ita, sublata spe veniæ, tandem sumite animum, tam quibus salus, quam quibus gloria, carissima est. Trinobantes,[5] fœmina Duce,[x] exurere coloniam, expugnare castra, ac nisi felicitas in socordiam vertisset, exuere jugum potuere: nos integri et indomiti, et libertatem non in præsentia laturi,[y] primo[z] statim congressu nonne ostendemus,[6] quos sibi Caledonia viros seposuerit?

tis, tandem erigite animos, tam *vos* quibus vita, quam quibus honor, curæ est. Brigantes, reginæ auspiciis, incendere coloniam *Rom.* vi capere castra *potuerunt;* et nisi prosperitas in segnitiem ac vecordiam degenerasset, excutere servitium poterant: nos servitutis expertes et invicti, neque libertatem *nunc* inpræsentiarum reciperaturi, num primo statim prælio demonstrabimus, quos sibi Caledonia populos selegerit?

5 Perperam in veteribus editionibus, *Brigantes;* quod et Ryckius et Gronovius servant. Optime Camdenus, quem Ernestus aliique sunt secuti, emendavit *Trinobantes*, ut patet ex Annal. XIV. 31. Argute nimis, qui *Brigantes* defendunt, quod eorum ac Trinobantum unae ademque sit origo. *Brotier.*—
6 Brotierus cum Ryckio et Gronovio edidit, *et libertatem non in præsentia*

NOTÆ

Romani, quam quæ in propinquo. Sic *Carthaginem* et *Corinthum* procul ac trans mare sitas urbes diruerunt. At *Capuæ* propinquæ pepercerunt, quod arbitrabantur hic in oculis senatus populique Romani nihil posse existere, quod non ante extingui atque opprimi posset, quam plane exortum ac natum foret, ut ait Cicero secunda contra Rullum. *Virdungus.*

[x] *Brigantes, fœmina Duce*] Voadica, hæc quam Tacitus ipse uxorem vult regis Icenorum, populi in Norfolkia, et non *Brigantum*, XIV. Annalium. *Savil.*

Lege, auctore Cambdeno, *Trinobantes:* de Boudicea enim regina loquitur, cui cum Brigantibus nihil rei erat. *Trinobantes* autem illa in arma egit, et Camalodunum coloniam exussit. *Virdungus.*

[y] *Libertatem non in præsentia laturi*] Romana editio, *et in libertatem non in præsentiam laturi.* Malim, *libertatem non in præsenti ablaturi*, vel *illaturi.* In hoc enim sententiæ vis est, integros adhuc Caledonios esse, et libertatem sine ullo jugo illibatam habere. Irent igitur pugnarentque, non ut amissam iterum sibi assererent libertatem, sed tot sæculis sibi retentam tuerentur. *Lipsius.*

Nihil mutem. Ait Galgacus, Caledonios suos libertatem nunc non primum laturos; hoc est, prælio instanti quæsituros, vel adepturos, cum in ea semper antehac vixerint. *Virdungus.*

Vulgata recte habet: id est, libertatem nostram non præsenti prælio asserturi sumus, ut qui inviolatam eam perpetuo obtinuerimus. Attende his quæ præcedunt: 'animus est [seu spes,] hodiernum diem . . . . initium libertatis totius Britanniæ fore. Nam et universi nos servitutis expertes,' &c. Ergo Britannorum omnium soli Caledonii et universi liberi hactenus manserant; ergo non in præsenti pugna libertatem, veluti victoriæ

32. '**An eandem Romanis in bello virtutem, quam in pace lasciviam, adesse creditis? Nostris illi discessionibus[1] ac discordiis clari, vitia hostium in gloriam exercitus sui vertunt:**

An existimatis eandem esse Romanis inter prælia fortitudinem, ac inter otia proterviam? Illi nostris dissidiis ac seditionibus illustres, delicta hostium in decus sui exercitus flectunt: quem conscriptum e variis populis, ut

laturi . . . . non ostendamus . . . . seposuerit? et hanc adjungit notam: 'Ita quidem, sensim sine sensu mutata vetere scriptura, editum. At in Ms. Vatic. 3429. *et in libertatem non in pœnitentiam.* Veteres editiones, *et in libertatem non in præsentiam laturi primo statim congressu unde ostendamus, quos sibi Caledonia viros seposuerit.* Minucianus primus edidit, *in præsentia;* alii postea omisere præpositionem *in* ante *libertatem:* ac demum pro, *unde ostendamus . . . seposuerit,* emendatum a Pichena, *non ostendemus,* ab aliis, *non ostendamus . . . . seposuerit?* Mihi vero et veteris scripturæ vestigia, et rerum, narratarum Annal. XIV. 33. memoriam repetenti probabile videtur Tacitum scripsisse, *et in libertatem, non in prædam, certaturi, primo statim congressu vivide ostendamus quos sibi Caledonia viros seposuerit.* Primo scriptum olim fuisse, *et in libertatem* suadent Mss. et veteres editiones. Deinde, *non in prædam* innuit tum series orationis, tum id quod narrat Tacit. Annal. XIV. 33. 'Barbari, omissis castellis præsidiisque militarium, quod uberrimum spolianti, et defendentibus intutum, læti præda, et aliorum segnes petebant.' Certaturi autem *in libertatem, non in prædam,* Latine dicitur, ut apud Senecam in Thebaid. Act. I. vers. 298. 'Certant in omne facinus.' Denique quod nobis emendandum videatur, *vivide ostendamus . . . . seposuerit,* facit et vetus scriptura, et auctoritas eruditi viri Josephi Scaligeri, qui ita in exemplari suo manu propria emendaverat, teste Rutgersio, 'Lectiones Venusinæ,' cap. 31.

'Hujus autem loci, misere corrupti, innumeræ sunt emendationes ab aliis propositæ, quarum præcipuas memorasse sit satis. Muretus, *et in libertatem, non in populi Romani servitium nati.* Lipsius, *et libertatem non in præsenti ablaturi,* vel *illaturi.* Acidalius, *et minui libertatem non in præsentia laturi.* Heumannus, *et libertatem in præsentia ulturi, non prima statim congressione ostendamus.* Cl. Ernestus, *et libertatem in præmium,* seu *in præmio, laturi, non prima statim congressione ostendamus, &c.* Alii defendunt vulgata, *libertatem non in præsentia laturi,* quod ea antiqua et Corneliana falso existiment.' Sic Brotier. Bipont. ita locum refingunt: *et ii libertatem non in præsens tantum laturi.*

1 Brotierus cum Ryckio et Gronov. exhibet *dissensionibus;* et sic volebat Rhe-

NOTÆ

pretium, *laturi* erant: quo decore se distinguunt, et velut insignes se jactant præ aliis Britannis: 'primo [hoc] congressu non statim ostendemus, quos sibi Caledonia viros seposuerit?'

[1] *Primo*] Alii aliter legunt; *non ostendemus? unde ostendamus?* Alii sine interrogatione, *Nos integri et indomiti, et libertatem non in præsentia laturi; unde primo statim congressu ostendamus, quos sibi viros Caledonia seposuerit.* Alii *unde,* pro *undecumque.* Alii, *abunde ostendamus.* Alii *mundo ostendamus.* Alii, *prima statim congressione ostendamus?* Sed vox *congressus,* magis familiaris Tacito, quam *congressio.*

Non video ego, cur se tantopere torqueant interpretes hoc loco; fuit enim sic in veteribus lib. *non ostendemus:* unde facilis sensus elicitur: Alii Britanni, fœmina duce, cum jam etiam servirent Romanis, exuere et excutere jugum servitutis potuerunt; at nos integri et quorum illibata libertas est hactenus, nos qui libertatem

quem contractum ex diversissimis[a] gentibus, ut secundæ res tenent, ita adversæ dissolvent: nisi si Gallos et Germanos et (pudet dictu) Britannorum plerosque, licet dominationi alienæ sanguinem commodent,[2] diutius tamen hostes quam servos, fide et affectu teneri putatis: metus et terror est,[3] infirma vincula[4] caritatis: quæ ubi removeris, qui[5] timere[b] desierint, odisse incipient. Omnia victoriæ incitamenta pro nobis sunt: nullæ Romanos conjuges accendunt:[6][c] nulli parentes fugam exprobraturi sunt: aut nulla

res prosperæ continent, ita improsperæ dissociabunt: nisi si *forte* creditis, fide et amore contineri Gallos Germanosque, et (piget dicere) plerosque Britannorum, qui imperio extraneo *suum* cruorem accommodant, diutius tamen infensi quam servi: formido ac pavor est *qui continet, sed* invalidi *hi* nexus amoris aut societatis: quibus amotis, qui metuere cessaverint, *jam* aversari incipient. Cuncta victoriæ hortamenta pro nobis sunt: nullæ uxores incitant Romanos: nulli parentes arguent *flagitium, aut* fugam *objectabunt:*

nanus. Pichena et recentiores edidere. Veteres editiones, *discessionibus*.—2 Ita editio princeps; et quidem elegantissime. Suffragatur Ms. Vatic. 3429. *licet dominationi alienæ sanguinem commendent*. Quod Beroaldus, operarum sane vitio, omiserat *licet*, et ediderat *commodent*, emendatum est, *commodantes*. Brotier. Sic autem edidere Gronov. et Ryckius.—3 Ita editio princeps; nec ineleganter. Beroaldus emendavit, *metus et terror sunt infirma vincula, &c.* Brotier. —4 Ms. Vatic. 3429. *vincla*.—5 Tentabat Lipsius, *quos timere desierint*.—6 Bene sic editio princeps et recentiores. Male Beroaldus, *accedunt*. Bro-

NOTÆ

non ex præsenti prælio laturi sumus, 'non ostendemus primo statim congressu, quos sibi Caledonia viros seposuerit?'

[a] *Contractum ex diversissimis*] Quod periculosum. Veget. libro III. 4. 'Interdum movet tumultum ex diversis locis collectus exercitus, et cum pugnare nolit, irasci se simulat, ut non ducatur ad bellum.' Quare non immerito miratur Hannibalem Polybius, quod talem exercitum tanta prudentia rexerit, ut per annos sedecim, nulla nec inter ipsos, nec adversus ducem, seditio extiterit. *Virdungus.*

[b] *Qui timere*] Certe quos timent, simul et aversantur; *quem metuunt, oderunt*. Igitur hic *odisse*, idem est ac promere odium, et erumpere adversus Romanos incipient.

[c] *Conjuges accendunt*] Quippe milites apud Romanos cœlibes: nec enim illis, quamdiu merebant in castris, permittebatur uxores ducere. *Virdungus.*

Nullæ Romanos conjuges accendunt] Plin. de Vir. Ill. 59. ubi de Hostilio Mancino Cos. 'Cum ad Numantiam venisset, exercitum Pompeii acceptum prius corrigere decrevit, inde solitudinem petit. Eo die Numantini forte solenni nuptu filias locabant, et unam speciosam duobus competentibus, pater puellæ conditionem tulit, ut ei illa nuberet, qui hostis dexteram attulisset. Profecti juvenes abscessum Romanorum in modum fugæ properantium cognoscunt, rem ad suos referunt. Illi statim quatuor millibus viginti millia Romanorum

plerisque patria, aut alia, est.[d] Paucos[e] numero,[7][f] trepidos[8] ignorantia,[g] cœlum ipsum ac mare et sylvas, ignota omnia circumspectantes, clausos quodammodo ac vinctos Dii[9] nobis tradiderunt. Ne terreat vanus aspectus[h] et

aut nulli plerisque patrii lares, aut alii sunt. Paucas cohortes trementes undique inscitia *locorum*, astra ipsa atque Oceanum, sylvasque, et insolita cuncta circumspicientes, interseptas quodammodo ac *velut* alligatas Dii nobis *in manus* dederunt. Neque vestros oculos perstringat vana species, et auri

tier.—7 Ita Mss. et veteres ac recentiores editiones. In mediis quibusdam, ut et in Gronov. et Ryckio, *paucos numeros*, id est, cohortes, ut tentabat Lipsius.—8 *Circum* ante *trepidos* inutile sane videbitur; et ab oscitantibus librariis e sequenti verbo *circumspectantes* facile peti potuit: ut jam ab erudito Heumanno fuit observatum. *Brotier.* In suo textu tamen Brotierus *circum* servat, ut et Ryckius et Gronov.—9 Optime sic Lipsius et recentiores. In

NOTÆ

ceciderunt.' Nulla validior in præliis cohors quam amantium, et quos sponsarum fides aut amor accendit.

[d] *Aut nulla plerisque patria, aut alia, est*] Quibus *nulla patria*, sunt hi Britanni, qui, patriæ desertores, *dominationi alienæ sanguinem commodabant:* quibus, *alia patria*, sunt Galli, sunt Germani, sunt Romani ipsi; ex quibus diversissimis gentibus Agricolæ exercitus contractus erat. *Barclaius.*

Nulla] Nulli proprie penates militi, præter ipsa castra, nullæ aliæ sedes.

Aut alia, est] Respicit ad Gallos, Germanos, Batavos, et ipsos Italos ac Romanos, aliosque in legionibus vel auxiliis merentes.

Nulla patria] Eleganter et vere apud Plutar. in Gracchis, Tiberius concionabatur pro Romana plebecula, et pro militibus egenis: 'Feræ certe et belluæ, quæ Italiam pascuntur, habent specus suos, habent cubilia ac latibula suæ ipsarum naturæ propria; at qui pro Italia decertant et moriuntur, neque aëris, cœli, solive, aut luminis, neque ullius alterius rei participes sunt; immo exules et extorres agunt, vagique ipsi errant cum uxoribus et liberis: et imperatores Romani pravo dolo fallunt milites, cum eos adhortantur in præliis, ut pugnent pro aris et focis, pro templis ac sepulchris, et hinc repellant hostes. Nulli enim istorum est ara patria; nulli tot Romanorum militum est avitum monumentum; sed illi immo alienis deliciis, alienisque opibus navantes bellum, et sanguinem suum commodantes pereunt. Et qui domini terrarum orbis appellantur, ne ullam quidem terræ glebam possident.'

[e] *Paucos*] Certe pauci illi, si comparentur cum Britannis; multi, si virtutem ac disciplinam Rom. spectes.

[f] *Numero*] Sæpe *numeros:* intellige vexilla legionum, scil. vexillarios, seu electos ipsarum, et cohortes ipsas alasque; quæ cuncta illo ævo, *vexilla* dicebantur et *numeri*. Nam et illa *vexilla* legionum haud dubie non sine equitatu proprio militabant. Certe ex se discrimen est, inter *cohortes* et *alas:* sed tum hæc corpora militaria omnia, nomine *numerorum* veniebant.

[g] *Trepidos ignorantia*] Miles in locis ac regionibus ignotis plerumque timidior; testis Cæsar libro IV. de bell. Gall.

[h] *Vanus aspectus*] Vegetius I. 13.

auri fulgor atque argenti,[i] quod neque tegit, neque vulneraT.

splendor atque argenti, quod neque tegit, neque ferit. Reperiemus in ipsa

veteribus editionibus, *alii nobis tradiderunt*. Brotier.

NOTÆ

'Non enim vestium nitor, vel auri vel argenti gemmarumque copia hostes, aut ad reverentiam nostram, aut ad gratiam inclinant; sed solo terrore subiguntur armorum.'

[i] *Auri fulgor atque argenti*] Romanorum enim arma auro et argento culta erant. Juvenalis: 'Argenti quod erat, solis fulgebat in armis.' Id simul et ad speciem, et quo tenaciores eorum milites in prælio essent, metu damni, Cæsarem fecisse prodit Suetonius. Adde Plutarchum in Bruto. *Virdungus.*

Auri fulgor atque argenti, quod neque tegit, neque vulnerat] Arma *tegunt*, et tela *vulnerant*. Curt. lib. III. 'Hic tanti apparatus exercitus, hæc tota gentium et totius Orientis excita sedibus suis moles finitimis potest esse terribilis: nitet purpura, aurumque fulget armis et opulentia, &c. Sed Macedonum acies torva sane et inculta, clypeis hastisque immobiles cuneos et conserta robora virorum teget.'

Auri fulgor] Sic Curt. lib. III. 'Illyricos vero et Thraces rapto vivere assuetos, aciem hostium auro purpuraque fulgentem intueri jubebat, prædam non arma gestantem. Irent, et imbellibus fœminis aurum viri eriperent: aspera suorum montium juga, nudosque colles et perpetuo rigentes gelu ditibus Persarum campis agrisque mutarent.'

Auri et argenti] Forte et allusit etiam ad signa et aquilas, quarum aliæ argenteæ, aliæ ex auro solidæ fulgebant, simul et ad alium cultum ornatumque militarem. Tac. de aliis, Hist. lib. IV. 'Illis maximum discrimen, penes quos aurum et opes præcipuæ bellorum causæ.'

Auri fulgor] Livius IX. 'Horridum militem esse debere, non cœlatum auro argentoque, sed ferro et animis fretum.'

Ibid. 'Quippe illa prædam verius quam arma esse: nitentia ante rem, deformia inter sanguinem et vulnera.' Tales Macedones: 'Non auro, neque discolori veste, sed ferro atque ære fulgentes.' Curt. III.

Attamen, contra, Cæsar suos 'habuit tam cultos, ut argento et auro politis armis ornaret, simul et ad speciem, et quo tenaciores eorum in prælio essent, metu damni.' Suet. 68. Et de ipso principe non mirum. Paneg. Nazarii Constantio dict. 'Fulget nobilis galea, et corusca luce gemmarum divinum verticem monstrat: auro clypeus, auro arma collucent. O quantum vim possidet virtus, qua in hoc habitu plus terroris præferas, quam decoris!' Est tamen alius auri fulgor, qui profligat prælia, expugnat urbes, &c. Sic oraculum datum Philippo Macedoni: Ἀργυρέαις λόγχαισι μάχου, καὶ πάντα νικήσεις: *Hastis pugna argentatis, atque omnia vinces.* Cic. I. ad Atticum epist. 12. Omnia castella facile capies, 'in quæ modo asellus onustus auro possit ascendere.' Horatius 2. Serm. 'Divina humanaque pulchris Divitiis parent.' Non ferit ille fulgor auri, sed conciliat aut corrumpit animos: perrumpitque muros occultius, quandoque et certius.

In ipsa hostium acie inveniemus nostras manus:[j] agnoscent Britanni suam causam: recordabuntur Galli priorem libertatem: deserent illos ceteri Germani, tanquam nuper Usipii reliquerunt. Nec quicquam ultra formidinis: vacua castella,[k] senum coloniæ,[l] inter male parentes[m] et injuste imperantes, ægra[10] municipia[n] et discordantia: hic Dux,[o] hic exercitus: ibi tributa et metalla et ceteræ servientium pœnæ: quas in æternum perferre,[11][p] aut statim ulcisci, in

acie Rom. nostras dextras, vires, et copias. *Huc advertent* Britanni, *et* ad causam communem respicient: revocabunt in animum Galli pristinam libertatem; illos relinquent alii Germani, ut nuper Usipii deseruerunt. Nec ulla postea formido; destituta præsidiis castella, veteranorum *invalidæ sunt* coloniæ, inter ægre obsequentes et inique imperitantes, male animata oppida, atque seditiosa: hic imperator, hic legiones: istic vectigalia et metalla et reliquæ subjectorum ærumnæ: quas in perpetuum extendere *vobis*, aut confestim vindicare in hoc certamine licet. Igitur, incessuri *nunc* ad pugnam,

10 Ita bene Mss. Vatic. In veteribus editionibus, *erga*. Brotier.—11 Brotierus cum Ryckio et Gronov. *proferre*. Ms. Vatic. 3429. *perferre*. Reposui cum Bipont. *Oberl.*

NOTÆ

j *Inveniemus nostras manus*] Illos scilicet Gallos, Germanos, et Britannos plerosque, quos metus et terror, 'infirma vincula caritatis,' in præsentiarum continent. *Virdungus.*

Manus] Catervas nostras, quæ vel minus acriter pugnabunt, vel etiam ad nos transibunt; quippe agnoscent 'Britanni suam causam,' et partes suas. Sic et 'recordabuntur Galli priorem libertatem:' sic et Germani illos relinquent.

k *Vacua castella*] Nempe, ut contraheretur ille, qui aderat, exercitus, deserta præsidiis suis castella.

l *Senum coloniæ*] Intelligit colonias veteranorum. *Rhenanus.*

m *Male parentes*] Veteranos taxat, ut qui lascivirent, et licentia militari abuterentur in discordias et pervicaciam adversus duces; vel etiam respicit ad *ægra municipia*.

n *Ægra municipia*] Sic Senecæ, 'conviviorum luxuria ac vestium, ægra civitatis indicia.' Varro apud Nonium: 'Distractione civium elanguescit bonum proprium civitatis, atque ægrotare incipit et consenescit.' Demosthenes: αἱ δὲ πόλεις ἐνόσουν: *civitates morbo laborabant.*

Ægra] Quia, scil. discordiis et seditionibus laborabant: quia injusta ducum imperia, et quia male obsequebantur et subjecti et milites.

o *Hic Dux*] Hoc campo, hoc prælio omnes opes viresque hostium, si vincimus; et omnes etiam pœnæ servientium, si vincimur.

p *Quas in æternum perferre*] Hoc de Romanis dictum est. *Aut statim ulcisci*, hoc de Britannis. *Rhenanus.*

Proferre] *Proferre et ulcisci* utrumque de Britannis dictum est: nempe, aut pœnas vestras in æternum proferetis, o Britanni, si ignavi estis in hoc prælio, aut statim *ulcisci* eas licet, si vos in hoc campo fortiter gesseritis.

hoc campo est. Proinde, ituri in aciem, et majores vestros et posteros cogitate.'[q]

33. Excepere orationem alacres, et barbari[1] moris cantu et fremitu clamoribusque dissonis. Jamque agmina et armorum fulgores,[r] audentissimi cujusque procursu: simul instruebantur[2] acies: cum Agricola, quanquam lætum et vix munimentis[3] coërcitum[s] militem adhortatus,[4][t] ita disse-

ad avos vestros simul et ad nepotes mentem advertite.

Hanc *orationem læti animis, et patrii moris cantu ululatuque ac discordi vociferatione approbarunt. Jamque* passim volitabant *catervæ, et* micabat *armorum splendor, promtissimi cujusque irruptione: simul ordinabantur acies: cum Agricola militem, quamvis* ultro *alacrem et promtum, et vix præceptis* suis *cohi-*

1 Ms. Vatic. 3429. *ut barbaris moris.*—2 In Mss. Vatic. 3429. et 4498. *instruebatur.* Margini Ms. Vatic. 3429. additum, ' alius habet *instituebatur.*'—3 Sic Ms. Vatic. 4498. ita quoque volebat Gronovius. In Ms. Vatic. 3429. et libris editis, *monitis.* Ascriptum margini Ms. Vatic. 3429. ' alius habet *munimentis.*' Patet capite 35. militem castrorum vallo ac munimentis potius, quam monitis, fuisse coërcitum. Ursinus locum totum sic se scriptum invenisse ait in antiquo codice: *et vix munimentis coërcitum militem, accendendum adhuc ratus.* Vide c. 35. Vult Tacitus vix contineri potuisse castris, quin extemplo procurrerent, et audacissimum quemque illum ex barbaris assultantem exciperent ferro ante justum congressum. *Brotier.* Gronov. et Ryck. *monitis.*—4 Brotierus legit *militem accendendum adhuc ratus:* et ita Ms. Vatic. 3429. Mendose libri editi, cum Gronov. et Ryck. *militem adhuc ratus.* Unde Lipsius supplebat, *acuendum, incitandum*, aliudve tale. Vocem *accendendum* insertam ab ingenio mallem omitti, et pro *adhuc ratus* conjunctim *adhortatus* scribi. Sic Brotier. *Adhortatus* a Grotio est, receptum et a Bipont.—

NOTÆ

[q] *Majores vestros et posteros cogitate*] *Majores*, qui felici libertate fruebantur; *posteros*, quos ignavia nostra damnabit perpetuæ servitutis et miserrimæ ignominia. *Savilius.*

Cogitate majores vestros, intuentes admirantesque ipsorum exemplum, et qui vos, veluti prolem degenerem, si vincimini, exhorrebunt; et *posteros*, qui æternum aut vestram ignaviam arguent, aut virtutem laudabunt.

[r] *Agmina et armorum fulgores*] Horatius Od. II. 1. ' Jam fulgor armorum fugaces Terret equos, equitumque vultus.' Dicit autem uterque, *armorum fulgorem*, propter *galeam.* Virgilius Æneid. X. ' Ære caput fulgens, cristaque hirsutus equina.' Et propter *ensem*, aut *hastam.* Virgilius ibidem, ' Subit oras hasta per imas Fulgentis clypei.' *Barclaius.*

[s] *Vix munimentis coërcitum*] Alii aliter legunt: *alloquendum adhuc ratus.* Alii, *et vix munimentis coërcitum militem accendendum adhuc ratus*, vel *militem adhuc cohortandum ratus.* Quidam pro *munimentis* legunt *monitis.* Alii, *adhortatus*, vel *adhuc adhortatus.* Nam miles, licet alacri promtoque animo esset, attamen incitari *adhuc* a duce potuit, et debuit: *σπεύδοντα καὶ αὐτὸν ὀτρύνειν, festinantemque ipsum et incitare.* Alii sic legunt: *quanquam lætum et vix munimentis coërcitum militem adhortaturus ita disseruit.* Sed forte,

ruit: 'Octavus annus est,[u] commilitones,[v] ex quo virtute et

bitum hactenus, *his verbis* attamen *adhortatus est:* Octo jam anni elapsi

NOTÆ

nihil ibi deest; *adhuc* positum pro *hactenus.* Nec sufficiebat egregio duci promtum coërcere militem *monitis,* quibus scil. alacres et audaces retineret; debuit etiam in commune militem alloqui, adhortari, et ipsum accendere, partim ex more, partim ex necessitate, ut sic imperia ducis, et ipsiusmet imperatoris consilia, ardor ejus et alacritas, mortisque et barbarorum contemtus aperte in vulgus prominerent, lateque spargeretur in concionem animosque vulgi virtutis amor, et victoriæ gloriæque augendæ cupido spes certissima incresceret. Certe aliquid ibi desidero, sed quod facile suppletur per mentem.

[t] *Militem adhortatus*] Leg. *militem acuendum adhuc ratus,* aut, *incitandum:* sive aliud tale. *Lipsius.*

Adhuc ratus] Cic. Philipp. 4. 'Faciam igitur, ut imperatores instructa acie solent: quanquam paratissimos milites ad præliandum videant, ut eos tamen adhortentur, sic ego vos ardentes et erectos ad libertatem recuperandam cohortabor.' Forte apud Tacitum fuit, *adhuc adhortandum ratus;* sed similitudo vocem alteram expunxit.

[u] *Octavus annus est*] *Octo* annos ego non exputo: tantum *septem.* Peccatum fortasse notis numeralibus: quibus iota unum male superadditum. Septimo enim expeditionum anno hanc pugnam pugnatam omnia clamant. Illa superiora præcipue: 'Initio æstatis Agricola domestico vulnere ictus, anno ante natum filium amisit.' Æstatem septimam intelligit; nam de sexta, ut de reliquis ordine, proxime præcesserat.

Nec alterum hic annum interjectum illa evincunt in ipsa oratione: 'ii sunt, quos proximo anno, unam legionem furto noctis aggressos, clamore debellastis.' Proximo ait factum, quod factum, indubie *sexto.* Erit igitur hic necessario *septimus.* Acidalius.

Anno urbis conditæ 839. post Christum vero natum, secundum Dionysii computum, 86. Imper. Domitiano XII. Ser. Cornelio Dolabella consulibus. Atque hic est annus, quo agonem Capitolinum Domitianus instituit. *Virdungus.*

A consulatu suo, seu magistratu, et ingressu in provinciam, *octavus annus* vere numerabitur. Consulares illi legati intrabant provincias, priusquam exiisset consulatus, aut certe eodem anno quo obtinuerant consulatum: quod notandum, quia tum breve ævum consulatus, ad duos scil. menses restrictum.

Octavus] Unde numerat? ab introitu suo in provinciam, et ad res suas aptat. *Lipsius.* Nempe sic fortius accendit militem; tanto scil. prosperarum expeditionum numero recensito.

Octavus] Puto, annumerat annum illum, quo Roma profectus est, et penetravit in Britanniam; qui annus ceteris additus octo annos facit. Sic pro concione rem verbis augere licuit, nec vitio datur. Sic infra 34. 'Imponite quinquaginta annis magnum diem:' et tamen erant tantum 44. vel 45. anni. Sic et multis aliis locis Tacitus, ac præsertim in concionibus.

[v] *Commilitones*] Nata adulatio ex ambitione C. Julii Cæsaris. Suetonius capite 69. Inferioris sæculi vocabulum fuit *Consecranei,* quasi ejusdem sacramenti militaris participes,

auspiciis Imperii[w] Romani fide atque opera vestra Britanniam vicistis: tot expeditionibus, tot præliis, seu fortitudine adversus hostes, seu patientia[x] ac labore, pæne adversus ipsam rerum naturam opus fuit: neque me militum, neque vos Ducis pœnituit. Ergo egressi, ego veterum Legatorum, vos priorum exercituum terminos, finem Britanniæ, non fama, nec rumore, sed castris et armis tenemus.[y] Inventa[z] Britannia, et subacta. Equidem sæpe[5] in agmine, cum vos

sunt, o socii, a quibus, numine *simul* et auspiciis imperii Rom. constantiaque et fortitudine vestra Britannos superastis: tot bellis, tot certaminibus, sive virtute adversus hostes, sive tolerantia ac labore, ferme adversus ipsam rerum naturam certandum fuit: neque mihi de militibus, neque vobis de duce querendi locus fuit. Igitur *utrique* fines excessimus, ego priorum ducum, vos veterum exercituum, *et nunc* terminum Britanniæ possidemus, non rumore aut fama, sed copiis et munimentis. Reperta *est tandem* Britannia,

5 Ita Ms. Vatic. 3429. In libris editis, ut in Gronov. et Ryck. deest, *sæpe*.

NOTÆ

vel eorundem castrensium sacrorum socii, apud historiæ Aug. scriptores. *Virdungus.*

Hanc appellationem *commilitonum* sprevit postea rerum dominus Augustus, teste Suetonio; nec caligas huc usque adulandos censuit, nec abs re; et sic a filiis vocari etiam prohibuit. Sed ut tempora sunt et fortuna, ita et allocutiones blandæ, aut severiores.

[w] *Auspiciis Imperii*] Non dicit, *meis auspiciis.* Ipse enim non erat imperator, sed legatus imperatoris. *Virdungus.*

Sed nec *auspiciis principis,* aut *imperatoris,* eum dicere voluit Tacitus; etsi forsan hoc non dicere periculosum fuerit, sub tali scil. domino. Nam Domitianus τῇ κλινοπαλῇ quam bello auspicatior. *Gronovius.*

Hic 'assiduitatem concubitus velut exercitationis genus clinopalem vocabat.' Sueton. Ea oratio magis est Taciti jam secure scribentis felici sæculo Trajani, quam forte ipsius Agricolæ: neque forte sic loqui Agricola ausus esset sub Domitiano, publice saltem.

Dixisset ille, *auspiciis imperatoris,* vel *imperatoriis,* quod idem est. *Auspicia imperii,* idem est ac *fortuna publica,* seu fortuna populi Rom. quæ sæpe illi affuit, ut ait Tacitus libris Hist. Sed talem *imperatorem* jam tum spernebat Tacitus cum scripsit; et certe spernere debuit, quem fama, quem conscientia et vox generis humani jam toto orbe spernebat atque execrabatur. Sic et sprevit infamavitque Plinius junior; et passim in epistolis exagitat calvum hunc Neronem, eumque *latronem* diserte vocat.

[x] *Patientia*] Sic libris Ann. *tolerantissimæ legiones* vocantur: sic et Hist. I. 51. 'Diuque infructuosam et asperam militiam toleraverat.'

[y] *Non fama....tenemus*] Ut hactenus alii legati Britanniam solummodo rumore et inani verborum jactantia obtinuerunt. Sic Veranius l. XIV. 29. 'supremis testamenti verbis ambitionis manifestus; quippe multa in Neronem adulatione addidit, subjecturum ei provinciam fuisse, si biennio proximo vixisset.'

[z] *Inventa*] Tunc igitur illud Cæsaris

paludes montesve et flumina fatigarent, fortissimi cujusque voces[6] audiebam, Quando dabitur hostis, quando acies?[7] Veniunt, e[8] latebris suis extrusi: et vota virtusque in aperto,[a] omniaque prona victoribus,[b] atque eadem victis adversa. Nam, ut superasse[9] tantum itineris, sylvas evasisse, transisse æstuaria, pulchrum ac decorum in frontem; ita[10] fugientibus periculosissima,[c] quæ hodie[11] prosperrima sunt. Neque enim nobis aut locorum eadem notitia, aut commeatuum eadem abundantia: sed manus et arma et in

atque domita. Certe in incessu, in itinere, cum vos stagna montesve et amnes lassarent, *hos* strenuissimi cujusque sermones audiebam, Quando videbitur hostis, quando certare licebit? *Nunc vobis* occurrunt ex aviis saltibus extracti; et *jam* vota virtusque spatium ac liberum egressum habent, et cuncta expedita faciliaque vincentibus, atque eadem victis contraria. Quippe, ut, tot et tanta viarum spatia emensos esse, saltus penetrasse, transmeasse vada, præclarum ac honestum *fuit* in frontem *procedentibus;* sic abscedentibus ac terga dantibus perniciosissima *erunt*, quæ nunc felicissima sunt. Neque enim nobis aut regionis eadem peritia, aut copiarum et annonæ eadem affluentia: sed virtus et arma *sunt*, et in his cuncta. Quod ad me

—6 Sic bene Ms. Vatic. 3429. In editione principe, *voce audiebam.* Beroaldus emendavit *vocem;* quod deinde ceteri, cum Ryckio et Gronov. retinuere.—7 Sic Rhenan. Prius legebatur *animus.*—8 Ita editiones veteres. Male mutatum in recentioribus, *a latebris.* Brotier. Sic autem edidere Gronovius et Ryckius.—9 Sic bene Rhenanus et recentiores. In veteribus editionibus, *superesse.* Brotier.—10 In Ms. Vatic. 3429. et editionibus veteribus, *item fugientibus.*—11 Mallet Ernestus, *hostibus prosperrima sunt.* Quod, inquit, aliter non habeas, quo referas, quæ mox sequuntur, *eadem notitia.... eadem abundantia.* Nihil tamen mutaverim. Hæc brevitas in oratione placet. *Brotier.*

NOTÆ

locum habere potuit, *veni*, seu *inveni*, *vidi*, *vici.*

[a] *In aperto*] Jam votis frui licet; en habetis in manibus, quod toties optastis: jam virtute vestra uti vobis licet; habetis in conspectu hostes, quos tanto labore totque votis quærebatis: en veniunt ipsi et ultro occurrunt e latebris suis extrusi.

In aperto] Jam virtus habet *spatium exemplorum*, jam habet occasionem sese proferendi per eximia facinora: en jam liber egressus fortitudinis et gloriæ: en apertus campus, quo late sui specimen edat exhibeatque virtus vestra. Alibi vocat *pugnam in aperto*, cum pugnare cominus licet et collato gradu: cum scil. 'stat pede pes densusque viro vir;' ita ibi ultro occurrebat hostis, et pugnandi *in aperto* copiam exhibebat, offerebat.

[b] *Omniaque prona victoribus*] Ad imitationem Sallustii: 'Si vincimus, omnia nobis tuta erunt; sin metu cesserimus, eadem illa adversa fient.'

[c] *Fugientibus periculosissima*] Sic Ann. I. 67. 'Quod si fugerent, plures sylvas, profundas magis paludes, sævitiam hostium superesse.'

his omnia. Quod ad me attinet, jam pridem mihi decretum est, neque exercitus, neque Ducis terga[d] tuta esse. Proinde et honesta mors[e] turpi vita potior; et incolumitas ac decus eodem loco sita sunt: nec inglorium fuerit, in ipso terrarum ac naturæ fine cecidisse.

34. 'Si novæ gentes atque ignota acies constitisset, aliorum exercituum exemplis vos hortarer: nunc vestra decora recensete, vestros oculos interrogate. Ii sunt, quos proximo anno, unam legionem furto noctis aggressos, clamore debellastis: ii ceterorum Britannorum fugacissimi, ideoque tam diu superstites. Quomodo sylvas[f] saltusque penetrantibus

spectat, jam olim statui reputavique animo, neque militis, neque ducis fugam tutam esse. Quamobrem et decora mors ignominiosæ vitæ anteponenda *est;* et salus et decus eodem loco posita sunt: nec indecorum fuerit in ipso orbis atque naturæ termino interiisse.

Si novus hostis, atque incognitum agmen in aciem assisteret, vos aliarum legionum exemplis incitarem: nunc gloriæ *virtutisque* vestræ insignia reputate animis, consulite vestros oculos. Ii *ipsi* sunt *hostes,* quos superiori æstate, cum unam legionem nocturno latrocinio adorti essent, solo clamore profligastis: ii reliquorum Britannorum promtissimi ad fugam, ideoque tamdiu *victis aliis* superfuere. Quemadmodum nemora saltusque pervadentibus

NOTÆ

[d] *Neque Ducis terga*] Xenophon. lib. III. παιδ. 'Qui vincere cupiunt, si partem eam corporis quæ cæca est et inermis et destituta brachiis, fugientes opponant offerantque hostibus, ea insania est.' Quod expressit Sallustius: 'In fuga salutem sperare, cum arma, queis corpus tegitur, ab hostibus averteris, ea vero dementia est.'

[e] *Honesta mors*] Curt. l. III. 'Sicut dubium esset an vinceret, ita illud utique certum esse, honeste et cum magna laude periturum.'

[f] *Sylvas*] Plutarch. lib. Terrestria an aquatilia sint callidiora: 'In terrestri venatione ferocia animalia congredientium exercent audaciam et fortitudinem; versuta insidiantium calliditatem; velocia robur et laborum tolerantiam apud insequentes: atque hæc bona venationi tribuuntur,' &c.

Sylvas saltusque penetrantibus] Venatio præcipua dominantium et virorum militarium vere digna occupatio, et quæ propius ad militarem artem laboremque bellicum accedit. Plin. Paneg. 'Olim hæc experientia juventutis, hæc voluptas erat. His artibus futuri duces imbuebantur, certare cum fugacibus feris cursu, audacibus robore, cum callidis astu. Nec mediocre pacis decus habebatur submota campis irruptio ferarum, et obsidione quadam liberatus agrestium labor.' De ignavis principibus addit: 'Usurpabant gloriam istam illi quoque principes, qui obire non poterant: usurpabant autem, ut domitas fractasque claustris feras, ac deinde in ipsorum quidem ludibrium emissas, mentita sagacitate colligerent. Huic par capiendi quærendique sudor, summusque et idem gratissimus labor invenire.'

fortissimum quodque animal contra ruere,[1] pavida et inertia ipso agminis[g] sono, pelluntur: sic acerrimi Britannorum[h] jam pridem ceciderunt: reliquus est numerus ignavorum et metuentium; quos quod tandem invenistis, non[2] restiterunt,[i] sed deprehensi sunt: novissime[3] res[4] et extremo metu corpora defixere[5] in his vestigiis, in quibus pulchram et spectabilem victoriam ederetis. Transigite cum expeditioni-

generosissima quæque bellua fortitudine, timidæ *vero* et ignavæ, ipso incedentium clamore fugantur: sic ferocissimi Britannorum jam olim *fusi ac* cæsi sunt: superest turba inertium et trepidantium; quos quia demum reperistis, haud reluctati illi, sed ultimi inventi sunt: ideoque supremo pavore *velut* attoniti immotique stetere in his locis, in quibus præclaram et insignem victoriam reportaretis. *Vos* finem bellis ac præliis imponite: addite quin-

1 Ita bene Ms. Vatic. 3429. In veteribus editionibus, *animal ruere.* Inde in recentioribus emendatum, *robore.* At minime Cornelianum est, *robore pelluntur.* Brotier. Sic autem edidere Gronovius et Ryckius.—2 Ita Mss. Vatic. et libri editi. Margini Ms. Vatic. 3429. ascripserat Pomponius Lætus, 'quos quod tam diu non invenistis, restiterunt. Sic legendum puto.' At potior est vulgata scriptura, ut attendenti cuique videbitur. *Brotier.*—3 Brotierus legit *deprehensi sunt novissimi:* et sic Rhenanus et recentiores, cum Gronovio et Ryckio. In veteribus editionibus, *novissime.* Vaticano duce cum Brot. locum refingo, adhibita distinctione Bip. Sanum tamen non arbitror. Ceterum a Vaticano parum abludunt Put. et Alc. *Oberl.*—4 Ita Ms. Vatic. 3429. et quidem apte. Veteres editiones pro *res* habent *id.* Inde Pichena emendavit, *ideo extremo metu corpora,* quod Gronovius et Ryckius recepere. Sic res et corpora memoravit Livius, cum Romanorum, capta a Gallis urbe, angustias describeret: 'nec ullius rerum suarum relicti, præter quam corporum, vindices,' Livius v. 42. *Brotier.*—5 Editiones veteres, *defixere aciem in his, &c.* *Aciem* additum puto, quod ante *defixere* interpungebatur hoc modo, *corpora: defixere aciem in his, &c.* Frustra totum hunc locum mutat Cl. Ernestus, *sed deprehensi sunt ignavissimi, et extremo metu torpidi de-*

NOTÆ

Infra ibid. 'Nec vero laudaverim per se magnopere duritiem corporis ac lacertorum; sed si his validior toto corpore animus imperarit, quem non fortunæ indulgentiæ molliant, non copiæ principales ad segnitiem luxumque detorqueant: tunc ergo seu montibus seu mari exerceatur, et lætum opere corpus, et crescentia laboribus membra mirabor. Video enim jam inde antiquitus maritos Dearum ac Deorum liberos, nec dignitate nuptiarum magis, quam his artibus inclaruisse.'

[g] *Agminis*] Solo transeuntium incedentiumque strepitu, aut clamore abiguntur, pelluntur.

[h] *Acerrimi Britannorum*] Æschylus: 'Αλλ' Ἄρης φιλεῖ 'Αεὶ τὰ λῷστα πάντοτ' ἀνθρώπων στρατοῦ. Quod Cicero Philip. ult. 'Mars ipse fortissimum quemque ex acie pignerari solet.'

[i] *Restiterunt*] Non tam substiterunt, quam subito et inopinato reperti ac deprehensi defixere corpora hisce locis.

bus:[j] imponite quinquaginta annis[k] magnum diem:[l] approbate Reipublicæ nunquam exercitui[m] imputari potuisse, aut moras belli,[n] aut causas rebellandi.'[6] [o]

35. Et alloquente adhuc Agricola, militum ardor eminebat, et finem orationis ingens alacritas consecuta est, statimque ad arma discursum. Instinctos[p] ruentesque ita disposuit, ut peditum auxilia,[q] quæ octo millia[1] erant, mediam

quaginta annis gloriosum diem: ostendite Reip. nunquam tribui legionibus potuisse, vel causam prorogandi belli, vel prætextum deficiendi.

Et disserente adhuc Agricola, militum alacritas emicabat, et exitum orationis secutus est ardor ingens, et confestim itum est *ad arma. Incitos et erumpentes ita instruxit, ut octo millia peditum auxiliariorum mediam aciem obtinerent, tria millia*

---

fixere aciem in his, &c. Idem.—6 Ita veteres et recentiores editiones. Male Rhenanus, et qui eum sunt secuti, *debellandi.* Brotier.

1 In Ms. Vatic. 3429. *octo millium.*

NOTÆ

[j] *Transigite cum expeditionibus*] Id est, finite expeditiones. Exponit, cum dicit, 'imponite quinquaginta annis magnum diem.' *Rhenanus.*

[k] *Quinquaginta annis*] A primo, quo Claudius Britanniam ingressus est, die, in quartum aut quintum duntaxat supra quadragesimum annum tempus excurrere videtur. *Savilius.*

[l] *Magnum diem*] Hoc est, quinquaginta annorum bellum finite magno et memorabili prælio. De notione vocabuli *dies*, adi Casaubonum ad lib. II. Suetonii.

[m] *Nunquam exercitui*] Nunquam militi aut legionibus imputari potuisse moram aut impedimentum, quominus bellum profligaretur, et Britanni debellarentur: non præbuisse se causas rebellandi provincialibus et sociis, sed aliis causis id tribui debere; nempe, vel sævitiæ et avaritiæ, vel etiam ignaviæ legatorum, aut cupiditati ac libidini procuratorum ministrorumque a principe datorum, seu inertiæ ducum et discordiæ: quod fere commune omnium præpositorum flagitium fuit.

[n] *Aut moras belli*] Si quid mutandum, forte legi possit: *Nunquam exercitui imputari potuisse, aut causas belli, aut moras debellandi.* Quod fere eundem sensum facit cum vulgata.

[o] *Causas debellandi*] Emendabam, *causas rebellandi.* Sententia proba, ista: nec per vos aut ignaviam vestram minus debellatum, nec per proterviam rebellatum. Sive etiam, per eandem ignaviam: quæ visa hostes animavit et excitavit. *Lips.*

[p] *Instinctos*] Sic Ann. II. 'His vocibus instinctos exercitus propriæ quædam causæ stimulabant:' et supra hoc lib. 'his atque talibus invicem instincti.' *Pichena.*

[q] *Peditum auxilia*] Hoc est, auxiliares copiæ peditum, quæ a legionariis discretæ. *Legiones* enim ex *civibus* constabant, ideo πολιτικὰ στρατεύματα Dioni: *auxilia* vero erant externarum gentium copiæ. *Socii*, qui olim proprie dicti, post Italiam civitate donatam desierunt, et eorum vice *auxilia* fuerunt, quæ ex variis gentibus delecta, quibus Romani imperabant. *Virdungus.*

aciem firmarent,[r] equitum tria millia cornibus affunderentur: legiones pro vallo stetere, ingens victoriæ decus citra Romanum sanguinem bellanti,[2] [s] et auxilium, si pellerentur.[t] Britannorum acies, in speciem simul ac terrorem, editioribus locis[u] constiterat[3] ita, ut primum agmen æquo, ceteri per acclive jugum connexi[4] [v] velut insurgerent; media

equitum in cornibus astarent: legiones pro munimentis dispositæ, qui *magnus honos victoriæ,* duci scil. *sine sanguine Romano bellum facienti,* simul *et validum subsidium* erat, *si* socii *proturbarentur. Britannorum agmina, in speciem simul ac formidinem, altioribus locis ordinata erant: ita ut prima acies* in *æquo, alii per clivum*

2 Ms. Vatic. 3429. et veteres editiones ante Rhenanum, *bellandi.*—3 Ita Ms. Vatic. 3429. In libris editis, *constiterant;* et sic Gronovius et Ryckius. —4 Ms. Vatic. 3429. *convexi.*

NOTÆ

[r] *Auxilia....mediam aciem firmarent*] Sic Ann. II. 16. 'Auxiliares Galli Germanique in fronte, post quos pedites sagittarii, dein quatuor legiones.'

Aciem] Ita disposita acies, ut ea ex solis auxiliaribus et alis equitum, quæ etiam ut plurimum auxiliarium erant, constaret, et legiones Rom. in subsidiis essent, et illæ constituerent seorsim aciem quasi subsidiariam, ac fere instar Triariorum priscæ militiæ, qui velut in subsidiis erant, et fere nunquam pugnabant: quod et hoc casu contigit; nam *citra Rom. sanguinem* debellatum est: sicque socii, seu auxiliares victoriæ Rom. vere *sanguinem* suum *commodarunt.* Sic tunc provinciarum sanguine provinciæ vincebantur. Seneca de ira I. 2.

[s] *Citra Romanum sanguinem bellanti*] Paneg. Max. Aug. 'Ut cum veteribus illius conjurationis auctoribus et mercenariis cuneis barbarorum, tanti apparatus oblitus, irruerit: adeo, Cæsar, hoc etiam Reipub. tribuit vestra felicitas, ut nemo fere Romanus occiderit, imperio vincente Romano.'

[t] *Auxilium, si pellerentur*] Legiones enim exercitus Romani robur, et acies invicta, quæ idcirco *Murus* dicebatur, ut tradit Vegetius, quod expugnatu difficillima foret, tum propter virtutem militum numerumque, tum propter armaturam ac disciplinam.

Etiam quia legionarii familiares notique invicem et amici, expertique una sæpius præliorum. Et quasi fœderatæ invicem cohortes, et cum aquilis et principiis communipularium erant sacratissima vincula, obsequii scil. disciplinæ, fideique honoris, ac religionis: quibus vinculis nihil firmius, nihil sanctius.

[u] *Editioribus locis*] In subjectos enim vehementius tela descendunt, et majore impetu obnitentes pars altior facile repellit. Qui adverso nititur clivo miles duplex subit cum loco et hoste certamen. *Virdungus.*

[v] *Connexi*] Ita dispositi Britanni, ut prima acies illorum in æquo, seu non infesto loco staret; alii *per acclive jugum connexi,* qui iniquus locus: nempe, isti cum illa prima acie *connexi,* quæ in æquo, ita ut eandem fere aciem constituerent: at *media campi covinarius eques* obtinebat; sed ita tamen, (quantum conjicio,) ut in cor-

campi[w] covinarius et[5] eques[x] strepitu ac discursu complebat. Tum Agricola, superante hostium multitudine, veritus, ne

montis contigui veluti sublimes attollerentur; covinarii et equites fremitu atque discursu medium campi tenebant. Tum Agricola, hostibus numero superantibus,

5 Copula *et* abest a Ms. Vatic. 3429. et editionibus veteribus.

NOTÆ

nibus hujus primæ aciei dispositi fuerint *covinarii*, (nam ante prælium huc illuc discurrebant volitabantque,) scil. priusquam manum consererent Romani; sive ex una parte equites essent, et ex altera covinarii, sive in utroque cornu mixti equites et covinarii essent. Et hi in utroque cornu velut in subsidiis erant; quemadmodum tria hæc millia equitum Rom. in acie Rom. etiam cornibus affundebantur.

Et certe Britanni, nutantibus suis qui *in æquo* erant, statim immisere equites, et se simul covinarii prælio peditum miscuere, etiam in clivo montis. Præterea habuerunt Britanni etiam alias copias subsidiarias in summo jugi vertice, quæ in occasionem intentæ, vel impellere victoriam, vel impulsos suos sustinere paratæ erant: idque, more jam Romanorum, qui cohortes in subsidiis et ad *subita belli* reservabant. Itaque *connexi* inter se super acclivi jugo illi, qui sic insurgebant, et etiam *connexi* cum primo agmine, quod in *æquo* stabat.

Connexi] Sic Interpres Hispanus: *Los demas como si tramados unos de otros se fueran levantado por la cuesta arriba.*

[w] *Media campi*] Inter utramque aciem discurrebant, nempe ante prælium. Sed cum inciperet prælium, haud dubie in cornibus utrimque dispositi covini illi et equites: nam primo pugnatum adversus eos, qui *in æquo* steterant; igitur ex mediis campi, quo loco ante volitabant, in stationem suam et aciem propriam astiterant covinarii illi.

[x] *Covinarius et eques*] Mela III. 6. 'Dimicant Britanni, non equitatu modo aut pedite, verum et bigis et curribus Gallice armati. Covinos vocant, quorum falcatis axibus utuntur.' Apud Cæsarem et Tullium vocantur *Essedarii*. Savilius.

Lucanus Pharsal. lib. III. 'Docilis rector monstrati Belga covini;' ubi alii legunt, *constrati*.

Ex his credidere aliqui, *covinarium* dictum covini rectorem, seu aurigam. Nos tamen ex hoc Taciti loco *covinarium* interpretamur, militem ex covino pugnantem; cujus et paulo post meminit: 'interim equitum turmæ fugere; covinarii peditum se prælio miscuere.' *Marc. Donatus.* Quasi vero non confundat hic Tacitus et rectorem covini, et eum qui ex covino pugnaret.

Hierosolymus in Isaiam cap. ult. 'Covini bellici, quibus in bellis Belgæ utebantur.' Talia Gallorum *rheda*, Belgarum *benna* (unde *combennones* Festo, et *combennit*, item *Bennarius* veteri lexico) *Cisium* Galliæ cisalpinæ, *Petorritum* Oscorum, *Ploximum* Transalpinorum.

Primitivum remanet apud Britannos, quibus *Kowain* vehiculo vehere. Apud nostros Gallos nunc etiam manet nomen *Benne;* scil. vehiculum præcipue, quo carbo vehitur, quod

simul in frontem,[y] simul et latera suorum pugnaretur, diductis ordinibus, quanquam porrectior acies futura erat, et 'arcessendas' plerique 'legiones' admonebant, promtior[6] in spem, et firmus adversis, dimisso equo[z] pedes ante vexilla constitit.

36. Ac primo congressu eminus certabatur: simul constantia,[1] [a] simul arte Britanni, ingentibus gladiis[b] et brevibus cetris, missilia[c] nostrorum vitare, vel excutere,[d] atque ipsi

metuens, ne sui simul a fronte et a latere oppugnarentur, laxatis ordinibus, quamvis multo maxime extendenda acies foret, et plerique accersendas legiones *suaderent, erectior animo, et constans improsperis, omisso equo pedes astitit ante signa.*

Ac primo conflictu eminus pugnabatur: et fortitudine simul atque industria Britanni, prælongis ensibus et exiguis scutis, tela nostrorum declinare, vel cetris

6 Ernestus mallet, *pronior in spem.*
1 Ms. Vatic. 3429. *simulque constantia.*

NOTÆ

ligneis cratibus undequaque clausum est. Gallica vox vetus *benne*, crates est.

[y] *Ne simul in frontem*] Quoties periculum erat, ne hostes, producto altero aut etiam utroque suæ aciei cornu, circumvenirent aciem, (quod ὑπερκερᾷν et ὑπερφαλαγγεῖν dicitur,) vel ipsi etiam suos hostes volebant ὑπερκεράσαι, tum necesse erat 'duplicare aciei longitudinem.'

Jubebantque τοὺς ἐπιστάτας μεταβαίνειν εἰς παραστάτην, hoc est, *ut qui prius pone sequerentur;* et essent ἐπιστάται, transirent ad latus τῶν προτοστατῶν, et fierent παραστάται. Sic crescebat τὸ μῆκος τῆς φάλαγγος, *longitudo aciei.*

Scil. jubebant, ut qui a tergo ordinatus esset miles, transiret in primos ordines; et sic in latum et a fronte crescebat acies, cum in profundum decresceret: sicque minus valida erat; sed tamen sic undique cingebat involvebatque aciem hostilem, et ex omni parte oppugnabat; a fronte, scil. et ab utroque latere; at hic tantum laxati ordines.

[z] *Dimisso equo*] Sic Cæsar collaturus signa cum Helvetiis lib. I. et Suet. cap. 60. idemque ad Mundam, referente Frontino lib. II. Simile de Spartaco Plutarchus in Crasso. Vide *Catilinam* Sallustii. *Virdungus.*

[a] *Constantia*] Quæ in pugnando, agendo, sustinendoque prælio et hoste posita est, ut patientia tolerantiaque in ferendo labores, ærumnas, et cetera belli mala, emicat. Fortitudo eadem et constantia est: sed constantia durat ac perseverat; hoc addit fortitudini.

[b] *Ingentibus gladiis*] Videntur fuisse consimiles Gallicis, de quibus Polybius l. II. et Diod. Sicul. l. V. *Virdungus.*

[c] *Brevibus cetris, missilia*] *Cetra* scuti species est, teste Livio XXXI. 36. 'Nocte cetratos, quos peltastas vocant, loco opportuno inter bina castra in insidiis abdiderat.'

Alibi: 'Cetratis immixtos auxiliares Eumenis tria millia ferme peditum æquata fronte instruxit.' *Rhenan.*

magnam vim telorum superfundere: donec Agricola tres[2] Batavorum cohortes ac Tungrorum[e] duas cohortatus est, ut rem ad mucrones ac manus adducerent: quod et ipsis, vetustate militiæ, exercitatum, et hostibus inhabile, parva scuta et enormes gladios gerentibus: nam Britannorum gladii sine mucrone complexum armorum, et in aperto[3] pugnam non tolerabant.[f] Igitur, ut Batavi miscere ictus, ferire

evellere, atque ipsi magnam vim missilium injicere: donec Agricola imperavit tribus Batavorum et duabus Tungrorum cohortibus, ut ferro ac dextra rem aggrederentur; quod et ipsis, longa experientia belli, usitatum, et hostibus adversum, breves cetras et prælongos enses gestantibus: quippe Britannorum enses sine acumine, statariam pugnam, et in libero ac patenti campo haud facile *sustinebant. Itaque, postquam Batavi conserere manus, impellere umbonibus, faciem ferire, et disjectis*

—2 Sic bene Ms. Vatic. 3429. et recentiores editiones. In veteribus, *per Batavorum cohortes.* Brotier.—3 Sic libri omnes editi. Lipsius tentabat, *in opertos*, vel *in operta:* Schelius, *in aperta:* Cl. de la Bleterie, *inoperti.* Felicior ceteris Franciscus Medicis, vir egregius et in multis de Tacito bene meritus, optime emendabat, *in arcto*, cui Pichenus subscribit et Gruterus, ut postulat ipsa orationis series. Sic quoque de Hispanis, Livius, XXVIII. 33. 'in arcto pugna Romano aptior, quam Hispano militi futura videbatur.' Duo in Britannis reprehendit Tacitus, et quod ferire hostem non possent, et quod non possent sese tegere; unde statim liquet, *pugnam in aperto*, Tacitum vocare, in corpora Britannorum non tecta propter parva scuta. *Brotier. In arcto* probant Gruter. et Lallem. recepit Brotier. Verum non video, qui potuerit librariis venire in mentem τῷ *arcto* substituere *aperto.* Hoc proinde ea Tacito esse puto, et respondere τῷ *æquo*, quod sequitur, ut Bipont. monent. *Oberl.*

NOTÆ

[d] *Excutere*] Quidam sic intelligunt: avocabant seu avertebant suis gladiis et cetris tela hostium, et a se depellebant.

[e] *Ac Tungrorum*] Tungri, qui primi Transrhenanorum in Galliam transiere, quam Germaniæ regionem incoluerint, haud satis liquet; eorum tamen nominis vestigium retinere videtur Franconiæ meæ oppidum *Tungersheim:* quod ita videtur dictum, quasi sedes sive *patria Tungrorum.* Virdungus.

[f] *Complexum armorum, et in aperto pugnam non tolerabant*] Quomodo *pugnam in aperto* non tolerabant? Atqui enormes gladii non habiles, nisi ad *apertam pugnam.* Sunt qui legunt, *in arcto*, fortasse non male. Nam simile quiddam de Germanis dixit Ann. l. II. 'Nec minor Germanis animus, sed genere pugnæ et armorum superabantur: cum ingens multitudo, arctis locis, prælongas hastas non protenderet, non colligeret, neque assultibus et velocitate corporum uteretur.'

Livius libro XXVIII. 'Scipio pro se esse loci angustias ratus; et quod in arcto pugna Romano aptior, quam Hispano militi futura videbatur.' Ego a vulgata non discedo: ut *pugna in aperto* dicatur, ad differentiam illius quæ fit ex longinquo, et quasi ex occulto. *Pichena.*

Ad differentiam, scil. pugnæ; qua eminus adversus hostem, et inter mul-

NOTÆ

tos simul bellantes juvantesque, aut defendentes ac propugnantes, quasi ex occulto dimicatur. At hic in tali *complexu armorum*, ubi stat umboni umbo, mucroni mucro, ubi 'stat pede pes, densusque viro vir;' tum *in aperto* virtus, viri, arma, pugna, &c.

Complexum] *Complexum armorum*, seu statariam pugnam, et *in aperto*, non ferebant pari industria aut facilitate, ac Romani, qui longis scutis armati et acutis gladiis, facile transverberabant hostes; dum, scil. parvis cetris muniti barbari ingentes gladios erigerent, qui sine mucrone, et qui sic densæ confertæque pugnæ, parum habiles erant: qua, scil. densus viro vir in acie astat, resistit, et dimicat.

Complexum armorum] Rem elucidabat Gellius IX. 13. ubi de pugna Galli et T. Manlii Torquati. 'Is [Manlius] ut dico, processit; neque passus est virtutem Rom. a Gallo turpiter spoliari. Scuto pedestri et gladio Hispanico cinctus contra Gallum constitit . . . Constiterunt, Gallus sua disciplina, scuto projecto cantabundus; Manlius animo magis quam arte confisus, scutum scuto percussit, atque statum Galli conturbavit. Dum se Gallus iterum eodem pacto constituere studet, Manlius iterum scutum scuto percutit, atque de loco hominem iterum dejecit: eo pacto ei sub Gallicum gladium successit, atque Hispanico pectus hausit: dein continuo humerum dextrum eodem concessu incidit, neque recessit usquam, donec subvertit, ne Gallus impetum icti haberet,' &c. Ubi nota scutum Galli fuisse brevius, et gladium ipsius enormem: quæ omnia adversa Gallo pugnanti *in aperto* erant, impediebantque *complexum armorum;* cum contra Manlii *gladius Hispanicus* esset brevior, et scutum grandius, ideoque *pedestre* id vocat: *scutum* quippe equitum Rom. levius et tractatu facilius.

Sicque id genus armorum Manlio maxime favorabile fuit *in aperto* pugnanti. Sic facile Gallum conturbavit dejecitque e statu, seu vestigio, quo se primo constituerat inter pugnandum, eumque facile subvertit, urgendo acriter, et mucrone incidendo *humerum dextrum*, opponendo, scil. scutum a sinistra, facilius dextrum Galli latus oppugnabat; eoque conturbato, eo usque institit Manlius, ut subverteret; unde victoria: quia, scil. *impetum icti* non haberet Gallus, licet in aperto certaret, ob arma grandiora; et quia *sub Gallicum gladium* enormem statim *successit* Manlius, hominemque uti armis, seu *complexum armorum* prohibuit.

In aperto] Huc facit id Tac. Ann. II. 14. 'Non campos modo militi Romano ad prælium bonos, sed si ratio adsit, sylvas et saltus: nec enim immensa barbarorum scuta, enormes hastas, inter truncos arborum et enata humo virgulta, perinde haberi, quam pila et gladios, et hærentia corpori tegmina: densarent ictus, ora mucronibus quærerent.' Pugnam in aperto non tolerabant Britanni propter breves cetras, neque *complexum armorum*, propter enormes gladios hastasque: sic et Germani, exceptis scutis.

In aperto] Sic pugna dicitur *in aperto*, quia tum vires, arma, miles, campus, decus, virtusque et industria, hostisque ipse, omnia sunt *in aperto:* tum omnia, scil. aperta fortibus ac strenuis viris, tum non alium respectat miles, non alia re se tuetur, quam propriis armis et viribus: nihil ibi occultum aut opertum; jam omnia virtuti patent, et patet ipsa virtus: in animo, in fortitudine sola posita est spes, salus et

NOTÆ

victoria: nihil in aliena ope spei aut subsidii. Quod omnium elegantissime expressit Curtius l. III. 'Duæ... acies ita cohærebant, ut armis arma pulsarent, mucrones in ora dirigerent. Non timido, non ignavo cessare tum licuit, collato pede; quasi singuli inter se dimicarent, in eodem vestigio stabant, donec vincendo locum sibi facerent.'

In aperto] Id est, cominus et collato pede, quod intelligit Tacitus per *complexum armorum:* illa scil. *parva scuta* et *enormes gladii* non patiebantur, ut manum consererent, ut 'staret pede pes, densusque viro vir.' Nam sic armati pugnare cogebantur eminus, et lato liberoque campo, quo scil. spatium esset librandi rotandique illos ingentes gladios. Itaque *in aperto* hic ambiguum, et opponitur aliquatenus lato, liberoque spatio movendi corpora, brachia, et arma. Etiam *parva scuta* non satis tegebant corpora barbarorum, ut pugnare *in aperto*, seu presso pede possent adversus auxiliares istos Romanos, qui huic pugnæ facti, et pridem hac palæstra exercitati, et qui grandioribus clypeis protegebantur; quique enses breviores habilioresque, et mucronibus infestos gestabant, pro more militiæ Rom.

In aperto forte dictum, quia res tum aperto Marte, et strictis mucronibus transigebatur; quod dixit Tacitus supra, 'ut rem ad mucrones ac manus adducerent.' Nunquam magis *aperto marte* pugnatur, quam cum 'stat pede pes,' quam cum vir in virum distringit ensem. Tum corpora corporibus, et arma armis conserta apertaque, et quasi applicita invicem: tum aperta virtus aut ignavia, tum Mars apertus, tum Mars vere communis, et nemo jam manus aut virtutem commilitonum respectat, nemo munimine alieno se tegit, in scuto, in umbone, in manu salus, decus, et victoria.

In aperto] Quod explicat Tacitus Hist. II. 42. 'Collato gradu, corporibus et umbonibus niti, omisso pilorum jactu, gladiis et securibus galeas loricasque perrumpere,' &c.

Pugnam in aperto] Id est, pugnare eminus, aut ex loco sublimi, vel natura aut arte defenso; scil. vel arboribus et virgultis infesto, aut in sylvis suis et paludibus certare mallent. Talibus nempe locis assueti pugnabant audacius, locorum, scil. genio tuti, adversus vim strenuitatemque Rom. At cum ventum esset ad manus, resque ad mucrones adducta foret, in loco æquo et *aperto* jam certe non tolerabant pugnam, et longe Romanis impares erant; qui scil. tali loco, conferta acie, et stataria pugna vincere oppositos quoscumque hostes indubie solebant. Idque soli disciplinæ Rom. concessum eo ævo. Sic supra c. 33. 'Veniunt a latebris suis extrusi: en vota virtusque in aperto,' &c.

In aperto] De qua pugnæ specie sic Dio l. XXXVIII. 'In Germanos priusquam ordines instruerent, incursum cum clamore fecerunt, jaculationemque eorum, qua maxime barbari fidebant, anteverterunt. Ita congressi sunt Romani, ut hostes neque contis neque gladiis longioribus uti possent. Igitur barbari jactare sua corpora, trudereque; iisque magis quam armis uti, obvio quoque evertendo dejiciendoque pugnam facere. Multi breviorum etiam gladiorum usu interclusi, eorum loco, manibus atque ore pugnare.' Hoc est *statim rem ad mucrones ac manus adducere*, quo satis innuit, quid intelligat per *complexum armorum* et *in aperto pugnam.* Sic et Herodianus l. IV. ubi de Parthis:

umbonibus, ora fœdare, et stratis[4] qui in æquo[g] obstiterant,[5] erigere in colles aciem cœpere; ceteræ cohortes, æmulatione et impetu commistæ, proximos quosque cædere: ac plerique semineces, aut integri, festinatione victoriæ, relinquebantur. Interim equitum turmæ fugere,[6] [h] covinarii pe-

qui in æquo steterant, attollere aciem in juga montium cœperunt; reliquæ cohortes, æmulatione et instinctu sese miscentes prælio, *propinquos quosque* fundere, *sternere: ac plerique impetu et ardore maturandæ victoriæ, semianimes aut illæsi omittebantur. Interim turmæ equitum* hostiles *erupere, et covinarii se pugnæ pedes-*

—4 Brotierus cum Ryckio et Gronovio habent *et tractis:* Ernestus malit *stratis,* quem sequor cum Bipont. Brotier. volebat *prostratis,* sed simplex idem notat. Muretus corrigebat *fractis.* Oberlin.—5 Ms. Vatic. 3429. *adstiterant.* —6 Tentat Lipsius, *equitum turmæ effudere,* aut potius, *effusæ.* Ernestus, *erupere.* Sed inutiliter. *Brotier.*

NOTÆ

[f] Cum autem ex equis desilierunt aut dejecti sunt, jam facile capiuntur, quippe qui neque prælium in manibus gerere audent, &c. hi ῥᾷστα ἁλίσκονται, μὴ φέροντες τὴν ἐκ συστάσεως μάχην.'

[g] *Et stratis qui in æquo*] Hoc est, iis qui in planitie constiterant, una veluti ruina prostratis: trahere enim, continuationem quandam sive tenorem, et quod antiqui dicebant, protelum significat: hinc locutio poëtis familiaris, 'trahere ruinam.' *Virdungus.*

Tractis] Id est, cum separati et abstracti essent hi qui *in æquo* loco resistebant, ab illis, nempe, qui in acclivi jugo *connexi* erant. Sic enim distracti ab invicem facile superati sunt. Itaque *tractis,* positum pro *abstractis,* seu *distractis;* simplex pro composito, ut solet Tacitus. Vel potius *tractis,* seu abstractis in ima collis, aut in ruinam impulsis prostratisque; his scil. *qui in æquo,* id est, in plano et justo loco constiterant. Nam ita dispositi Britanni erant, 'ut primum agmen æquo, ceteri per acclive jugum connexi velut insurgerent: media campi covinarius et eques,' &c. Igitur τὸ *æquum,* seu agmen quod in *æquo* erat dispositum, distinguit a ceteris, qui in *acclivi jugo,* et ab illis, qui in *medio campi,* seu in planitie adstiterant. Itaque *tracti* sunt, qui in *æquo;* id est, non arduo aut infesto loco stabant: qui, scil. locus fuit *æquus* et opportunus bellantibus, et qui aciem extendi pateretur, qui et ideo vocatur *æquus:* tales scil. qui ibi constiterant, *traxere* ac profligavere Batavi; ita ut his *tractis,* simul ipsi *erigere in colles aciem* cœperint, eorum scil. locum occupantes, quo validius et propius insisterent adversus alios, qui *per acclive jugum connexi, &c.*

[h] *Interim equitum turmæ fugere*] Unde hæc fuga, cum nec de pugna ulla sermo præcesserit? Vitium hic esse palam odoror. Ecce antea, pro more gentis, instruxit et junxit: 'media,' inquit, 'campi covinarius, et eques discursu ac strepitu complebant.' Itaque isti, ut apparet, aciei interjecti: sed Agricola neglexit, et parte alia invasit Britannos pedites; quod robur censebat. Cœp-

NOTÆ

ta autem pugna, jam equites et covinarii miscentur, sed verbis sic corrigendis. *Interim equitum turmæ effudere, et covinarii peditum se prælio miscuere.* Aut potius, *turmæ effusæ et covinarii.* Profecto jam pugnarunt, et sequens narratio tota dicit: attende. *Lipsius.*

Fugere] Certe ipsi equites Britannorum et covinarii debebant fere eandem aciem constituere, eandemque pugnam, nempe, equestrem, simul certare, et eodem fere modo: debebant enim instar procellæ erumpere, simulque *impetu facto* perumpere aciem Rom.

Et eo consilio simul dispositi initio prælii fuerant: 'media campi covinarius et eques strepitu ac discursu complebat.' At *primum agmen*, nempe peditum, *in æquo, ceteri per acclive jugum* dispositi, et prælium incipit a peditibus, qui in *æquo obstiterant;* quibus victis, itur ad pedites qui *per acclive jugum connexi velut insurgerent;* scil. *in speciem simul ac terrorem*, qui eodem impetu simul *tracti* ac profligati sunt.

Interim equitum turmæ fugere. At quomodo fugerent, qui nondum prælio lacessiti sunt? Immo potius erupere equites, ut et covinarii, cum pedites suos nutantes et impulsos viderunt, et in eadem acie equites et covinarii dispositi; tum at, *covinarii peditum se prælio miscuere*, nempe ut labantem suorum aciem sustinerent. Quidni et equites, qui simul in acie ordinati etiam se ipsis adjungerent? Et certe infra, 'minime equestris ea pugnæ facies:' ergo tum pugnabant etiam *equites.*

Igitur hic legerim, *erumpere*, aut sic deleta voce *fugere: Interim equitum turmæ*, (ibi conjunctio *et* subintelligenda) et *covinarii peditum se prælio miscuere, et quanquam recentem terrorem intulerant*, (Romanis scil.) *densis tamen hostium agminibus*, quod intelligam potius de agminibus suorum peditum, quibus se miscuerant, quam de Romanis, a quibus nondum retinebantur; (nisi postea forte cum ipsis occurrerent in prælio et his impingerentur; at tum non modo *hærebant*, sed et acriter impellebantur,) sed tum propriis *agminibus* impediti *hærebant.*

Quod patet etiam ex his infra, 'ut quemque formido tulerat, transversos aut obvios incursabant,' nempe suosmet *incursabant*, sibimet infesti in acie; in qua sententia et Lipsius fuit. Nam damnum ibi et cladem ipsorum Britannorum narrat Tacitus, quod illis tamen damno non fuisset, si *transversos* Romanos incurrissent: quod præcipue curribus falcatis invecti volebant barbari: immo sic forte illos perrupissent ac profligassent, saltem si compositi et conferti ordine starent in acie pugnarentque.

Itaque suorum agminibus hærebant impediti, ut et *inæqualibus locis;* nec ea vi prorumpebant, qua vellent, et qua hostes impellere possent. Hærebant *inæqualibus locis*, ubi suorum peditum agmina constiterant, et in hæc loca inæqualia se temere immiserant equites et covinarii; ut scil. peditum suorum nutantem aciem sustinerent: et mediis peditum agminibus, seu suorum, seu mox *hostium*, Romanorum scil. et *inæqualibus locis* cum defixi fere starent, ea *minime equestris pugnæ facies erat.* Nam velut in *gradu* et in vestigio *stantes*, et quasi defixi et immoti pugnare cogebantur; et tum equites e clivo illo, seu locis arduis, *simul* cum *equorum corporibus impellebantur*, sternebantur, et infra collem dejiciebantur. Sic similiter et rectores curruum statim afflicti prostratique. Hinc *sæpe vagi*

ditum se prælio miscuere: et, quanquam recentem terrorem intulerant, densis tamen hostium[7] agminibus[i] et inæqualibus locis hærebant: minimeque equestris[j] ea pugnæ facies erat,

trium inseruere: et, quamvis novam formidinem incusserant, confertis tamen hostium cuneis, et iniquis locis retinebantur: et minime equestris erat ea prælii forma,

7 Romanos Tacitus minime dixit, *hostes*. Vel ergo, ut volebat Muretus, emendandum *nostrorum:* vel, quod ob veterem scripturam commodius, *cohortium*, ut monet Ernestus. Recte, ut mihi videtur, Acidalius de agminibus Britannorum exponit, quibus covinarii erant immixti. *Brotier.*

NOTÆ

currus, et *exterriti sine rectoribus:* quod facile et pronum peditibus Rom. ut talibus locis: unde et victoria.

Igitur, quia in Manuscriptis habetur, *cum ægra diu*, legere malim, *cum e gradu stantes*, nempe *impellerentur*, ac dejicerentur; ob moram scil. quam afferebat moles obstantium, occurrentium, incurrentiumque agminum, et simul ob asperitatem et iniquitatem locorum, velut in gradu ac vestigio immoti atque defixi erant et equites et rectores curruum.

Hinc illi equites, veluti stataria pugna, decertare coacti sunt: et ex illa statione seu gradu, quippe ut in clivo, facile dejecti a Romanis peditibus, quod Britannis exitio fuit.

Equites non fugisse, neque abscessisse e pugna, clare liquet ex his verbis, *minimeque equestris ea pugnæ facies erat, cum in gradu stantes*, equites nempe, *simul* cum *equorum corporibus impellerentur*. Et diserte distinguit hic Tacitus *equites* a *rectoribus curruum;* addit enim statim: 'vagi currus, exterriti sine rectoribus equi:' et τὸ *interim*, denotat se miscuisse prælio, ante plenam fugam suorum.

Igitur prælio se miscuerant simul et *equites* et rectores curruum, seu *covinarii:* quomodo enim *impellerentur*, seu dejicerentur e clivo simul cum ipsis *equorum corporibus*, nisi ipsum clivum in equis irrupissent, et prælio peditum semiscuissent equites?

Sic certe fugissent ante prælium *equites*, sic deseruissent suos covinarios, qui simul instructi eodem loco et eadem acie, quod nullatenus verisimile est. Nec fugerunt cum 'Britanni pugnæ adhuc expertes summa collium insederant, et paucitatem nostrorum vacui spernebant:' ubi *vacui*, id est, otiosi et nondum pugna lacessentes, aut lacessiti.

[i] *Densis tamen hostium agminibus*] Mens Taciti hæc est: Covinarii illi, etsi Romanis *terrorem* aliquem intulerant, tamen *inæqualibus locis* et densis suorum *agminibus;* quorum scil. pedites inter *se prælio* miscuerant, post equitum fugam *hærebant*. Acidalius. Tacitus Romanos suos hic *hostes* non appellat, quasi respectu ad Britannos habito. Ideoque malim cum Mureto, *nostrorum*. Gronovius. Potius leg. foret, *suorum*.

Hostium] Id est, Britannorum: comparate ad Romanos loqui videtur.

[j] *Minimeque equestris*] Lectio hæc et correctio Rhenani est: fuit in veteribus libris, *minimeque equestres: ea enim pugnæ facies erat, cum ægrum*, &c. et in Venet. *cum ægra diu*. Erant

cum ægre diu stantes,[8] [k] simul equorum corporibus[l] impellerentur, ac sæpe vagi currus, exterriti sine rectoribus equi, ut quemque formido tulerat, transversos, aut obvios[m] incursabant.

37. Et Britanni, qui adhuc pugnæ expertes summa[1] collium insederant, et paucitatem nostrorum vacui[n] spernebant, degredi[2] paulatim, et circumire terga vincentium cœperant: ni idipsum veritus Agricola, quatuor equitum alas, ad subita belli retentas, venientibus opposuisset, quantoque ferocius accurrerant,[3] tanto acrius pulsos in fugam disjecisset. Ita

cum in vestigio defixi equites, *simul cum ipsis equis proturbarentur, ac plerumque palabundi currus*, et *attoniti sine aurigis equi, ut quemque pavor impulerat, obliquos, aut obvios* peditum cuneos *incurrebant.*

Et Britanni, qui hactenus prælio exemti et vacui culmina montium occupaverant, et paucitatem Rom. per otium et securi discriminis contemnebant, paulatim descendere, et circumvehi terga victorum cœperant: nisi idipsum metuens Agricola, quatuor equitum alas, ad repentina belli reservatas, irruentibus objecisset, quantoque promtius advecti erant, tanto vehementius repulsos dare terga coëgisset.

8 Corrupte veteres editiones, *cum ægra diu aut stante.* Rhenanus, quem omnes postea, cum Ryckio et Gronovio, sunt secuti, emendavit, *cum in gradu stantes.* At cum Ms. Vatic. 3429. habeat quoque *ægra diu*, emendandum edendumque, *ægre diu*, optimo quidem sensu et ex vetere scriptúra. Tentabat Trillerus, *ægre clivo stantes.* Brotier.

1 Ms. Vatic. 3429. *summam.*—2 Superiores male *digredi.* Ernest.—3 Ms. Vatic. 3429. *accucurrerant.*

NOTÆ

hic equites, erant et covinarii, et debuit esse pugna illa equestris; debuerunt illi sic invecti equis et curribus ostentare *equestris pugnæ faciem*, et sic volebant: sed hi hærebant impediti agminibus occurrentium, aut hostium, aut suorum, et *inæqualibus locis;* quare potius ea stataria et pedestris acies, quam pugna equestris esse videbatur.

[k] *In gradu stantes*] Hærebant enim locis iniquis, ut dixit, tum et conferta Romana, vel sociali acie impediti. *Lipsius.*

[l] *Simul equorum corporibus*] Quid clarius, quam hæc ad singulares equites referenda? qui stantes hærentesque, sine suo impetu, facile cum ipsis equis pellebantur a pedite, vi ingruente. *Lipsius.*

[m] *Transversos, aut obvios*] Quos? Romanos? non: sed ipsos suos equites, quos turbabant, aut evertebant. *Lipsius.* Non certe equites, sed pedites suorum, quorum *se prælio miscuerant:* aut certe non solos equites suos, sed simul et pedites. Et vero propius videntur proturbasse et incurrisse *transversos* pedites, quam equites; qui fere in eadem cum ipsis acie dispositi, et qui facilius loco cedunt curribus erumpentibus.

[n] *Vacui*] Id est, subsidentes, et expectantes per otium imperia ducis, velut subsidiaria acies, et ad instar Triariorum Rom. olim.

consilium Britannorum in ipsos versum: transvectæque[o] præcepto Ducis a fronte pugnantium alæ, aversam hostium aciem invasere. Tum vero patentibus locis grande et atrox spectaculum: sequi, vulnerare, capere[p] atque eosdem, oblatis aliis, trucidare. Jam hostium, prout cuique ingenium erat, catervæ armatorum paucioribus terga præstare, quidam inermes ultro ruere, ac se morti offerre. Passim arma et corpora et laceri artus et cruenta humus: et aliquando etiam victis ira virtusque:[q] postquam sylvis appropinquarunt,[4] collecti, primos sequentium, incautos et locorum ignaros, circumveniebant. Quod ni frequens ubique Agri-

Ita conatus, seu dolus *Britannorum in ipsos recidit: translatæque imperio ducis a fronte dimicantium alæ*, jam *pronum in fugam hostium agmen irrupere. Tum vero apertis campis magnum et immane spectaculum* fuit: *insectari, cædere, vincire, atque eosdem obviis aliis obtruncare. Jam Britannorum, prout cuique animus erat, globi armatorum paucioribus cedere, nonnulli abjectis armis irruere ultro, et se occidioni exhibere. Ubique tela et cadavera, et laniati artus, et fœdum cruore solum: et interdum etiam victis* redit *furor*, redit *animus: ubi ad sylvas accesserunt, congregati, promtissimos sectantium, inopinantes et locorum imperitos, intercipiebant. Quod nisi multus ubique Agricola fortes et*

4 Ms. Vatic. 3429. *appropinquaverunt.*

NOTÆ

[o] *Transvectæ*] Puto, illæ equitum alæ, aut pugnabant in acie Rom. et a fronte; vel in subsidiis, aut cornibus assistebant: sed cum jam nutaret acies hostium, transductæ alæ statim imperio ducis, ad terga hostium, ut fugam impellerent. Et *τὸ pugnantium*, ne intelligas de ipsis alis, sed potius de peditibus, quibus istæ alæ subsidiariæ erant: et sunt diversæ istæ *alæ* ab his alis, quas opposuit Britannis de novo incurrentibus e summo collium vertice. Erant hostium qui pugnarent adhuc; erant et qui circuibant victores Rom. et illi pulsi statim mox universi respiciebant fugam: itaque dux noster transvehit a fronte Britannorum *pugnantium*, aut etiam suorum, alas, quæ forte nondum certabant, ut 'aversam hostium aciem invaderent.' *A fronte*, id est, in frontem.

Transvectæque .... a fronte] Nonnulli intelligunt, transvectas in frontem alas; quasi sensus sit, illas alas equitum, quæ in cornibus dispositæ erant, fuisse transvectas in primam aciem, et velut ante principia signaque; ut pulsam aciem hostium nutantemque validius et instar turbinis irrumperent. Potius ex subsidiis per medios ordines transvectæ in frontem istæ alæ.

[p] *Sequi, vulnerare, capere*] E Sallustio, qui in Jugurth. 'Tum spectaculum horribile in campis patentibus, sequi, fugere, occidi, capi, equi atque viri afflicti.'

[q] *Victis ira virtusque*] Virg. Æneid. II. 'Quondam etiam victis redit in præcordia virtus.'

 cola validas et expeditas cohortes, indaginis modo,[r] et, sicubi arctiora[s] erant, partem equitum,[t] dimissis equis, simul rariores sylvas equitem persultare[5] jussisset, acceptum aliquod vulnus per nimiam fiduciam[u] foret. Ceterum, ubi compositos firmis ordinibus sequi rursus videre, in fugam versi, non agminibus, ut prius, nec[6] alius alium respectantes,[v] rari et vitabundi invicem, longinqua atque avia petiere. Finis sequendi nox et satietas fuit: cæsa hostium ad decem millia:[w] nostrorum trecenti sexaginta[7] cecidere:

selectas cohortes immisisset *instar indaginis, et, sicubi angustiæ erant, partem equitum, relictis equis* prætentare, et *simul infrequentiores* arboribus *saltus pervolitare* atque explorare *equites imperasset, accepta aliqua clades per nimiam audentiam foret. Ceterum, postquam* nostros *ordinatos confertis manipulis insectari se rursus animadverterunt, fuga abscessere, non per catervas, ut antea, nec alius alium subinde respicientes, non multi* simul, *et se declinantes invicem, in amota ac devia* loca *concessere. Finem insectandi fecit nox et satietas: interfecta Britannorum ad decem millia: Romanorum trecenti quadraginta periere: in quibus*

5 Sic Rhen. Prius erat, *equite persultari.*—6 Emendabat Acidalius, *sed alius alium.*—7 In libris editis, *trecenti quadraginta;* et sic Gronov. et Ryckius. At potior est fides Mss. Vatic. 3429. et 4498. qui *trecenti sexaginta* habent. In numeris XL. pro LX. facile errare potuit Puteolanus, unde ad ceteros pervulgatus error. *Brotier.*

NOTÆ

[r] *Indaginis modo*] Silius: 'Et telis in morem indaginis ambit.' Comparatio sumta a venatione. Græci cum *sagena*, dicuntque rem ipsam σαγηνεύειν: id enim est apud auctores illos, *corona cingere*, et includere rete, seu sagena, veluti pisces.

[s] *Arctiora*] Supple *loca*, seu *itinera*.

[t] *Partem equitum*] Qui citis equis ad illas itinerum angustias advolarent, easque, omissis equis, vacuas liberas tutasque præstarent pediti Rom. insequenti et minus expedito; dein rursus insilientes equos, ulterius securitatem passim promoverent. Sic desiliebant equis tantum cum ad illas fauces pervenissent, vel quia difficilis ille transitus equis, vel ut accuratius perscrutarentur secreta illa loca; et forte etiam, ut pedestres ipsi fortius pugnarent adversus hostes insidiantes arduis, abruptis, infestisque locis.

[u] *Per nimiam fiduciam*] Livius I. II. 'Ferme fit, ut res secundæ negligentiam creent.' Senec. Agam. 'Victor timere quid potest? quod non timet.'

[v] *Respectantes*] Se initio invicem aspectabant expectabantque; ut sic conglobati se tuerentur, validiusque obsisterent insequentibus.

Respectantes] Per mutuam curam se invicem respectabant in itinere et fuga; ut scil. hostem insequentem communi subsidio repellerent: id est, sese *prius* identidem respiciebant quod mox vitarunt.

[w] *Cæsa hostium ad decem millia*] Tacitus raro numerum exprimit; ut et ipse Sallustius, testante Orosio, in historia id damnant. Sed 'professione pietatis excusandus' est Tacitus, si in propriam legem peccaverit. *Savil.*

in quis Aulus Atticus, Præfectus cohortis juvenili ardore et ferocia equi hostibus illatus.

38. Et nox quidem gaudio prædaque læta victoribus: Britanni[1] palantes, mixtoque virorum mulierumque ploratu, trahere vulneratos, vocare integros, deserere domos ac per iram ultro incendere: eligere latebras et statim[x] relinquere: miscere invicem[y] consilia aliqua, dein separare:[2 z] aliquando frangi aspectu pignorum suorum, sæpius concitari:[a] satisque constabat, sævisse quosdam in conjuges ac liberos, tanquam misererentur.[b] Proximus dies faciem victoriæ la-

Aulus Atticus, præpositus cohortis, juvenili impetu et pervicacia equi hostibus invectus.

Et nox sane jucunda victoribus lætitia prædaque: et *Britanni vagi, ac promiscuo virorum fœminarumque ejulatu, avehere saucios, appellare incolumes, relinquere penates, tectaque per iram ipsimet comburere: solitudinem et secreta loca quærere, ac confestim* ea *deserere: sociare invicem consilia quædam, dein dividere* ea et *abrumpere: interdum et animum abjicere, cum liberos suos intuerentur, et sæpius incitari per iram: satisque compertum est, nonnullos desævisse in uxores atque filios, quasi commiseratione* erga carissima pignora. *Crastina lux speciem* et magnitudinem

1 Ms. Vatic. 3429. *Britannique palantes.*—2 Sic bene Ms. Vatic. 3429. Sic quoque conjecerat Lipsius. Male libri editi, *sperare:* et sic Gronov. et Ryck.

NOTÆ

x *Eligere latebras et statim*] Rebus adversis ita fieri amat, ut nulli certo consilio satis acquiescant homines: sed quod modo placuit, idem mox displicet, ac nova subinde consilia ineuntur. Sic Curtius lib. x. 'Nec velle nec nolle quicquam diu poterant; pœnitebatque, modo consilii, modo pœnitentiæ ipsius.'

y *Miscere invicem*] Tota hac periodo ornatum ex oppositis quæsivit. Ideoque hic legam, *dein separare.* Aliquando, inquit, cum aliis, aliquando rursus secum deliberabant. *Lips.*

Miscere invicem consilia aliqua, dein sperare] Immo, *dein desperare:* tale de Vitellio illud: 'quæ jusserat, vetare: quæ vetuerat, jubere.' *Grotius.*

Recte, *sperare.* Eligebant latebras, et statim relinquebant, præ metu, visi sibi in iis intuti; dein inibant consilia adversum ea quæ metuebant: quorum nonnullis probatis, metum in spem convertebant. Verus character eorum, qui, turbatis rebus, miscere spem et metum, ut dubii, consuevere. *Boxhorn.*

z *Dein sperare*] Forte leg. *separare;* alioqui vix stat sensus. Attamen miscebant invicem consilia; unde spes aliqua, dein desperare et *frangi* potuere, *aspectu pignorum suorum.* Sed *separare,* magis ad rem videtur.

a *Concitari*] Curt. v. 'Ignaviam quoque necessitas acuit, et sæpe desperatio spei causa est.' Tacitus 'desperatione in audaciam accinguntur.' Hist. III.

b *Tanquam misererentur*] Miserabantur, ut arbitrio et victoris insolentis libidini servitioque obnoxios

tius aperuit: vastum ubique silentium, secreti[c] calles,[3] fumantia procul tecta, nemo exploratoribus obvius: quibus in omnem partem dimissis, ubi incerta fugæ vestigia, neque usquam conglobari hostes compertum, et exacta jam æstate spargi[d] bellum nequibat; in fines Horestorum[4][e] exercitum deducit. Ibi acceptis obsidibus, præfecto classis 'circumvehi Britanniam' præcepit. Datæ ad id vires, et præcesserat terror.[f] Ipse peditem atque equites lento itinere, quo novarum gentium animi ipsa transitus mora terrerentur, in hybernis locavit. Et simul classis secunda tempestate ac fama Trutulensem[5][g] portum tenuit, unde proximo latere Britanniæ lecto omni[6] redierat.[7][h]

victoriæ latius exhibuit: immensa ubique solitudo, silentio vasta montium juga, incensæ procul ædes, nemo speculatoribus occurrebat: quibus passim explorare jussis, postquam incomperti fugientium receptus, neque usquam contrahi hostes cognitum fuit, *et adulta jam æstate spargi arma aut agmina* diduci *non poterant; ducit copias in regionem Horestorum. Oblatis ibi obsidibus, præfectum classis* circumire Britanniam *jubet, datis ad id copiis, et metus anteverterat. Ipse pedestre agmen et equitatum in hyberna deduxit tardo incessu, quo novarum nationum animis ipso longiori transitus spatio pavorem inferret. Et simul classis opportunitate temporis, prosperaque fama appulit ad portum Trutulensem, unde vicina omni ora Britanniæ lustrata remearat.*

unde Grotius tentabat, *desperare;* Ernestus, *spernere.* Brotier.—3 Omnes libri editi, *secreti colles.* Ernestus mallet, *deserti colles.* Egregie Bipont. *calles:* ut Virg. Æneid. VI. 443. et IX. 383. *Oberl.*—4 Mss. Vatic. 3429. et 4498. *Borestorum.*—5 Ita libri editi. In Ms. Vatic. 4498. corrupte, *trutulens est.* Ms. Vatic. 3429. *trucculensem.*—6 Lipsius et Pichena malunt *omnis:* quibus et consentit Brotierus. Bipont. servant *omni* bono sensu; nec absque necessitate ab antiqua lectione recedendum. *Oberl.*—7 *Exierat* malebat Rhenanus.

NOTÆ

futuros. Sic olim quasi misereretur, filiam occidit Virginius, ne Decemviri Appii libidinibus exponeretur.

[c] *Secreti*] Id est, nullo rumore mortalium turbati, utpote quos accolæ ipsi lata fuga deseruissent: vel ita per metum abditi homines erant, ut nullibi apparerent.

[d] *Spargi*] In plura agmina exercitum distribui.

[e] *Horestorum*] Horesti, populi Britanniæ majoris versus septentrionem et orientem; hodie *Angus,* comitatus regni Scotiæ ad mare Allemaniæ. *Tillemon.*

[f] *Terror*] Nempe ex recenti clade.

[g] *Trutulensem*] Lego, *Rutupensem:* est Rutupiæ, vel Rutupæ oppidum et portus Cantiorum populorum, in Britannia prima, Britanniæ majoris provincia, ad meridiem et orientem: hodie *Richborough,* portus parvus prope portum *Sandwich,* in comitatu *Kent,* regni Angliæ ad meridiem et orientem. *Tillemon.*

Trutulensem portum] Suspicor scribendum, *Rutupensem portum:* hic adversus Bononiam situs est, sive Gessoriacum. Alii legunt *Rutupensim,* quem putant esse *Richoburgum* circa

39. Hunc rerum cursum, quanquam nulla verborum jactantia epistolis Agricolæ auctum,[1] [i] ut Domitianus[2] erat, fronte lætus, pectore anxius,[j] excepit.[3] Inerat conscientia, derisui fuisse[k] nuper falsum e Germania triumphum,[l] emtis

Continuam hanc rerum felicitatem, quamvis in epistolis suis *nulla ostentatione verborum jactasset Agricola,* tamen *Domitianus, ut solebat, vultu hilaris, mente solicitus,* hæc *audivit. Arguebat eum conscientia ludibrio fuisse nuper fictitium*

1 Sic bene Lipsius et recentiores. In veteribus editionibus, *actum.* Brot.—2 Sic Ms. Vat. et alius in margine: unde bene restituere Bipont. Glossam sapit *ut Domitiano moris erat:* [quod habent et Brotierus et Ryckius et Gronovius.] *Oberl.*—3 Ms. Vatic. 3429. *excipit.*—4 Sic bene Rhenanus. In vete-

NOTÆ

Sandovicum. *Savil.*

[h] *Unde proximo latere Britanniæ lecto omni redierat*] Aptius legas, *exierat.* Rhenanus.

Puto legendum: *unde, proximo littore Britanniæ lecto, omnis redierat.* Pichena. Supple, *classis:* et leg. *exierat.*

[i] *Epistolis Agricolæ auctum*] Scripsit Agricola literas, sed non *laureatas* de more. Tacitus hac ipsa vita, 'ne laureatis quidem gesta prosecutus est.'

De laureatis Ovidius I. amorum eleg. ad Napen. 'Non ego victrices lauro redimire tabellas.' Florus III. 3. 'Visi pro æde Castoris et Pollucis juvenes laureatas prætori literas dare.'

Nulla....jactantia epistolis auctum] Huc referri potest quod de Agrippa memoratur. Is, teste Dione LII. dicere solebat, se pugnando, non sibi, sed Cæsari operam navare. Et tanti hujus facinoris conscientia contentus, omni jactatione abstinebat. Ratio fuit, quod plerumque illi, quorum opes in excelso positæ sunt, neminem volunt æstimari ipsis præstantiorem. Itaque illis auctor erat Agrippa, qui sibi bene consultum vellent, ut principem ipsi omni molestia rerum et difficultate liberarent, et ipsi uni dominanti rei bene gestæ laudem integram reservarent. Teste Plut. Apoph. Lac. Polycratidas quidam Spartanus, cum aliis missus orator ad duces Regios, quærentibus illis, utrum privatim venissent, an publice missi? 'si impetramus,' inquit, 'publice; sin minus, privatim.' Apud Diogen. Laërt. aiebat Bias Prienæus: 'Quicquid boni egeris, in Deos referto.'

[j] *Fronte lætus, pectore anxius*] Pauci imperitantes velint apparere nudi, et omni prætextu amoto retecti, sicut olim rex Gelon venit in forum, seque obtulit nudum subditis, reddere imperium paratus: quare et effigies ejus nuda in templo Siculæ Junonis posita est. Ælian. Var. lib. VI. 11. Nemo fere est, qui nudus aut totus videri velit.

Fronte lætus] Mamert. Paneg. Juliani Imper. 'Cum mendaces homines aut inopia aut timor faciat, magnitudinem fortunæ suæ imperator, qui mentitur, ignorat.'

[k] *Derisui fuisse*] Plin. Paneg. 'Videor jam cernere non spoliis provinciarum, et extorto sociis auro, sed hostilibus armis, captorumque regum catenis triumphum gravem. Videor

per commercia, quorum habitus et crines in captivorum speciem[m] formarentur: at[4] nunc veram magnamque victoriam, tot millibus[5] hostium cæsis, ingenti fama celebrari.

illum *e Germania triumphum, pretio comparatis* hominibus, *quorum forma cultusque et comæ* flavæ *captivorum instar adornarentur: at nunc sinceram ingentemque victoriam, tot barbarorum millibus interfectis, magna fama prædicari. Illud sibi*

ribus editionibus, *ac nunc*. Brotier.—5 Ita editio princeps et recentiores.

NOTÆ

ingentia ducum nomina, nec indecora nominibus corpora vocitare.'

[l] *Falsum e Germania triumphum*] Xiphil. Domitian. 'Postquam suscepisset in Germaniam expeditionem, rediit, ne viso quidem hoste. Et quid narrem, quibus honoribus ob eam causam affectus sit, postque eum alii imperatores ei similes, ne suspectantes vilius sua censeri, ob exiguos qui haberentur honores, indignarentur.' Paria sunt quæ Suetonius refert de Caio 47. 'Conversus hinc ad curam triumphi, præter captivos et transfugas barbaros, Galliarum quoque procerissimum quemque, et, ut ipse dicebat, ἀξιοθριάμβευτον, ac nonnullos ex principibus legit ac seposuit ad pompam; coëgitque non tantum rutilare ac submittere comam, sed et sermonem Germanicum addiscere, et nomina barbarica ferre.' *Savil.*

Libera republica, legibus cautum, ne quis ejusmodi mendaciis inclaresceret: nam et statuta pœna, 'si quis militum falso strenuum quid factum a se retulisset ad tribunum aut ducem, honoris adipiscendi causa,' teste Polybio.

Crimini huic proprium nomen, *de falsis pugnis*. Plautus Trucul. 'Mille memorari potest, qui et convicti et condemnati falsis de pugnis sient:' quo crimine postulatus a M. Catone Censorio Qu. Thermus oratione, quæ inscripta, *in Q. Minucium Thermum de falsis pugnis*. Notus mos accusatorum apud Romanos, ut quamvis certi criminis postulatum reum tamen simul et urgerent ceteris pristinæ vitæ probris; quæ, ut recte Tacitus notat Annal. l. III. 'neque convicta noxæ reo, si recentia purgaret, neque defensa absolutioni erant, si teneretur majoribus flagitiis.' *Mercerus.*

Mimicum hunc de Germania triumphum vir doctiss. Calvisius Sethus refert ad XI. consulatum Domitiani, qui fuit annus ab U. C. 838. *Virdungus.*

[m] *Crines in captivorum speciem*] Miror Suetonium hoc tacuisse, qui liberrime scripsit Domitiani vitam, nec celat vitia. De captivorum crinibus perite dicit Tacitus; præsertim cum sermo de captivis Germanis sit, quorum crines singulari quodam modo nodabantur. Mart. Amphit. epig. 3. 'Crinibus in nodum tortis venere Sicambri.' *Barclaius.*

Id, puto, non descripsit Suetonius, quia hoc bellum, sive triumphus, ad Rempub. spectabat, quam præcise non attingit: quippe tantum mores et libita ingeniaque dominantium investigat. Scenicus tamen triumphus ille proprium et insigne quid habuit, quo segnitiem animi et belli inscitiam, virtutemque parum imperatoriam in Domitiano argueret, aut in-

Id sibi maxime formidolosum, privati hominis nomen supra Principis attolli:[n] frustra studia fori[o] et civilium artium decus in silentium acta,[p] si militarem gloriam alius[6] occuparet:[q] et cetera utcumque facilius[7] dissimulari:[r] Ducis boni

inprimis metuendum, privati viri decus supra gloriam *imperitantis evehi: frustra peritiam juris, eloquentiæ decus, et* alias *pacis artes, silentio* aut exilio *damnatas* ab ipso, *si militarem sibi famam alius vindicaret: et alia omnia utcumque facilius*

Male Beroaldus, *tot militibus.* Brotier.—6 Frustra tentat Lipsius, *altius* vel *arctius occuparet.* Pichena huic emendationi suffragatur. *Brotier.*—7 *Faci-*

NOTÆ

vidiam, qui neque duces egregios ad bella deligebat, suspectans virtutes eximias et opprimens; unde clades crebræ, ideoque a clavo imperii rejiciendus talis imperator. Ad hanc ridiculam insaniam Domitiano exemplo suo præivit Caligula, Sueton. 47. 'Conversus ad curam triumphi, præter captivos et transfugas barbaros, Galliarum quoque procerissimum quemque,' &c.

[n] *Privati hominis nomen supra Principis attolli*] Nota, respectu *principis*, etiam magistratus censeri *privatos:* nam de Agricola loquitur, qui etiamdum cum imperio erat. Sic Plinius epist. II. 1. de Verginio: 'Perfunctus est tertio consulatu, ut summum fastigium privati hominis impleret, cum principis noluisset.' Privati enim dicuntur respectu magistratuum Ann. IV. in princ. 'honoribus perfunctos, an juvenes? privatos, an e magistratibus?' Hinc privata spectacula. Suet. in Ner. 21. 'Non dubitavit etiam in privatis spectaculis operam inter scenicos dare.' *Pichen.*

Supra Principis attolli] Arist. Polit. XI. 'Communis custodia principatus, neminem unum magnum facere.'

[o] *Studia fori*] Intelligendum, studia civilia et tale *artium decus* in silentium adacta, atrocitate principis, sed frustra, si *alius* a principe occupet *militarem gloriam.* Certe si verum sit Domitianum sibi vindicasse eloquentiam, et pressisse silentio civiles artes, quemadmodum Nero poësim sibi uni vindicavit, qui et ideo exhorruit Lucanum, et occidit Senecam; illa verba, *frustra studia fori et civilium artium decus in silentium acta*, possunt et debent referri ad ipsum Domitianum, non ad Agricolam, quasi primam ætatem ille *quiete et otio*, et per civiles artes silentio pertransierit. Igitur sensus est: Studia fori, sapientiam, et ceteras bonas artes frustra in silentium et exilium adactas ab ipso dominante Domitiano, si alius nunc, nempe, Agricola, militarem gloriam occuparet. Non dicit hic Tacitus Domitianum aut Agricolam neglexisse civiles artes, aut silentio transegisse; quippe scriberet, *studia, &c. silentio*, aut per *silentium acta*, non *in silentium acta:* quod certe violentiam ac sævitiam Domitiani arguit adversus *studia*, ingenia, et viros eximios.

[p] *In silentium acta*] Plin. Paneg. Ipsi vitiosissimi 'inimicas vitiis artes non odio magis, quam reverentia relegant.'

[q] *Militarem gloriam alius occuparet*] *Alius* circa mores is est, qui antiquos non amplius obtinet. Igitur Agri-

Imperatoriam virtutem[s] esse. Talibus curis exercitus, quodque sævæ cogitationis indicium erat, secreto suo satiatus,[t]

sperni aut tolerari; at certe *imperatoriam laudem* propriam *egregii principis esse. His curis divexatus, quodque atrocis consilii argumentum fuit, solitudine sua*

NOTÆ

cola, qui 'inter quæsturam ac tribunatum plebis, atque etiam ipsum tribunatus annum, quiete et otio transit, gnarus sub Nerone temporum, quibus inertia pro sapientia fuit:' cui etiam idem 'præturæ tenor et silentium.' Mutati moris, et velut *alius* jam arguitur ad hunc fere modum: Quid retulit Agricolam ibi modestiam induisse, ubi nil mea intererat, si nunc *alius* ab illo, disciplinam militarem ad se ambitiose trahit, qua sola nobis invidiam parit et principi gloriam abripit? *Salin.*

Si militarem gloriam alius] Nam teste Oratore: 'Virtus militaris præstat ceteris omnibus; patria enim, libertas, et cives latent in tutela ac præsidio bellicæ virtutis.'

Alius occuparet] De ipso Domitiano accipies querente: frustra se 'liberalia studia initio principatus neglexisse:' (ita Suetonius capite 20.) ut ad *militaria* et imperatoria se daret scilicet: si ecce, *alius* eam gloriam occuparet. *Lipsius.*

[r] *Cetera utcumque facilius dissimulari*] Attamen ex utroque Cæsar: nam quandoque 'cedunt arma togæ,' aut saltem succedunt. Paneg. Max. Aug. 'Bona venia Deum dixerim, ne Jupiter quidem ipse tanta celeritate faciem cœli sui variat, quam facile tu, Jupiter, togam prætextam, sumto thorace, mutasti; hastam, posito scipione, rapuisti; a tribunali temet in campum, a curuli in equum transtulisti; et rursus ex acie cum triumpho redisti.'

Dissimulari] Non adverti, aut certe tolerari.

[s] *Imperatoriam virtutem*] Hom. Il. Γ. 'Ἀμφότερον, βασιλεύς τ' ἀγαθὸς κρατερός τ' αἰχμήτης: *Utrumque, et fortis miles et bonus imperator.*

Imperatoriam virtutem] Quæ sit ea virtus, et quot aliis eximiis dotibus constet ac subsistat, disces ex principe eloquentiæ Tullio, orat. pro lege Manil. 'Non enim solum bellandi virtus in summo atque perfecto imperatore quærenda est, sed multæ sunt partes eximiæ hujus administræ comitesque virtutis.' Ibidem: 'Quanta innocentia debent esse imperatores, quanta omnibus in rebus temperantia, quanta fide, quanta humanitate!' Et inter has virtutes certe summa et præcipua est felicitas. Idem Tullius ibid. Sunt 'quibus etiam venti tempestatesque obsecundant.' Et mox, 'existimo [olim] Maximo, Marcello, Scipioni, Mario, et ceteris magnis imperatoribus, non solum propter virtutem, sed etiam propter fortunam sæpius imperia mandata atque exercitus esse commissos....[his ad] amplitudinem et gloriam, et ad res magnas bene gerendas divinitus adjuncta fortuna.' Sunt eximii quidam viri, quibus vel 'dormientibus Dii omnia conficiunt:' Terent. Adel. Sunt, qui 'reti urbes capiunt,' inter adagia Plutarchi. Et 'in sinum iis de cœlo victoria devolat.' Livius l. VII. Sed et plerumque non deest fortuna, quibus adest virtus imperatoria. 'Fortuna fortes metuit, ignavos premit.' Sen. Trag.

[t] *Quodque sævæ cogitationis indicium erat, secreto suo satiatus*] Certe id signum fuit sævitiæ et altæ diræque

optimum in præsentia statuit, reponere odium, donec impetus famæ et favor exercitus languesceret: nam etiam tum[8] Agricola Britanniam obtinebat.

40. Igitur [t] triumphalia ornamenta[u] et illustris statuæ

fessus aut expletus, utilissimum esse *judicavit ad præsens, iram et invidiam recondere, donec ardor famæ et studium militum senesceret: quippe etiam tum* temporis *Agricola Britanniam tenebat.*

Igitur in senatu decerni Agricolæ *jubet*, insignia triumphalia, et illustris

lius omissum vellet Ernestus.—8 Mallet Ernestus, *etiamnum*.

NOTÆ

meditationis; scil. in quos, aut qua ratione talis sævitia prorumperet. Habes fere similis insaniæ exemplum apud Pausaniam in Corinth. de Phædra: 'Adhæret maceriæ septo curriculi ejus pars, quod Hippolyti nuncupant: supraque ipsum Veneris speculatricis delubrum, unde descendentem exercitationis causa Hippolytum in stadium intuebatur Phædra. Est hic, ut antea scripsi, Myrtus illa perterebratis foliis, quod amore furens Phædra, cum nullum cupidini levamentum inveniret, crinali acu hujus myrti folia transfigens, insaniam suam exonerabat.'

Secreto suo] Notum est ex Suetonio, Dione Cassio, Aurelio Victore et aliis, Domitiani secretum *horarium*, in quo nihil amplius quam muscas configebat: unde cuidam interroganti, 'essetne quis intus cum Cæsare?' non absurde responsum a Vibio Crispo, 'ne musca quidem:' ut refert Suetonius.

Nam Sext. Aur. Victor responsum hoc ita profert: 'Ne musca quidem, nisi forte in palæstra:' ubi jocus ex ambiguo a palæstra fœda Domitiani, in palæstram γυμναστικὴν, ut pluribus docet Josephus Scaliger Animadver. in Chronicon. Hieronymi. *Virdungus.*

Secreto suo] Quod raro in decus imperitantium vertit, sæpe in exitium. Paneg. Nazarii Constantino dict. 'Existimare quidem de principibus nemini fas est. Nam et in vestibulo suo inquirentem repellit objecta veneratio; et si qui propius adierunt, quod oculis in solem se contendentibus evenit, præstricta acie, videndi facultate caruerunt. Verum tu facis, principum maxime, ut patere videantur, quæ prius obstructa fuerant; qui tam optas totus videri, quam ceteri recusabant: non terror obtentui est, nec occultandis, quæ plerumque extrinsecus latent, demorandoque aspectu ostentatio speciosa perhibetur. Obtutus hominum benignos receptas, nec intuentem iniquus fulgor retundit; ad serenum lumen invitat.' Paneg. Theod. 'Quos loquar [dominantes] notum est, qui majestatem regiam imminui et vulgari putabant, nisi eos intra repositum Palatinæ ædis inclusos, tanquam aliquod Vestale secretum veneratio occulta consuluisset, nisi intra domesticam umbram jacentes solitudo provisa, et silentia late conciliata vallassent. Quin si quando in lucem venire et diem ferre potuissent, lecticis, thensisque subvecti, et densissima circum supraque cooperti virorum armorumque testudine, sensim atque ad numerum movebantur: tum longe populus abigebatur, nec

honorem[v] et quicquid pro triumpho[w] datur,' multo verborum honore cumulata, decerni in Senatu jubet: additque[1] insuper opinionem, Syriam provinciam Agricolæ destinari, vacuam tum morte Atilii Rufi, Consularis, et majoribus[x]

statuæ decus, et cetera, quæ pro triumpho tribuuntur, *quæ et amplissimis verbis celebrata* sunt: *adjicique præterea famam, quasi mox impositurus esset Agricolam Syriæ provinciæ, quæ tum vacua erat obitu Atilii Rufi consularis, et*

1 Sic Muretus, quod et probat Brotierus. Retinet autem cum Ryckio et Gronov. vulgatam lectionem, *addique*.

NOTÆ

otiosa viatoris manus plebem verbere submovebat, ut secretum esset in publico.'

[u] *Triumphalia ornamenta*] Palam est, hæc a Domitiano tributa: quod Tacitus de socero non potuit, credo, ignorare; tamen Dio vult a Tito: 'Propterea,' inquit, 'interfectus est a Domitiano, quia, scil. triumphale decus acceperat a Tito.' *Lipsius.* Longe potior fides debetur Tacito: nam sæpe errant Græci auctores in rebus Romanis, aut certe abbreviatores illorum.

Triumphalia ornamenta] Sub principibus jam nulli ducum, quamvis re præclare adversus hostes gesta, et insigni victoria parta, triumphus, sed sola *triumphalia ornamenta* decernebantur: cujus moris origo ab Agrippa, qui Bosphoranis M. Licinio, M. F. Crasso, Cn. Cornelio, Cn. F. Lentulo consulibus anno urbis 739. subactis, neque triumphum sibi a senatu decretum egit, neque quicquam de iis rebus gestis ad senatum perscripsit.

Ex quo tempore, inquit Dio, libro LIV. reliqui duces exemplum ejus secuti, neque publice literas miserunt, neque triumphum obtinuerunt; ac propterea nemini alii, nisi dignitate Cæsar esset, triumphus in posterum, sed *triumphalia* tantum insignia decreta sunt. *Virdungus.*

[v] *Illustris statuæ honorem*] Sic Hist. I. 'M. Aponius Mœsiam obtinens triumphali statua' donatur. Postquam enim in principum potestatem Romana respublica cessit, principes jus triumphandi sibi ipsis reservarunt. *Pichena.*

Ea erat *statua laureata*, quæ inter alia triumphi insignia concedebatur. Tacit. Ann. IV. 23.

Statuæ] Quæ vocari potuit *gloriæ bulla*, ut habet Diogenes apud Diog. Laërt. l. VI.

[w] *Pro triumpho*] Multæ aliæ prærogativæ fuerunt præter *statuam;* ut toga picta, tunica palmata, &c. Possit tamen id duplici sensu accipi; nempe, vel ei concessit quicquid triumphi, seu potius insignium triumphalium, nomine comprehenderetur; vel ea omnia, quæ loco triumphi veteris concedebantur; quod idem est; quia nemo amplius jam ab Augusto verum triumphum obtinebat, sed tantum triumphalia ornamenta. Ratio fuit, seu prætextus, quia omnia bella remque publicam per legatos ipsorum, scil. ductu et auspiciis suis gerebat princeps; non potuit autem triumphum referre, qui alienis auspiciis Rempub. gereret.

[x] *Majoribus*] Vertit illustr. Harlæus, majoribus quam esset ipse Agricola. At poterant esse *majores*, nec tamen esse *majores* ipso Agricola. *Majores* hoc loco, sunt primores, pro-

reservatam. Credidere plerique, libertum[y] ex secretioribus ministeriis[z] missum ad Agricolam, codicillos,[a] quibus ei Syria[b] dabatur, tulisse, cum præcepto, ut, si in Britannia foret,[c] traderentur: eumque libertum in ipso freto Oceani[d]

quæ splendidioribus consularibus permitti solebat. Existimavere multi, libertum ex interiori aula gratiaque missum esse *ad Agricolam*, et *literas attulisse, quibus ei Syria concedebatur, cum mandato* tamen, *ut* ei *darentur* literæ, *si* adhuc *esset in Britannia: illumque libertum in ipso trajectu Oceani occurrisse Agricolæ, et ne*

NOTÆ

ceres. Sicque jam inter *majores* et rebus antea gestis, et dignatione talis provinciæ et triumphali honore jam censebatur Agricola: fuere nobiliores, non præcise *majores*.

[y] *Libertum*] Per *libertum* mittebant libellum repudii, de quo poëta : 'Collige sarcinulas, clamat libertus, et exi.' Per *libertum* principi libellum dabant. l. LVII. §. 1. De ritu nuptiarum. l. XVI. D. de interd. et releg. Per *libertum* hæredes recitabant testamenta. Suet. Tib. 23. Dio LVI. 'Et legit postea testamentum illius Polybius quidam Cæsarianus:' ubi *Cæsarianus* libertum Cæsaris significat. Per *libertum* rei defensionem mittebant aut recitabant Ann. III. 13. Cujacius VIII. Observ. 26.

Apud principes potentissimi liberti, et rerum dominis sæpe opulentiores. Hinc scite Plin. Jun. in Paneg. 'Plerique principum, cum civium erant domini, libertorum erant servi.' Et Seneca in Apocoloc. Narcissum libertum Claudii 'Dominum Domini' appellat. *Virdungus.*

[z] *Ex secretioribus ministeriis*] Quales erant liberti *a studiis, a voluptatibus, a libellis, ab epistolis, a memoria, &c.* de quibus consulendus Lipsius I. Elect. 12.

[a] *Codicillos*] Id est, literas. Codicilli ex tabulis cera illitis, sed ita brevibus et paucis conficiebantur, ut facile quocumque commodum esset, circumferri et in sinu gestari possent. Principes autem *officia* et imperia legatis deferebant, missis traditisve *codicillis*.

[b] *Syria*] Provincia Syriæ regionis ad mare Syriacum: hodie pars occidentalis præfecturæ *Alep*, in Souria regione imperii Turcici Asiatici. *Tillemon.*

[c] *Cum præcepto, ut, si in Britannia foret*] Hoc ideo, ut eo velut præmio illectus Agricola, ab exercitu provinciaque decederet; quod artificium abstrahendi, specie honoris, sane quam usitatum. Sic Tiberius Ann. l. II. Germanicum specie honoris 'suetis legionibus abstrahit,' alterum consulatum offerendo, cujus munia præsens obiret. Eademque mente Nero apud Dionem l. LXIII. Corbulonem ex Armenia ad sese quam honorificentissime in Græciam arcessit; eodemque Rufum ac Proculum fratres ex Germania, quam diu simul administrarant, evocat, tanquam eorum præsentium opera indigeret. Jam et Galba apud nostrum Hist. I. Verginium a legionibus, quibus præerat, abducit per simulationem amicitiæ. Sic alii mox, et etiamnum hodie vulpinantur. *Virdungus.*

Si in Britannia] Ut ex provincia sua et suetis legionibus eum abstraheret tanto prætextu. Sic et vetere jam repub. id usurpatum Sueton. Jul. 9. Cn. Pisoni, 'ob suspicionem urbanæ conjurationis Hispania ultro extra ordinem data.'

[d] *Freto Oceani*] Ubi Oceanus in fauces cogitur, sic ut inter Europæ

obvium Agricolæ, ne appellato quidem eo, ad Domitianum remeasse: sive verum istud, sive ex ingenio Principis fictum ac compositum est. Tradiderat interim Agricola successori suo provinciam quietam tutamque. Ac, ne notabilis celebritate et frequentia occurrentium introitus esset, vitato amicorum officio, noctu in urbem, noctu in palatium,[e] ita ut præceptum erat,[2] venit: exceptusque brevi osculo,[f] et nullo sermone, turbæ servientium[g] immixtus est. Ceterum, ut

salutato quidem illo, rediisse ad principem: sive certum istud sit, *sive ex moribus Domitiani excogitatum atque confictum est. Interea præbuerat Agricola provinciam successori pacatam et securam. Ac, ne insignis comitatu et turba salutantium* ejus in urbem *ingressus foret, declinato amicorum honore et occursu, noctu civitatem, noctu domum Cæsaris ingressus est, ita ut præscriptum* ipsi *erat:* admissusque, *levi osculo et nulla comitate verborum exceptus, multitudini adulantium adjunctus*

2 Ita veteres et recentiores editiones. In mediis quibusdam, ut in Gronov. omissum, *erat*.

NOTÆ

continentem et Britanniam non amplius 30. mill. passuum intersit. Atque hæ angustiæ Solino 'fretum Gallicum' dicitur: nostro, et Ammiano, 'fretum Oceani,' et 'Oceanus fretalis:' Gratio poëtæ, 'freta Morinum dubio refluentia ponto.' *Virdungus.*

Freto] Fretum Gallicum, inter Galliam regionem et Britanniam Majorem insulam: hodie *Pas de Calais*, in regno Franciæ et Angliæ. *Tillemon.*

[e] *Noctu in urbem, noctu in palatium*] Quod ex præcepto fecit Agricola, fecit Augustus modestiæ causa, apud Sueton. 53. 'Non temere urbe oppidove ullo egressus, aut quoquam ingressus est, nisi vespere aut noctu, ne quem officii causa inquietaret.'

Palatium] Etiam domus Augustana, dicta et sedes imperii Rom. fuit in monte Palatino et in regione Decima Romæ antiquæ: hodie ruinæ vocantur *Palazzo Maggiore*; sunt in regione *Ripa*, vel in regione *Campitelli*, in parte media versus meridiem Romæ modernæ. *Tillemonius.*

[f] *Brevi osculo*] *Breve osculum* intelligo, quod officii tantum et honoris causa exhibetur: quod scil. nullo sermone, nullisque sinceræ caritatis aut amicitiæ blandimentis conditur vel intermiscetur; cui nullæ comitatis illecebræ comites honoris adjunguntur. Quod merum officium et pompa tantum dici possit, quasi sit necessitate, aut ex decoro ac reverentia in publicum expressus honor; quasi id sit tantum majestatis aut dignitatis, et velut in extraneum et incognitum hominem. Sic olim Nero salutatum ibat matrem Agrippinam *brevi osculo*, et tantum aulici seu principalis officii causa, quod honoris in speciem, non amoris specimen. Idque scil. postquam aula et rebus amota fuit in eam palatinæ domus partem quæ Antoniæ minoris fuerat. Dicitur *breve* tale osculum, quia obiter, et statim, quasi spreto isto, ad alios transitur, aut ad res serias. Plin. Pan. 'Gratum quod ... ultro salutatis quasdam familiaritatis notas adderes.'

[g] *Turbæ servientium*] Nam quisquis

militare nomen, grave inter otiosos, aliis virtutibus temperaret, tranquillitatem atque otium penitus auxit, cultu modicus, sermone facilis,[h] uno aut altero amicorum comitatus;

est. Porro, ut militare decus, importunum inter segnes aulicos, *aliis artibus emolliret ac minueret, modestiam et quietem prorsus induit, veste ac paratu tenuis, ser-*

NOTÆ

Regiam ingreditur, statim servus est, velit, nolit. Plutarch. Apophth. de Pompeio Magno: 'Ceterum post Pharsalicam pugnam fugiens in Ægyptum, cum e triremi foret egressurus in piscatorium navigium a rege missum, ad uxorem et filium conversus, nihil aliud quam hanc Sophoclis sententiam dixit: Ὅστις γὰρ ὡς τύραννον ἐμπορεύεται, Κείνου 'στὶ δοῦλος, κἂν ἐλεύθερος μόλῃ: *Ingenuus quisquis, simul ac subit ora tyranni, Illius est statim mutato nomine servus.*' At teste Diog. Laërt. lib. II. 'Dicente ad Aristippum Dionysio: Qui ad tyrannum proficiscitur, illius est servus, etsi liber fuerit: Non est, inquit, servus, si liber venit.' Sed hoc lepide ac festive pro suo genio Aristippus, magis quam ex vero aut serio. Nam quisquis ingreditur aulam, servire debet, aut statim regredi, etiam si liber ipse, et mente libera præditus advenerit. Et quid refert, an ultro, an invitus et renitens serviat? servit tamen. Forte sibi et suæ cupiditati, aut patriæ suæ, et temporibus ac necessitati rerum inservit, magis quam dominanti; quocumque modo, servit tamen. Aut non ingrediatur ille regiam, aut serviat necesse est.

Turbæ servientium] Qui modo imperabat, jam maxime servit, jam gloriæ ejus invidetur; modo laudabatur, et statim abjicitur, jam exulat in aula ipsa post favorem, post fortunam et gloriam, aut quid pejus etiam imminet. Sic apud Ælian. Var. XIII. 38. 'Alcibiades dicere solebat se Dioscurorum vitam vivere; etenim fere alternis diebus se mori et reviviscere. Nam dum populi gratiam obtineret, se Diis parem videri: cum illam amisisset, nihil a mortuis discriminis habere.' Ut de domino populo, ita et de imperitantibus se res habet. Sed longe aliter de successore Domitiani, sub quo fortes viri jam nulli inserviebant. Nam apud Plin. Paneg. 'Nullam in eo gloriam ponit, quod sit omnibus major; nisi maximi fuerint, quibus major est.'

[h] *Cultu modicus, sermone facilis*] Multitudini gratus ille est apud Plutarch. Politicis, 'qui nusquam ulli molestus occurrit, nemini per importunitatem impedimento est; non longo servorum et comitum agmine insolens; non in balneis et theatris occupatione locorum curiosus; non deliciis et nimio sumtu insignis, et propterea invisus et gravis: sed æquus et lenis: moribus, veste, victu, educatione liberorum, uxoris atque familiæ cultu, simul modestia et humanitate, rebusque omnibus talis, ut facile agnoscere possis popularem hominem, qui se unum de cœtu haberi civium ex animo studeat; qui benevolum se et fidelem consiliarium dubitatione æstuantibus, afflictis patronum sine mercede, connubiis amicitiisque conjungendis facilem se aptumque conciliatorem exhibeat.'

Cultu modicus] Plin. epist. I. 22. de Aristone: 'Quam parcus in victu, quam modicus in cultu! Soleo ipsum cubiculum ejus, ipsumque lectum, ut imaginem quandam priscæ frugalitatis aspicere. Ornat hæc magnitudo animi, quæ nihil ad ostentationem, omnia ad conscientiam refert; recte-

adeo ut plerique, quibus magnos viros per ambitionem æstimare[i] mos est, viso[j] aspectoque Agricola, quærerent famam,[3] pauci interpretarentur.[k]

mone comis, uno aut altero familiarium stipatus; ita ut plurimi, qui eximios viros ex specie inanium, et ostentatione cultus, aut turba salutantium *æstimare solent, viso conspectoque Agricola, inquirerent gloriam, pauci intelligerent.*

3 Pro *famam* Rhenanus volebat legi *tamen.*

NOTÆ

que facti, non ex populi sermone mercedem, sed ex facto petit.'

[i] *Magnos viros per ambitionem æstimare*] Sic de Alexandro Magno Curtius l. VI. 'Interrito vultu regem Thalestris intuebatur, habitum ejus haudquaquam rerum famæ parem oculis perlustrans. Quippe hominibus barbaris ex corporum majestate veneratio est; magnorumque operum non alios capaces putant, quam quos eximia specie donare natura dignata est.'

Per ambitionem æstimare] At certe in Elide judicium pulchritudinis fieri solitum memorat Athenæus l. XIII. Augustissimam speciem credebant haustam e cœlo, et e vultu ac decore membrorum conjectabant, quantus illa cœlestis animus habitator intrasset. Fuit priscum institutum quo primi reges, teste Lucretio l. V. 'Et pecudes et agros divisere atque dedere Pro facie cujusque et viribus ingenioque. Nam facies multum valuit.' Scil. ex forma corporis animum æstimabant, et in speculo frontis imaginem cernebant ingenii. Hinc judicium Priami de Agamemnone apud Homerum Iliad. Γ. 'Certe quidem capite majores alii sunt. Pulchrum vero sic nondum vidi oculis, neque sic venerabilem; Regi enim ille similis est.' Et Plato custodes Reip. optat non solum *fortissimos constantissimosque*, sed et κατὰ δύναμιν εὐειδεστάτους: id est, *quam possibile est, speciosissimos*, seu *visu jucundissimos.* Et ut ait Val. l. II. 5. 'Grato et jucundo introitu illabitur admirationis prætextu velata majestas.'

Neque tamen animus excelsus, qui delegit sibi humile domicilium, ideo sordescit aut vilescit: quippe 'subiere minores Sæpe casas Superi.' Ovid. Metam. l. III. Immo quandoque magis splendescit. Sæpe magna ingenia amant latere in corpusculis. Agesilaus dicitur fuisse breviculus, facie ignobili, ac ne quid deformitati deesset, claudus pede. Atque adeo moriens interdixit, ne aut pingeretur, aut ære duceretur, aut saxo incideretur. Etsi non sum nescius, huic proposito honestiorem ab ipso causam obtendi, similem Catonianæ, ne videlicet quicquam post se restaret insignius nomine suo. Sic et Pericles fuit capite ἀσύμμετρος, sic et multi alii, qui tamen ingenio præcelluere.

[j] *Viso*] Sic vertit Interpres Hispan. 'Viso aspectoque Agricola, quærebant cur haberet ille tantam famam, et pauci rationem reddebant.' Quærebant causam tantæ famæ, eo viso, et pauci causam illam inveniebant.

[k] *Viso aspectoque Agricola, quærerent famam, pauci interpretarentur*] Nempe viso Agricola, ut qui statura, habitu, cultuque et comitatu modicus esset, dubitabant, seu inquirebant adhuc, unde tanta ejus fama, unde tanta gloria; et causam tanti decoris pauci satis intelligebant, nec nisi

41. Crebro per eos dies apud Domitianum absens accusatus, absens[1] absolutus est. Causa periculi non crimen

Sæpe per id tempus apud Domitianum incusatus est absens, sæpe et absolutus.

1 Ant. Augustinus hic malebat *præsens.*

NOTÆ

interpretatione intelligere poterant. Nempe interpretabantur prudentes, posse in modico corpore habitare excelsum animum, et capacem amplissimæ virtutis, et magnis ac gloriosis facinoribus parem, nec semper recto judicio æstimari mentem aut virtutem ex corporis habitu.

Sicque, viso Agricola, non statim satis conspicua fama tanta: non statim perspiciebant aut agnoscebant eximium hominis decus, sed tantum per interpretationem capiebant gloriam hanc et intelligebant. Quam virtutis famam bene interpretabantur boni et egregii viri ex suo ingenio; at mali ignavique principes sinistre tale decus intelligebant, præcipue erga proceres et viros *eminentes.*

Tac. Agric. 5. 'Incessit militaris gloriæ cupido ingrata temporibus, quibus sinistra erga eminentes interpretatio; nec minus periculum ex magna fama, quam ex mala.'

Quare et eminere noluit Agricola, aut nimis evulgari famam et inclarescere: nolebat ipse aspici ex cultu aut comitatu splendidiore, ne præceps fatum provocaret, aut irritaret.

Viso . . . quærerent famam] Sic et Corn. Nepos de Agesilao: 'Ignoti faciem ejus cum intuerentur, contemnebant. Qui autem virtutem noverant, non poterant admirari satis. Quod ei usu venit, cum annorum octoginta subsidio Thaco in Ægyptum ivisset, et in acta [ripa] cum suis recubuisset, sine ullo tecto, stratumque haberet tale, ut terra tecta esset stramentis, neque huc amplius quam pellis esset injecta, eodemque comites omnes accubuissent, vestitu humili atque obsoleto; ut eorum ornatus non modo in his regem neminem significaret, sed hominis non beatissimi suspicionem præberet.'

Viso aspectoque Agricola] Cum non vident homines, inquirunt, desiderant, admirantur: si vident aspiciuntque præsentem ac spirantem virum, licet egregium, negligunt, aspernantur. Plin. l. I. epist. 16. de Pompeio Saturnino: 'Neque enim debet operibus ejus obesse, quod vivit. At si inter eos, quos nunquam vidimus, floruisset, non solum libros ejus, verum etiam imagines conquireremus; ejusdem nunc honor præsentis et gratia quasi satietate languescit.'

Interpretarentur] Sic versio Italica: *Onde molti, che misurano gli uomini d'all' apparenza, vedendo Agricola si remesso é squadrandole, non rinvenivano in chestesse tanto gran fama.*

Interpretarentur] Ita ut pauci satis intelligerent tantam virtutem tantamque famam in tanta modestia: vel, viso Agricola, decus admirabantur, ut in modico viro, et adhuc famam quærebant, nec satis concipiebant tantum decus in exiguo corpore, in viro modesto, in comitatu parum magnifico; et magnitudinem gloriæ conjunctam simul cum tali modestia pauci interpretabantur. Vel pauci causam tantæ modestiæ in tanta fama, aut causam tantæ famæ in ea mo-

ullum, aut querela læsi cujusquam, sed infensus virtutibus Princeps, et gloria viri, ac pessimum inimicorum genus, laudantes.[1] Et ea insecuta sunt Reipublicæ tempora, quæ

Causa discriminis, non culpa ulla, aut ira offensi cujuspiam, sed infestus bonis artibus imperator, et viri fama, ac deterrimum genus hostium, laudatores. Et ea etiam

NOTÆ

destia satis intelligebant: cum eum considerassent, ex specie ducem æstimantes, quærebant adhuc famam, nec inveniebant pauci. Ex visu concipiebant gloriam hominis.

[1] *Pessimum inimicorum genus, laudantes*] Sic Mamertinus Paneg. ad Julianum: 'Cum,' inquit, 'sancti principis mores atque instituta falsarum vituperationum licentiam submoverent, callido nocendi artificio accusatoriam diritatem laudum titulis peragebant, in omnibus conventiculis, quasi per benevolentiam, illa jactantes, Julianus Alemanniam domuit, Julianus urbes Galliæ excitavit,' &c. Ubi *peragebant*, id est, prætexebant, obtendebant. Sunt sæpe etiam qui sic laudant, præsertim e vulgo, boni, et bono animo virtutem celebrant; sed tamen sic et inviti nocent. Sic amor populi Rom. infaustus olim Druso, Germanico, Rubellio Blando, et aliis.

Pessimum inimicorum genus, laudantes] Ea nocendi ars summa est. Exempli gratia, principi aliquem laudare ob ea, in quibus aut ratione dignitatis excellere debet ipse princeps, aut excellendi conatum ostentat ex quocumque tandem impetu, præsertim si ea arte aut ingenio se minorem sentiat princeps, id perniciosissimæ calliditatis artificium est maxime expeditum.

Quicumque aulicus assentator istos inclinantes ad artem aliquam naturæ motus in principe suo deprehendere, et in rem suam vertere, ubi deposcet occasio, novit, parata illi semper nocendi materies: qui notaverit res, in quibus sibi placeant imperitantes, alteri, quem et præcellere animadverterit eadem industria, licet innoxia, periculum creaverit apud bonum principem, perinde facile, ac si *rimaretur metus* apud malum, ut Tigellinus apud Neronem Ann. XIV. 57.

Si enim quælibet rivalitas etiam inter privatos simultates gignit, quid non formidet subditus a principe, qui tales offensiones alte animo dimittit? quid non metuat in tanta nocendi licentia, statim atque specioso nomine culpam prætexendi occasio dabitur?

Dionysius Senior, cum famam Tragici poëtæ affectaret, Philoxenum poëtam vexavit, et carceri ac tormentis addixit, quod luminibus suis officere putaret: sic Diodor. XV. 6. Et prima mali labes, quo Seneca periit, fuit, quod eloquentiæ laudem supra Neronem sibi ascisceret, et factitandis carminibus principem supergredi conaretur, Ann. XIV. 52.

Sic et amicitia sua Paridem depulit histrionem, quem postea velut æmulum occidit. Poppæa quoque laudatum Othonem, quamvis hoc non intenderet, principi suspectum reddidit Ann. XIII. 46.

Sed nunquam altius penetrat, ferocius quoque nocitura, commendatio, quam ubi, quæ commendaveris, grata in vulgus sunt, et cum admiratione accipiuntur; ut sunt *gloria militaris*, magnanimitas, justitiæ adversus vim et licentiam protegendæ studium, splendor, aliæque heroicæ virtutes principum propriæ, aut saltem quæ illos reddunt ornatissimos. At nusquam paratior et sævior noxa est, quam ubi princeps ex defectu naturæ inferiorem se sentit. Ut enim alienæ

NOTÆ

virtuti nemo invidet, qui confidit suæ, sic invidet ac sinistrorsum omnia trahit ille maxime, quem imbecillitatis conscientia remordet.

Vespasianus et celebrium principum alii, velut domestico virtutum suarum testimonio animosi, facile contemtu transmisissent, si quis v. c. 'Imperatoriam genesin,' apud Suet. 14. habuisse diceretur, &c. Cum contra apud Domitianum, ignavum et timidum principem, et conscientia sua convictum, nihil facilius fuerit, quam laudatum Agricolam gratia dejectum in discrimen adducere.

Similis in aula Constantii fuit Juliani fortuna, in quo cum nihil occurreret quod juste ei impingeret livor malignus, pari etiam commendatione virtutum ejus coram imperatore prævaluit, conflato odio, quod Mamertinus Paneg. capite 4. fuse enarrat.

Aliud nocendi genus isto laudandi artificio memorat Polybius libro IV. exemplo proposito cujusdam senatoris, Apellis nomine. Homines, quos in sublimi fortuna collocavit, aliquo modo similes Lunæ fecit, quæ etsi mutuatitiis a Sole ignibus luceat, eoque sæpius redeat novis fœcundanda influxibus, ab illo tamen recens congressu tenebricosa mundo affulget, pleniusque tum splendescit, cum remotior radios vibrat.

Dein invaluit, ut specie laudis in alium seponeretur locum, quisquis domi excellere putaretur, quæsito prætextu operæ utilius apud exteros aut in provinciis navandæ: quod obtinent multis modis; ut si quis palam extollitur inani neque profutura laude, (et tum hoc adversarius periculi ab eo metuendi securus agit,) et cum idem insusurratis clam criminationibus oppugnatur, cum certissime ei noceri potest. Sic Hist. I. 'Manlius Valens, quanquam bene de partibus meritus, nullo apud Vitellium honore fuit: secretis eum criminationibus infamaverat Fabius ignarum, et quo incautior deciperetur, palam laudatum.' Et etiam, si in genere quis deprædicetur, ut in principis credulo animo gignatur opinio, quasi amicus sit qui laudetur, et ille interim accusetur hujus aut illius, quod controverti possit; aut similis struatur dolus, promtissimo in hanc nequitiam genio aulæ: nam astipulante Polybio, nata ibi primum ista malignitas et nocendi protervia, neque ulterius progressa est. *Savilius.*

Sic Psalmo CI. 'Tota die exprobrabant mihi inimici mei, et qui laudabant me, adversum me jurabant.' Laudantibus etiam similes sunt excusantes in speciem. Sic Ann. I. 'quædam de habitu cultuque et institutis ejus [Tiberii] jecerat [Augustus], quæ velut excusando exprobraret.' *Pich.*

Laudantes] Paneg. Juliani imper. 'Et cum sancti principis mores atque instituta falsarum opinionum et vituperationum licentiam submoverent, callido nocendi artificio accusatoriam diritatem laudum titulis peragebant, in omnibus conventiculis, quasi per benevolentiam, illa jactitantes, Julianus Alamanniam domuit, Julianus urbes Galliæ ex favillis et cineribus excitavit: illæ provinciæ obsessæ, expugnatæ ferro, ignique vastatæ, beatiores sunt his oppidis, quæ habet sine hoste Constantius. Æstates omnes in castris, hyemes in tribunalibus degit.... perpetuum professus, aut contra hostem, aut contra vitia certamen. Hæ voces fuerunt ad inflammanda odia probris omnibus potentiores. Si enim comminisci aliqua flagitia tentassent, facile ipso splendore laudis et gloriæ refutarentur: invenerunt accusandi genus, quod nullus refelleret. Sed quid, oro vos, principem nostrum facere debuisse

sileri Agricolam non sinerent: tot exercitus in Mœsia[m] Daciaque,[n] et Germania Pannoniaque,[2 o] temeritate aut per

fuere postea Reipub. tempora, quæ taceri Agricolam non paterentur: tot exercitus profligati imprudentia vel segnitia ducum in Mœsia Daciaque, et Germania ac Pan-

2 In Ms. Vatic. 3429. *et Pannonia.* Durius certe, nec ex Taciti more, *in Mœsia*

NOTÆ

censetis? Romanas urbes hostibus dedere, ne animum fratris offenderet? .... ne quid Augustus, quod nollet, audiret?' &c. 'Nobilem Etruriæ adolescentem ferunt, cum propter eximiam formæ dignitatem, multarum in se fœminarum amores excitaret, faciem suam ad obliterandam pulchritudinem vulneribus sauciasse. Sed facile fuit juveni, dignitatem corporis decorem animi præponenti, et candorem decolorare, et oris nitorem alte impressis cicatricibus devenustare. Num aliquid adversus hujusmodi amorem civium facere debuit Julianus? ac ne potuit quidem, nisi forte existimamus patientes vulnerum formas esse virtutum. Scilicet et candorem æquitatis potuit obumbrare, et a temperantia purpuram sancti ruboris abolere, vicem fortitudinis indignis confodere vulneribus, eruere oculos providentiæ,' &c. Magnum Cæsaris elogium, quia verum, quia nihil ibi in scenam aut adulationem compositum.

Laudantes] Julianus Imperator in epist. ad Basilium scripta: 'Conscii sumus invicem ambo, non uti nos ea aulica dissimulatione, quam arbitror te hactenus expertum esse solum in dominantium regia; juxta quam laudantes tali odio prosequuntur eos quos celebrant, quale neque exercent infensissimi hostes; sed nos invicem cum honesta libertate reprehendentes objurgantesque, cum oportet, non minus nos diligimus.'

Inimicorum .... laudantes] Gell. IX. 4. 'In libro Plinii Secundi naturalis historiæ septimo, legis, esse quasdam in terra Africa familias hominum voce atque lingua effascinantium; qui si impensius forte laudaverint pulchras arbores, segetes lætiores, infantes amœniores, egregios equos, pecudes pastu atque cultu opimas, emoriantur repente hæc omnia, nulli aliæ causæ obnoxia.'

Nec male ad rem, quod et hic adjicit Gellius: nam et qui laudant malo animo, irati illi effascinant, ac perdunt voce vultuque et oculis, quos sic laudarunt. 'Oculis quoque,' inquit, 'exitialem fascinationem fieri, in iisdem libris scriptum est: traditurque esse homines in Illyriis, qui interimant videndo, quos diutius irati viderint.' Sic laudant irati per sævitiam, qui mala mente laudant; quasi basilisci venenum ex oculis et ore emittunt.

Laudantes] Sic et in natura vitium, ut in ingeniis aulicis. Plin. VII. 2. Sunt 'in Africa familiæ effascinantium, quarum laudatione intereant probata [oves], arescant arbores, emoriantur infantes.' Interdum ab aliquibus laudari antiqui metuebant: et eam laudem vim *fascini* habere credebant: et ut apud Plinium legimus, quorundam laudatione interire πρόβατα, et apud Maronem: 'Aut si ultra placitum laudarit.' Idcirco ab illis, a quibus id metuebant, addi *præfiscine* volebant, quod est *sine fascino;* ut testarentur eo adverbio, non se *fascinandi* voluntate, sed *laudandi* animo, sine livore ullo, candideque se loqui.

ignaviam Ducum amissi: tot militares viri[3p] cum tot cohor-

nonia: tot militares viri cum tot cohortibus obsessi et capti: nec jam certabatur

Daciaque, et Germania Pannoniaque. Brotier.—3 Male tentat Lipsius, *milita-*

NOTÆ

[m] *Mœsia*] Regio Illyrici late sumti versus orientem: hodie partes provinciarum *Dalmatiæ*, *Albaniæ*, *Serviæ*, et *Bulgariæ*, sub Turcico imperio Europæo, pro majori parte. *Tillemonius.*

[n] *Daciaque*] Hæc trans Tibiscum amnem latissime patet. Namque a septentrione, Tyra fluvio, aut etiam Axiaco, ab ortu, Ponto Euxino, a meridie, Danubio terminatur, complexa Transylvaniam cum duabus Walachiis, Majore et Minore, quarum illa ad Pontum usque Euxinum excurrit, a nostratibus *Moldavia*, a Turcis *Carabogdania*, a Græcis recentioribus Μαῦρα Βλαχία, prius vero *Maura Davia* dicta: unde vulgus imperitum *Moridaviam* fecit, ac rursus *Moldaviam.*

Minor vero Walachia ad Danubium pertinet, vulgo Transalpina, a Bonfinio vero aliisque *Montana*, a Græcis hodiernis *Ungrovlachia*, olim vero Βλαχία nominata.

Sic igitur vocabuli Daciæ hodie saltem in Moldavia vestigium apparet: quæ vox, ut dixi, corrupta ex Μαῦρα Δαβία, quod *Nigram Daciam* sonat; sicut et vocabulum Turcicum denotat *Daniam*, sive *Gdaniam*, *Nigram*, et recentius Græcorum, *Nigram Walachiam*, ob largissimum nigri frumenti inibi proventum. *Virdungus.*

Dacia] Vide notas ad Germaniam c. 1.

[o] *Pannonia*] Vide notas ad Germaniam c. 1.

[p] *Tot militares viri*] Ego dubito annon, *tot militares numeri.* Atqui de *cohortibus* jungit. Ita; sed illos Romanos intelligit; has, Sociales. *Lipsius.*

Viri] Ibi perperam reponunt, *numeri:* nam *cohortes* etiam *numeri* sunt; sicque bis idem diceret Tacitus. Nec est quod intelligas *cohortes* de sociis. Nam *cohortes* absolute, etiam de Romanis dicit, at sociorum cohortes *auxilia* vocat: multis locis sic loquitur Tacitus. Et hic opponit et comparat *militares* illos *viros* infortunatos vel ignavos cum nostro Agricola, qui vir militari fama tum præcellebat.

Igitur per *cohortes* hic intelligit omnis omnino generis cohortes, et veteranos, et vexillarios, seu vexilla legionum, cohortesque et alas separatas Romanas, et etiam cohortes alasque auxiliarium: nam cohortes et vexilla non sine equite et alis. Sic vocat, quia forte nulla tum legio integra merebat in hisce partibus, aut non devicta fuerat; sed plura vexilla seu *cohortes* æquivalebant legioni, saltem quoad numerum et robur.

Inepte Gronovius legit, *militares vici:* hi certe *militares viri* capti expugnatique in castellis præsidiisque, ubi cohortes. Nam 'de hybernis legionum et possessione dubitatum;' et ipsimet *viri* capti, non *vici;* et si *vici* capti essent simul cum viris, non ideo tamen sic scriberet Tacitus. Quis enim de *militaribus vicis* unquam audivit apud auctores? Expugnata præsidia et castella, et in his cohortes, et *viri militares:* nihil certius.

Tot viri militares expugnati] Certe possunt obsideri et oppugnari *viri militares;* quidni et expugnari, quemadmodum et obsidione liberari, pos-

tibus expugnati et capti: nec jam de limite Imperii et ripa, sed de hybernis legionum et possessione[q] dubitatum. Ita, cum damna damnis continuarentur, atque omnis annus[r] funeribus et cladibus insigniretur, poscebatur ore vulgi Dux Agricola: comparantibus cunctis vigorem, constantiam et expertum bellis animum, cum inertia et formidine[4] ceterorum.[5 s] Quibus sermonibus satis constat Domitiani quo-

de termino imperii et littore, sed de præsidiis legionum, et possessione castrorum. *Ita, cum perpetuæ clades cladibus adderentur, et quilibet annus luctuosis cædibus calamitatibusque infamaretur,* tum *rumore vulgi postulabatur dux Agricola: cunctis conferentibus virtutem* ejus, *firmitudinemque et spectatum probatumque bellis animum, cum segnitia et pavore illorum ducum.* Et *satis compertum est, hosce ru-*

res numeri: Gronovius, *vici.* Corbulo *vir militaris* dictus est supra Annal. xv. 26. *Brotier.*—4 Ita Mss. Vatic. Sed in margine Ms. Vatic. 3429. notatum, ' alius habet, *inertiæ et formidini.*'—5 Sic Grotius emendabat: Ernestus, *cæsorum.* Brotierus ceterique exhibent *eorum.* Sed Bipont. dedere *aliorum.*

NOTÆ

sint? De his Sueton. Domit. 6. ' Expeditiones partim sponte suscepit, partim necessario. Sponte in Cattos, necessario unam in Sarmatas, legione cum legato simul cæsa. [Puto id in Pannonia evenisse.] In Dacos duas, primam, Oppio Sabino consulari oppresso, secundam, Cornelio Fusco, præfecto cohortium prætorianarum, cui belli summam commiserat.'

q *Et possessione*] Vertunt: *de possessione imperii:* falso. Nam de possessione *hybernorum*, seu castrorum legionum tantum *dubitatum* est.

r *Omnis annus*] Id non de toto seu universo anno aliquo intelligi debet, sed de omnibus et singulis annis; eo sensu, ut nullus fere transierit annus, qui non aliqua notabili clade insigniretur. Nec certe clades toto alicuius anni spatio continuatæ sunt, neque sufficeret Respub. iis tolerandis: sed per multos annos multæ clades intervenere. Omnibus fere et singulis annis afflicta Respub. sub tali principe, ut quem scil. hostes spernerent.

s *Cum inertia et formidine eorum*] Languidum hoc, nec satis Latine: scribe, *ceterorum.* Grotius. Aliquid ibi deesse suspicari licet.

Eorum] Hæc vox haud satis explere sensum prima fronte videatur. Attamen puto, sic indistincte dictum de ducibus, sive de dominantibus, vel certe de præpotentibus aulicis, qui sæpe adulatione et verbis ac lingua factiosi, re vero pessimi sunt inertissimique mortalium. Et nos hodieque sic vulgo loquimur de imperitantibus seu ministris indefinite; aut sic, tradito more aut respectu, et ne quem nominatim offendamus, de rebus ultra crepidam sermocinantes. Igitur τὸ *eorum*, sic dictum Tacito, vel per contemtum, vel obiter, et breviter, ne suggillare aut memorare rursus ignavos istos duces aut dominantes cogeretur; ita dixit, ut neminem unum proprie designaret, omnes tamen incusaret: quia scil. vivebant adhuc isti duces, aut certe manebant illorum posteri. In aula Domitiani quid reperias, nisi flagitia belli, et flagi-

que aures verberatas, dum optimus quisque libertorum amore[t] et fide, pessimi[u] malignitate et livore, pronum deterioribus Principem exstimulabant. Sic Agricola simul suis virtutibus, simul vitiis aliorum, in ipsam gloriam præceps agebatur.[v]

42. Aderat jam annus, quo Proconsulatum Asiæ et[1] Africæ sortiretur,[w] et occiso Civica[x] nuper, nec Agricolæ consi-

mores etiam ad aures Domitiani pervenisse, dum honestissimus quisque libertorum caritate et fide, deterrimi pravitate et invidia, promtum deterioribus imperatorem incendebant. Sic Agricola simul et *egregiis suis artibus, simul* et *aliorum flagitiis, in ipsum decus præcipitabatur.*

Jam advenerat annus, quo proconsul sorte obtinere debuit Asiam aut Africam, et interfecto Civica nuper in Asia, *nec Agricolæ providentia, nec Domitiano deerat*

1 Mallet Lipsius, *Asiæ aut Africæ.* Vulgatam scripturam defendit Mercerus: nec immerito, nam Asiam et Africam sortiri, ait, idem esse, ac sorte

NOTÆ

tiorum portenta? quæ obiter et contemtim memorasse sufficiebat. Aut forte scripserat, *aliorum*, vel *aulicorum.* Vel forte refert vocem *eorum* ad ea, quæ supra: 'tot exercitus .... per ignaviam ducum amissi,' &c. ut *ignavia, inertia, formido* pro eodem sit.

[t] *Optimus quisque libertorum amore*] Mamertini Paneg. Jul. Imper. 'Anxia fidelium diligentia, maximo amori maximus timor junctus est.'

[u] *Pessimi*] Quod miserum est, teste Plin. Paneg. 'Malos principes detestantur etiam, qui malos faciunt.' Varro in Fragm. 'Actæonem suum comedent isti canes.'

[v] *In ipsam gloriam præceps agebatur*] Sic significatur, Agricolam his quidem rebus gloriam maximam consecuturum fuisse, ni ipse obstitisset, sed sibi exitialem; *in gloriam* quippe, sed *tamen præceps agebatur;* in gloriam scil. et simul in exitium trahebatur. Sic gloria et discrimine tum pariter circumfusus est.

Præceps] Quia nulla tum ingens gloria sine magno discrimine; igitur qui ad gloriam impellebatur, simul et in discrimen agebatur. Tac. xv. 25. ubi Thrasea salutatione prohibetur: 'Secutam dehinc vocem Cæsaris ferunt, quæ reconciliatum se Thraseæ apud Senecam jactaverit; ac Senecam Cæsari gratulatum: unde gloria egregiis viris et pericula gliscebant.' Plin. epist. v. 15. 'Ut illi, [Cornuto] sic mihi gratulor, nec privatim magis, quam publice, quod tandem homines, non ad pericula, ut prius, verum ad honores virtute perveniunt.'

[w] *Quo Proconsulatum Asiæ et Africæ sortiretur*] Recte, *Asiæ et Africæ:* nam Asiam et Africam sortiri, significat, sorte ducere, utram earum regeret. *Pichena.*

Africæ] Africa, proconsulatus, et provincia Africæ minoris ad mare Africum: hodie pars regni *Tunis*, in Barbaria, sub clientela Turcarum. *Tillemonius.*

[x] *Occiso Civica*] Sueton. Dom. 10. 'Complures Senatores, et in his aliquot consulares, interemit; in quibus Civicam Cerealem, in ipso Asiæ proconsulatu.' Agricolæ *consilium* suppetebat, munus periculosum recu-

lium[y] deerat, nec Domitiano exemplum. Accessere quidam cogitationum Principis periti, qui, iturusne esset in provinciam, ultro Agricolam interrogarent: ac primo occultius quietem et otium laudare, mox operam suam in approbanda excusatione offerre:[z] postremo non jam[2] obscuri, suadentes simul terrentesque, pertraxere ad Domitianum; qui paratus simulationi,[3] in arrogantiam compositus, et audiit preces

exemplum facinoris. *Intervenere nonnulli gnari consiliorum principis, qui ultro peterent ab Agricola, utrum provinciam aditurus esset: ac primo callidius et obscurius extollere tranquillitatem quietemque, dein offerre ministerium suum, quo approbaretur excusatio* ejus principi: *denique non jam occulti, consilium simul et metum addentes*, illum *deduxere ad Domitianum; qui compositus dissimulatione*, et *in superbiam flexus*, velut abnueret, *et admisit rogationem deprecantis, et, cum*

ducere, utram quis regat. *Brotier.*—2 Ita Rhenanus et recentiores. In Ms. Vatic. 3429. et editionibus veteribus, *non tam obscuri.*—3 Sic Bipont. Brotierus, cum Ryckio et Gronovio, *simulatione:* et sic Mss. Vatic. et libri editi. Margini tamen Ms. Vatic. 3429. ascriptum, 'alius habet *simulationis*.' Mallet

NOTÆ

sandi: si vero in provinciam profectus esset, Domitiano *exemplum* non deerat, ipsum occidendi. *Pichena.*

[y] *Consilium*] Quo nempe se excusaret, et proconsulatu abstineret.

[z] *Operam suam in approbanda excusatione offerre*] Similem fere mimum usurpatum videbis apud Plin. epist. IV. 11. ubi de Liciniano prætorio; cum scil. incesti Corneliam Vestalium Maximam convictam voluit Domitianus, ut scilicet sævitiæ et pessimi judicii infamiam a se amoliretur: quippe jam damnata ac defossa viva Cornelia erat: 'Ardebat ergo Domitianus et crudelitatis et iniquitatis infamia. Arripit Licinianum, quod in agris suis occultasset Corneliæ libertam. Ille [Licinianus] ab iis, quibus erat curæ, præmonetur, si comitium et virgas pati nollet, ad confessionem confugeret, quasi ad veniam. [En vides officium aulicum, sed in dominum magis, quam in reum.] Fecit. Locutus est pro absente Herennius Senecio tale quiddam quale illud κεῖται Πάτροκλος. Ait enim, Ex advocato nuntius factus sum. Recessit Licinianus. Gratum hoc Domitiano, adeo quidem, ut gaudio proderetur, diceretque, Absolvit nos Licinianus. Adjecit etiam, Non esse verecundiæ ejus instandum: ipsi vero permisit, si qua possit, ex rebus suis raperet, antequam bona publicarentur; exiliumque molle, velut præmium dedit.' En mimus! en scena aulica!

In approbanda excusatione] Sic quandoque se excusabant apud senatum, aut apud principem. Plin. l. II. epist. 1. de Verginio Rufo: 'Quin etiam in hac novissima valitudine veritus, ne forte inter Quinque viros crearetur, qui minuendis publicis sumtibus judicio senatus constituebantur; cum illi tot amici senes consularesque superessent, me hujus ætatis, per quem excusaretur, elegit, his quidem verbis, Etiam si filium haberem, tibi mandarem.'

excusantis, et, cum annuisset, agi sibi gratias[a] passus est: nec erubuit beneficii invidia.[b] Salarium tamen, Proconsulari[4] [c] solitum[d] offerri, et quibusdam[e] a seipso concessum,

veniam *concessisset*, ideo etiam *referri sibi grates permisit: nec* talis *gratiæ odio erubuit. Salarium tamen, proconsuli dari solitum, et nonnullis,* quos retineret in

Ernestus, *parata simulatione.*—4 Mallet Cl. de la Bleterie, *proconsulare.*—

NOTÆ

[a] *Agi sibi gratias*] Non eas *gratias* intelligit præcise, qui scil. 'finis omnium cum dominante sermonum,' ut habet Tacitus supra, ubi de Seneca, cum Nerone agente; sed eas *gratias* intelligit, quas sibi reddi *passus est* Domitianus, eo quod approbasset audiissetque *preces excusantis* se Agricolæ; nempe ne iret in provinciam, quæ ipsi suo anno ut vetustiori consulari obtingebat. Debuit igitur Agricola, tanquam vetustissimus consularium, obtinere Asiam vel Africam, prout sorte illi utravis obtingeret; sed cum ipse metueretur perinde et metueret, se excusavit apud dominantem, ne sortiretur provinciam; itaque ejus sors in alium consularem, qui post ipsum ætate vetustissimus erat, collata est. Potuit tamen absolute obtinere provinciam et retineri in urbe, unde eam per legatos regeret, *exemplo olim L. Arruntii,* et Cluvii Rufi, aut saltem salario donari: sed et provincia et salario privatus est. Et quo major Agricolæ fama, eo magis sæviebat virtutibus infensus princeps, et eo intentius gratias agebat Agricola.

Agi sibi gratias] 'Qui finis omnium cum dominante sermonum;' etsi male faciant, etsi inique, superbe, et injuste agant imperitantes, gratiæ aguntur: immo quo plus sæviebat Nero, eo intentiores patres, ut Diis decus, et principi grates referrent. Sic et erga Tiberium ac Sejanum jam olim affecti, cum maxime sævirent, tum aras Concordiæ maxime statuebant. Sic Hist. III. 7. post negatos consulatus, 'actæque insuper Vitellio gratiæ, consuetudine servitii.'

[b] *Nec erubuit beneficii invidia*] Non erubuit permittere, ut insignem injuriam Agricola tanquam beneficium agnosceret acciperetque. Sic Seneca de beneficiis IV. 17. 'Quis est, qui non beneficus videri velit? qui non inter scelera et injurias opinionem bonitatis affectet? qui non ipsis, quæ impotentissime fecit, speciem aliquam induat? velit quoque iis videri beneficium dedisse, quos læsit? gratias itaque agi sibi ab his, quos afflixere, patiuntur.'

Invidia] Nec erubuit talis beneficii invidia seu odio publico. Nam talis gratia summa injuria fuit, et ex injuria tanti viri *invidia* in vulgus, et offensio omnium bonorum fuit. Qua non *erubuit;* qui natura ruber et sanguineus vultu, et flagitiis pridem factus, jam erubescere non potuit. Sic se eo rubore adversus pudorem et scelus velabat, firmabat.

[c] *Salarium tamen, Proconsulari*] Dio Cassius in Fragmento rerum Macrini ait, 'Aufidium Frontonem, neque Africæ proconsulatu donatum a Macrino, etsi sortitus eam esset, neque item Asiæ.' Et addit: 'Adjunctum tamen salarium; etiam domi manenti ipsi viginti quinque myriades drachmarum dari statuit: quod ille non accepit, dicens non pecuniæ, sed imperii honorisque se egere.' Summa

NOTÆ

ea est decies HS. sive 25. millia Philippicum. *Lipsius.*

Salarium] A sale deductum ; ut sit pecunia ad salem, sicut *vasarium* ad vasa, *congiarium* ad congios, *calcearium*, apud Suetonium, ad calceos, *vestiarium*, apud Senecam, ad vestem, &c. Sane, *salis* appellatione, quicquid ad victum pertinet, aliquando comprehenditur. Sic Plautus, 'hodie nunquam apud me delinges salem.' Antiquitus instituti quidam ministri erant, qui *ligna salemque* magistratibus iter facientibus præberent, iique parochi dicebantur. Horatius: 'Parochi quæ præbent ligna salemque.' *Virdungus.*

Salarium] Plut. Apophtheg. 'Alter præfectura equitum submotus, insuper et salarium ab Augusto postulare est ausus ; hoc colore ut diceret, se non lucri causa salarium petere, sed 'ut tuo,' inquit, 'judicio videar impetrasse munus, et ita credar non ab officio submotus, sed officium deposuisse,' &c. Sic addit Macrobius Sat. II. 4. Eum 'hoc dicto repercussit [Augustus,] Tu te accepisse apud omnes affirma, et ego dedisse me non negabo.'

Salarium] M. Tullius in Ver. 6. ait, 'Majores neminem, qui cum potestate, aut legatione in provinciam esset profectus, putasse tam amentem fore, ut emeret argentum, dabatur enim de publico ; aut vestem, præbebatur enim legibus. Mancipium [emendum] putaverunt, quo et omnes utuntur, et non præbetur a populo. Id autem non sane aliter quam in demortui locum ; et demortui quidem non Romæ, sed ibidem.' Id est, si in provincia mortuus esset servus.

Salarium] Nec sine diligentia ac summa cura famæ acceptum, aut redditum salarium, etiam vel scribarum, si forte non meruissent. Exemplum erit quod habet Plin. epist. IV. 12. de Marcellino : 'Cum in provinciam quæstor exisset, scribamque, qui sorte obtigerat, ante legitimum salarii tempus amisisset, quod acceperat scribæ daturus, intellexit et statuit subsidere apud se non oportere. Itaque reversus, Cæsarem, deinde, Cæsare auctore, senatum consuluit, quid fieri de salario vellet? parva quæstio, sed tamen quæstio. Hæredes scribæ sibi, præfecti ærarii populo vindicabant. Acta causa est: dixit hæredum advocatus, deinde populi ; uterque percommode. Cæcilius Strabo ærario censuit inferendum ; Bæbius Macer hæredibus dandum. Obtinuit Strabo.'

Salarium tamen] De quo sic Plin. XXXI. 7. 'Ergo hercule vita humanior sine sale nequit degere: adeoque necessarium elementum est, ut transierit intellectus ad voluptates animi quoque. Nam ita sales appellantur: omnisque vitæ lepos et summa hilaritas, laborumque requies non alio magis vocabulo constat. Honoribus etiam militiæque interponitur, salariis inde dictis, magna apud antiquos auctoritate,' &c.

Salarium] Sueton. de Augusto 36. 'Auctor et aliarum rerum fuit ; inquis, ut proconsulibus ad mulos et tabernacula, quæ publice locari solebant, certa pecunia constitueretur :' quod et tributum non solum *proconsulibus*, sed et *præsidibus*, vel et *procuratoribus*, aliisque *officiis*. Cicero objicit L. Pisoni eunti in Macedoniam, ei ut proconsuli, 'sestertium centies octogies, quasi vasarii nomine datum :' ubi *vasarium* est viaticum, seu quæ necessaria sunt ad paratum et comitatum. Non morem, sed modum, scil. excessum pecuniæ insumtæ orator carpit. Summa ea est 250,000. coronati.

Salarium .... solitum offerri] Quod jam olim usurpatum ab Augusto in

Agricolæ non dedit: sive offensus non petitum, sive ex conscientia,[f] ne, quod vetuerat, videretur emisse. Proprium humani ingenii est, odisse, quem læseris:[g] Domitiani vero natura præceps in iram, et, quo obscurior, eo irrevocabilior,[h] moderatione tamen prudentiaque Agricolæ leniebatur: quia non contumacia, neque inani jactatione libertatis, famam fatumque provocabat. Sciant, quibus moris,[5] illicita mirari,[i] posse etiam sub malis Principibus magnos viros

urbe, aut provinciæ sorte prohiberet, *a seipso datum, non præbuit Agricolæ: sive indignatus, quod non petiisset, sive anxius et æger animi, ne, quod prohibuerat, pretio redemisse censeretur. Ingenitum insitumque a natura homini est, aversari quem offenderit: at Domitianus ingenio promtus ad irascendum, et, quo occultior, eo implacabilior, modestia tamen et prudentia Agricolæ mitigabatur: quia non pervicacia, neque vana ostentatione libertatis, gloriam exitiumque lacessebat. Advertant, qui solent inconcessa suspicere, posse quoque egregios et illustres viros esse*

5 Brotierus scribit *quibus moris est*, ex Ms. Vatic. 3429. et ed. pr. Beroal-

NOTÆ

minoribus officiis. Sic Macrob. Sat. II. 4. 'Alium præfectura equitum summotum et insuper salarium postulantem, dicentemque, 'Non lucri causa dari hoc mihi rogo, sed ut judicio tuo munus videar impetrasse, et ita officium deposuisse,' hoc dicto repercussit: 'Tu te accepisse apud omnes affirma, et ego dedisse me non negabo.'

[d] *Solitum*] Nempe, iis legatis dari solitum, quos jam sortitos adeptosque provinciam, eo mittebant principes, aut etiam in urbe retinebant; vel et iis, quos sortiri et adire provinciam prohibebant, offerebant tamen salarium.

[e] *Quibusdam*] Iis, quos nempe, ne sortirentur proconsulatum, vetabat; vel sortitos, impositosve provinciæ in urbe retinebat, tamen salarium concedebat princeps, quasi in decus et solatium, ne se prorsus gratia et amicitia principis abdicatos putarent.

[f] *Conscientia*] Secreto metu, ne, &c.

[g] *Odisse quem læseris*] Seneca: 'Hoc habent pessimum animi magna fortuna insolentes; quos læserunt, et oderunt.'

[h] *Quo obscurior, eo irrevocabilior*] Idem fere de Tiberio Ann. I. 'In Haterium statim invectus est: Scaurum, cui implacabilius irascebatur, silentio tramisit.' Et Hist. III. 'Inde graves simultates, quas Antonius simplicius, Mucianus callide, eoque implacabilius nutriebat.'

Eo irrevocabilior] Scil. quo arctius altiusque pressa ira est, eo mox acrius erumpit, et difficilius placatur.

[i] *Sciant, quibus moris, illicita mirari*] Sic Ann. IV. 'An sit aliquid in nostris consiliis, liceatque inter abruptam contumaciam, et deforme obsequium, pergere iter, ambitione ac periculis vacuum.' Quod etiam factitatum Thraseæ delicio libertatis. Is enim compescuit Rusticum plebis tribunum, qui gloriæ stimulis impulsus, intercessionem parabat. Ann. XVI. 'Ne vana et reo non profutura, intercessori exitiosa inciperet.' *Salinerius.*

Illicita] Quia non licet, non fas

esse: obsequiumque ac modestiam, si industria ac vigor adsint, eo laudis excedere,[6 j] quo plerique per abrupta, sed in nullum Reipublicæ usum,[7 k] ambitiosa[a] morte inclaruerunt.

sub malis imperatoribus: et obsequentiam ac moderationem, si modo *adsint industria ac vigor, eo decoris evehi, quo multi per præcipitia, sed in nullam Reipub. utilitatem, quæsita provocataque per ambitionem morte illustrati sunt.*

dus et recentiores omisere, *est.*—6 Mallet Lipsius, *accedere* vel *escendere.* Eleganter utrumque. Etsi ibi fortasse melius fuerit vulgatam *excedere* non movere. Nam eo modo non semel loquitur Valerius Maximus, tanquam v. 6. 4. Ruhnken. ad Rutil. Lup. 49. *Brotier.*—7 Ita Mercerus et recentiores. In Mss. Vatic. et editionibus veteribus, *nullum rei post usum.*

NOTÆ

privatis in ordinem cogere principem rixis et intempestivis contentionibus; sed imitari Ephestionem decet, qui monebat opportune regem apud Curtium, quia sic rex permittebat jubebatque; et quia id pietate et caritate, non ambitione, aut contentione, vel rixis; neque pædagogi importuni et increpantis vultu id usurpabat.

Habes exemplum importunarum contentionum Helvidii apud Sueton. Vespas. 15. ' Non temere quis punitus insons reperitur: nisi absente eo et ignaro, aut certe inviso atque decepto. Helvidio Prisco, qui et reversum se ex Syria solus privato nomine Vespasianum salutaverat, et in prætura omnibus edictis sine honore ac mentione ulla transmiserat, non ante succensuit, quam altercationibus insolentissimis, pæne in ordinem redactus,' &c. Et hæc est *contumacia* insolentissima; hoc est rixosa et *inani* infructuosaque ' jactatione libertatis famam fatumque provocare.'

[j] *Eo laudis excedere*] Malo, *accedere,* vel potius *escendere.* Sequentia hujus comprehensionis parum integra censeo. *Lipsius.* Sufficit, *excedere,* quod est, egredi, erumpere, evehi.

[k] *In nullum rei post usum*] Non displicet junctim et quasi composite, *post-usum.* Id est, morte ea, nec in posterum aliquid boni consuluisse, vel utiliter præstitisse. Mercero placebat: *in nullum reipublicæ usum;* ingeniose, et fortasse vere. *Lipsius.*

In nullum Reipubl. usum] In vett. libris, *in nullum rei post usum,* legit Acidalius: *Quo plerique viri qui per abrupta, sed in nullum rei post usum.* Alii, *in nullum Reip. post usum.* Recte *in nullum Reipub. usum:* et certe sæpe frustra talis libertas per contumaciam intempestive usurpatur.

Ipse Tacitus XIV. 12. ubi de Thrasea, cum in senatu decernerentur honores Neroni post cædem Agrippinæ: ' Tum Thrasea Pætus silentio, vel brevi assensu, priores adulationes transmittere solitus, exiit tum senatu: ac sibi causam periculi fecit; ceteris libertatis initium non præbuit.'

Igitur in nullum reipub. seu libertatis usum tales viri per abrupta et præcipitia mortem, exitum, famam fatumque ambitiose provocarunt.

Forte tamen sic intelligi possit Tacitus: In nullius rei, neque vel reipub. postea usum: quasi nulla postea utilitas inde proveniret. Quæ tamen sententia Taciti habet nonnihil falsi

NOTÆ

admixtum, aut certe, quod in utramque partem pro situ ingeniorum accipi possit, ut et multa alia, quæ statim laudantur, prinsquam satis examinentur. Et certe quis antiquos mores non approbet ac celebret? Quis non veneretur Catones, Favonios, Tuberones, Thraseas, Helvidios? Hos etiam pessimi hominum intus et tacita conscientia venerantur, et sæpe ipsi magistri malæ dominationis et ipsimet dominantes, eorum respectu a multis facinoribus abstinuere. Sæpe veretur ac metuit illos mala dominatio, velut assertores libertatis, ut defensores innocentiæ, ut vindices generis humani. Et licet non reparent libertatem, malitiam tamen imperitantium, seque et Rempub. misere præcipitantium sustinent ac retinent, ne prorsus erumpat. Sunt tamen hi, cum sic moriuntur, victimæ virtutis, gloriæ ac salutis publicæ, sincere et ex animo magis, quam *per ambitionem*. Et si non omnes homines, attamen aliquos egregios viros sic nasci decet et expedit, in ceterorum mortalium decus et exemplum. Sic magis verebatur vultum Thraseæ Nero, quam universi senatus, quam totius urbis et orbis: sic vere sapientem magistrum egit Thrasea, et patrum et imperii et imperatoris, si obaudire voluissent.

[a] *Ambitiosa*] Non solum Thrasea et Helvidius hic intelligendi sunt, sed etiam alii summi viri, qui liberrime, et, quasi florente vetere repub. et prisca libertate, loquebantur in senatu; qui gravitate ac majestate propria virtutem sibi principatumque asserebant, et sub principe veri principes erant. Et hi sunt, in quibus sperent cives et socii adversus malos homines et prædones provinciarum; in quorum constantia, nemo desperet de salute Reipub. de justitia senatus, de vindicta publica et privata; uno verbo, de providentia divina, quæ sic se præsentem vere approbat. Sic Piso, qui excedebat e senatu, coram ipso Tiberio, qui Urgulaniam flagrantissima gratia fœminam in jus trahebat. Sic Silius, qui legatus Germanici, certe magniloquentia, sed vere tamen gloriabatur, a Tiberio sibi, et constantiæ, qua retinuerat legiones suas in Germania, deberi imperium et salutem. Sic Pollio, sic Asinius Gallus: sic et alii multi, qui partim verbis, partim scriptis invecti sunt in imperitantes, ita ut quidam versus suos etiam palam recitarent, et in cætibus, in circulis et conviviis, et ipsis in theatris publicarent; qui *mutato* tantum *nomine de te*, figuras et fabulas vulgabant; ut filius Helvidii sub Domitiano: quod et jam actum olim sub Tiberio, dein et Nerone, teste Suetonio. Sic certe multi *per abrupta* exitum irritant, et *famam fatumque provocant*; alii, specie virtutis, falsam imaginem libertatis usurpantes, alii in armis, vel literis industriam et ingenium audacius ostentantes. At tum 'nullum numen abest, si sit prudentia;' sed cum abest hæc, nullum tum numen, nulla virtus aut utilitas esse possit, nihil nisi præcipitia dein et exitium. Attamen quosdam mortalium sic nasci decuit velut ornamento, decori, et solatio naturæ mortalium, ut specimen patrum, urbis, et orbis: quos sic ornavit natura et sapientia, ut cum iis virtus nata videatur, ut ipsorum vultus ac præsentia suadeat virtutem et egregia exempla; qui ita nati sunt, ut sint ipsa virtus, quasi ipsorum faciem virtus induerit. Tacitus ubi de Nerone, cum Thraseam occidit: 'virtutem ipsam exscindere concupivit.'

43. Finis vitæ ejus nobis luctuosus, amicis tristis, extraneis etiam ignotisque[l] non sine cura fuit. Vulgus quoque, et hic aliud[1] agens populus,[m] et ventitavere ad domum, et per fora et circulos locuti sunt: nec quisquam, audita morte Agricolæ, aut lætatus est, aut statim oblitus.[2] Augebat miserationem constans rumor, 'veneno interceptum.' Nobis nihil comperti[3] affirmare ausim: ceterum per omnem valetudinem ejus, crebrius quam ex more Principatus,[4] [n]

Exitus vitæ illius nobis flebilis, amicis mœstus, exterisque etiam et incognitis non sine dolore fuit. Plebs etiam, et in urbe aliud curans multitudo, etiam sæpius venere ad ædes ipsius, *et per loca publica,* in cœtibus *et circulis, rem sermonibus distulere: nec ullus, audito interitu Agricolæ, aut gavisus est, aut confestim oblitus est. Dolorem intendebat constans fama,* veneno interemtum *esse. Cum id non constet, nihil certi asseverare ausim: porro per omnem morbum illius, et liberti gratiosi, et medicorum familiarissimi venere* domum *frequentius, quam* fieri solet *ex more*

1 Sic bene Rhenanus et recentiores. In veteribus editionibus, *alius.* Brotier.—2 Ryckius et Gronovius cum Brotiero habent *lætatus est ... oblitus est.* Acidalius posterius *est* delevit. Sequor. *Oberl.*—3 Ita bene Rhenanus et recentiores. Veteres editiones, *vobis.* Acidalius inter *comperti* et *affirmare* supplebat *quod.* Comperti nobis, i. e. quod nobis compertum sit. *Brotier.* —4 Acidalius et Muretus scribunt, *principis;* [sic et Bipont.] At Tacitus non loqui de uno principe aut Domitiano videtur, sed de omnibus. *Idem.*—

NOTÆ

[l] *Ignotisque*] Amatur virtus, fleturque cum afflicta est, etiam ab extraneis et incognitis: amant quippe omnes omnino mortales virtutem et laudant, etiam hostes. Sic l. II. 71. de Germanico: 'Etiam quos invidia erga viventem movebat, illacrymabunt quondam florentem .... flebunt Germanicum etiam ignoti.'

[m] *Aliud agens populus*] Plin. XXXVI. 5. 'Præterea Venus in eodem loco nuda Praxitelicam illam Cnidiam antecedens, et quemcumque alium locum nobilitatura. Romæ quidem magnitudo operum eam obliterat, ac magni officiorum negotiorumque acervi omnes a contemplatione talium abducunt, quoniam otiosorum, et in magno loci silentio apta admiratio talis est.' Sic fere semper aliud agit populus, et raro in magnis urbibus admirationi ingeniorum, artium, summorum virorum, aut egregiæ virtutis operam insumit: silentio loci et otio *apta est,* et secreta loca requirit magna ingeniorum admiratio.

Hic aliud agens] Gell. XIX. 8. 'Quæri, inquam, ista omnia et enucleari, et excudi ab hominibus negotiosis in civitate tam occupata non queunt: quin his quoque ipsis, quæ jam dixi, demoratos vos esse video, alicui (opinor) negotio destinatos.' Plin. Paneg. 'Nam ceteros principes aut largus cruor hostiarum, aut sinister volatus avium consulentibus nuntiavit: tibi ascendenti de more Capitolium, [cum scil. ad exercitus iret Trajanus,] quanquam non id agentium civium clamor, ut jam principi occurrit.'

[n] *Ex more Principatus*] *Principatus* scil. hic pro *principis.* Sic intellige, non tamen sic lege.

per nuntios visentis, et libertorum primi, et medicorum intimi venere: sive cura illud,[o] sive inquisitio erat. Supremo quidem die, momenta[5] deficientis per dispositos cursores nuntiata constabat,[6] nullo credente, sic accelerari, quæ tristis audiret. Speciem tamen doloris animo[7] vultuque[p] præ

principis, quempiam *per cursores invisentis: sive amor, sive informatio fuerit. Certe compertum est, ultimo* vitæ *die, relata* ipsi esse *per proprios nuntios momenta expirantis, nemine existimante, sic properari, quæ mæstus exciperet. Tristitiæ tamen imitamentum mente et ore expressit,* certus *jam* et *securus inimicitiarum, et*

5 Ita libri omnes editi. In Ms. Vatic. 3429. *momenta ipsa.*—6 In veteribus editionibus ante Rhenanum, *constabant.*—7 Dejectis severisque oculis, vultus ἀπαθείᾳ, et solitudine, animi dolor fingitur. Vere ergo de Domitiano dictum, *speciem doloris animo vultuque præ se tulit.* Frustra autem tentat Acidalius, *doloris omnino vultu:* Freinshemius, *doloris amictu vultuque:* Gronovius, *doloris mimo vultu:* Ernestus, *doloris habitu vultuque.* Horum quædam absurda ; omnia Tacito indigna. Simpliciter et bene vertit Davanzati, ' pa-

NOTÆ

o *Sive cura illud*] Sive caritas id aut amor foret; *sive cura* salutis Agricolæ, *sive inquisitio erat,* ex metu scil. et odio dominantis.

p *Speciem tamen doloris animo vultuque*] Non mutanda lectio vulgata: nulla quidem simulatio *animo* proprie præ se fertur; interim tamen *animus* vultu et exterioribus gestibus simulatur, ut alius esse, quam revera est, credatur. Et sic Domitianum speciem doloris *animo vultuque* præ se tulisse, recte dici existimaverim; non quod se dissimularet animus, sed quod vultu dissimularetur. *Boxhornius.*

Animo vultuque] Sæpe Tacitus idem verbum ad duo diversa, seu disparata, referre solet; ut, hoc loco, τὸ *præ se tulit,* refert ad *animum* et *vultum,* eodem sensu; et tamen magnum est discrimen. Quis enim animo proprie præferat dolorem? Habet quid simile Hist. I. ubi de Vitellio: ' Sed plurimum trepidationis in publico, ut quemque nuntium fama attulisset, animum vultumque conversi:' hi minus tamen dissimulabant.

Ut id capiatur, non disjungenda sunt, quæ connectit Tacitus. Præferebat Domitianus speciem doloris *animo vultuque;* at ne disjungas, ita ut præferat ille dolorem animo tantum, sed *animo vultuque* simul: quod sic verum est, cum disjunctive de *animo* falsum esset. Nempe quia vultus imago est animi, idcirco præferens vultu dolorem princeps, statim et eundem aut præfert animo, aut præferre censetur: quod de animo solo et seorsim dici, aut certe animadverti non possit.

Sic infra 44. ' Principem Trajanum videre augurio votisque apud nostras aures ominabatur:' id si disjunctive intelligas de *augurio,* falsum erit. Nam moriens Agricola, imperante Domitiano, non potuit *augurio* ullo *ominari principem* Trajanum ; at certe conjunctive potuit simul *augurio et votis* sperare et ominari bonum principem, Trajanum scil. aut certe Trajani similem.

Augurio votisque ominabatur; id est, ominari desiderando, et desiderare augurando bonum principem potuit. Potuit *votis* optare, et optando simul ominari Trajanum; at præcise omi-

se tulit, securus jam odii,[q] et qui facilius dissimularet gaudium,[r] quam metum. Satis constabat, lecto testamento[8] [s]

qui facilius occultaret lætitiam, quam formidinem. Satis compertum erat, recitatis

ne nondimeno di volto e d'animo addolorato.' *Brotier*.—8 Sic Rhenanus. Prius erat *testimonio*.

NOTÆ

nari eum *augurio* solo nullatenus potuit.

Sic non potuit Domitianus præferre speciem doloris solo animo præcise, quia scil. præferre dolorem, exhibere est: at potuit, cum *vultu* præferret dolorem, censeri ac videri, simul etiam præferre *animo* eundem affectum: et potuit *vultu* utrumque simulare; nempe, se dolorem habere *animo vultuque* simul. Infra, 'qui facilius dissimularet gaudium, quam metum:' odium scil. et metum vix tegere potuit; at *securus* jam mortuo Agricola, *odii* et formidinis, facilius dissimulabat gaudium: intus scil. tegebat lætitiam, et in speciem dolorem præferebat. Non proprie dissimulabat animo; sed quia ex vultu conjicitur et agnoscitur animus, quia vultu dissimulabat, idcirco simul et dissimulare animo censebatur. Ea Taciti sunt, quæ magis mente quam verbis concipias aut exprimas; plura subintelligit et suggerit ille, quam loquitur: feriunt, movent hæc et afficiunt animum magis quam sensum. Animus et vultus hic idem sunt, quia in vultu quasi insidet animus totus; quia vultus animi imago ac speculum; et præcipue, quia 'sævus ille vultus et rubor a quo se contra pudorem muniebat.'

[q] *Securus jam odii*] Id est, qui odium non curaret, et facile jam deponeret, ut in mortuum: ideoque et doloris affectum facile induit. *Lips.*

Securus jam odii] Odii scil. ob eas, quæ in Agricola elucebant, virtutes. *Savilius.* Odii causa, metus virtutum: at mortuo Agricola, evanuerat odium, successerat gaudium. *Pichena.* Amor et *admiratio viri;* civium. scil. sociorumque, tale odium ignavi et parum imperatorii principis incitabat. Ex metu odium; metu amoto, jam non oderat.

[r] *Gaudium*] Sunt quidam affectus magis falsi, sive dolo ac dissimulatu aptiores facilioresque. Sic gaudium, ut et amor, facile fingitur; ira et odium non perinde obteguntur, acrius erumpunt. Tacitus, ubi de Artabano Parthorum rege, sciebat, 'falsos in amore, odia non fingere.' Scil. facile fingebant purpurati illi amorem in quemcumque dominantem, sed *odia* non perinde facile *fingebant:* acrior est, et acrius incumbit animo ille affectus; immo, odium suum statim aperiebant et sincere. Sic facilius nunc fingebat seu dissimulabat lætitiam Domitianus, quam metum tegebat antea.

[s] *Lecto testamento*] Intellige honorifica verba de Domitiano Cæsare testamento inserta. *Rhenanus.* Quod tamen ut turpe lucrum initio abhorruit. Sueton. Domit. 9. 'Relictas sibi hæreditates ab iis, quibus liberi erant, non recepit;' sed jam *inopia et metu* in flagitia proruperat: idem Suet. Itaque non ob honorifica verba Agricolæ tantum lætatus est, sed quia et cohæredem eum uxori et filiæ scripsisset.

Agricolæ, quo cohæredem optimæ uxori et piissimæ filiæ Domitianum scripsit, lætatum eum, velut honore[t] judicioque:[u] tam cæca et corrupta mens assiduis adulationibus erat, ut nesciret, a bono patre non scribi hæredem, nisi malum Principem.

44. Natus erat Agricola, Caio Cæsare tertium[1] Consule[v] Idib. Juniis:[w] excessit sexto et quinquagesimo anno,[x] de-

supremis Agricolæ tabulis, quibus Domitianum cohæredem reliquit optimæ uxori et carissimæ filiæ, gavisum illum, velut decore et testimonio pietatis: usque *adeo vesanus depravatusque perpetuis assentationibus animus erat, ut ignoraret, non relinqui hæredem ab optimo patre, nisi pessimum principem.*

Natus erat Agricola, Caio principe tertium consule ac tertia decima die mensis *Junii:* et *obiit quarto et quinquagesimo* ætatis *anno, et vigesima tertia die Au-*

1 Sic bene Ursinus, Lipsius et recentiores. In veteribus editionibus, *ter consule.*

NOTÆ

[t] *Honore*] Similiter apud Suetonium de Augusto legimus, eum, quamvis minime appeteret hæreditates, ut qui nunquam ex ignoti testamento capere quicquam sustinuerit, amicorum tamen *suprema judicia* morosissime pensitavisse: neque dolore dissimulato, si parcius, aut citra honorem verborum; neque gaudio, si grate pieque quis se prosecutus fuisset.

Unde discimus, honorificum fuisse, aliquid ex amici testamento capere, ut contra inhonestum ac turpe præteriri. Hinc Cicero pro P. Quinctio, institui hæredem, 'summum honorem' vocat; et pro A. Cæcina, usumfructum legatum, magnum honorem. Atque hinc vulgo *Honorati*, id est, Legatarii. *Virdung.*

[u] *Judicio*] Quasi illum sincero affectu diligeret observaretque, et quasi suam caritatem pietatemque in principem, supremo illo judicio suo ac testimonio approbaret.

[v] *Caio Cæsare tertium Consule*] Anno urbis 792. qui fuit annus æræ Christianæ Dionysianus 40. Mundi vero 3989. Eo enim anno C. Caligula tertium consulatum solus iniit Lugduni, cum collega, qui Romæ inire debebat, fato functus esset. Auctor Dio Cocceius Hist. Rom. lib. LIX. *Virdungus.*

At Caius Cæsar non sic per superbiam solus consulatum invasit, sed quia absens, rescire statim non potuit Lugduni, ubi tum erat, designatum collegam interiisse in urbe, circa Kal. Jan. quibus necessario inire debuit consulatum ipse Lugduni, ut et collega Romæ, si viveret: sic Suetonius.

[w] *Idibus Juniis*] Scil. tertia decima die Junii.

[x] *Sexto et quinquagesimo anno*] Stricte si computes, quarto tantum supra quinquagesimum anno. Ab illo enim, quo Caius Cæsar III. Consul fuit tempore, usque in Collegæ et Prisci consulatum, anni tantum numerantur quinquaginta tres. *Savil.* Ex LIV. factum LVI.

Sexto et quinquagesimo anno] Fuit Consul suffectus scil. Agricola, et venit in Britanniam anno U. C. 832. quo anno ordinarii consules erant Vespasianus Imper. IX. et Titus VII. Obtinuit forte ille consulatum a Ka-

cimo Kal. Septemb.[y] Collega Priscoque Coss.[z] Quod si

gusti, Collega et Prisco consulibus. Quod si formam quoque ejus ac speciem scire

NOTÆ

lendis Maiis ad Kalendas Julias, et forte duos illos menses sui consulatus transegit in urbe, unde profectus est, vel ad Kalend. Julias, vel circa finem Augusti, aut certe a Kal. Juliis ad Kal. Septembres consulatum tenuit, et forte cum esset adhuc consul, advenit in Britanniam, majore scil. prætextu dignitatis. Nam jam fere transacta erat æstas, cum eo advectus est. Provinciæ præfuit ille per octo annos, nempe ab anno U. C. 832. usque ad annum 839. quo anno rediit in urbem victor ac triumphalis.

Itaque consul fuit Caligula sine collega, anno U. C. 793. et tum natus est Agricola; at consul fuit suffectus Agricola, et profectus est legatus in Britanniam anno U. C. 832. et tum attigerat ipse annum ætatis 39.: dein rediit in urbem post septem annos, scil. anno 839. et suæ ætatis 47. et postea vixit adhuc per septem annos: nam obiit ille anno U. C. 846. et consequenter ætatis suæ anno 54. scil. Sex. Pompeio Collega, et Corn. Prisco Coss. nihil verius. Et iste numerus haud dubie reponendus apud Tacitum; qui error ortus ex notis numeralibus, aut male exscriptis, aut male intellectis. Potuit certe errare manus librarii in notis num. at non in nominibus consulum. Et licet eorum nomina tantisper varie descripta sint in fastis vel auctoribus, attamen adhuc facile agnoscuntur esse eadem ipsa, quæ apud Tacitum nunc reperiuntur. Quid enim differunt in tanta antiquitate et post tot manus, *Priscinus*, aut *Priscinius* a voce *Priscus?* quæ vera Taciti et meliorum auctorum scriptio. Et quid mirum si dissentiant quandoque auctores in minutis apicibus? quid mirum de auctoribus Græcis, qui fere nomina propria invertunt? Itaque cum ex Tacito, *medio in spatio integræ ætatis* raptus sit immaturo fato Agricola, et *medium* illud *spatium* ætatis sit, ex sententia bonorum doctorumque veterum, annus quartus et quinquagesimus; et conveniant approbentque hanc ætatem Agricolæ Fasti et Consulatus citati ab optimo auctore, hinc clare liquet, Agricolam non excessisse hanc ætatem 54. annorum. Nec haud dubie scripsit aliter Tacitus, qui annum diemque et consules sedulo annotavit, addita etiam insigni circumstantia, medio vitæ et *integræ ætatis* cursu ereptum esse, et 'quantum ad gloriam, longissimum ævum peregisse.'

[y] *Decimo Kal. Septemb.*] Vigesima tertia die mensis Augusti.

[z] *Collega Priscoque Coss.*] Anno 846. ab urbe condita. Sed hi consules alibi aliter notantur: in libro Cuspiniani, *Collega et Priscinius:* in Fastis Græcis, *Pompeius et Priscinus:* apud Cassiodorum, *Silvanus et Priscus.* Vide Onufrium Comment. in l. II. Fast. ubi plura de Pompeio Collega et Corn. Prisco, consulibus hujus anni, cognitu digna affert. *Virdungus.*

Longe verisimilius est scripsisse Tacitum *tertio*, aut *quarto et quinquagesimo anno:* nam expresse nominat consules; scil. *Collega Priscoque Coss.* in quo errare non potuit exscriptoris manus. Et quomodo, et unde populi *constans* ille *rumor, veneno interceptum* esse, si jam ingressus senectam esset, licet viridem? et scribit Dio diserte *veneno* necatum fuisse. Nec etiam sequentia scriberet Tacitus, ' Festinatæ mortis grande solatium tulit,

habitum quoque ejus posteri noscere velint; decentior quam sublimior[a] fuit: nihil metus[2] in vultu:[b] gratia oris super-

cupiant posteri; decorus magis, quam procerus fuit: nihil formidolosum in facie:

2 Ita libri omnes editi. In Ms. Vatic. 3429. *nihil impetus in vultu.* Margini ascriptum, 'alius habet *metus*.' Ms. Vatic. 4498. *nihil metus et impetus in vultu.*

NOTÆ

evasisse postremum illud tempus, quo Domitianus non jam per intervalla... temporum, sed continuo, et velut uno ictu, Rempub. exhausit.' At hoc dicere non potuit Tacitus, si ultimo anno Domitiani Coss. Fulvio Valente et Antistio Vetere interiisset Agricola, scil. 56. anno ætatis suæ, ut quo scil. vivente, jam penitus eversa et exhausta esset respub. 'Non vidit,' inquit, 'Agricola obsessam curiam... et eadem strage tot consularium cædes, tot nobilissimarum fœminarum exilia et fugas, &c. Mox nostræ duxere Helvidium in carcerem manus... Tu vero felix, Agricola ... etiam opportunitate mortis.' Felix, scil. quia omnis illa sævitia erupit præcipue post mortem Agricolæ, scil. tribus ultimis annis ejus imperii, nempe anno U. C. 847. 48. et 49. Itaque maneat, vixisse Agricolam tantum usque ad annum 846. et denatum esse anno ætatis 54.

[a] *Decentior quam sublimior*] Plus venustatis quam majestatis ore prætulit; vultu venusto magis, quam pulchro et pompali fuit; sive totus venustior, quam pulchrior fuit. *Virdungus.* Mediocris et vulgaris staturæ, sed tamen congruentis. *Decens* hic est, cui *σώματος συμμετρία*. *Boxhornius.*

Decentior] Convenientior: scil. magis in illo fuit apta et congruens membrorum inter se proportio, quam proceritas aut ingens statura.

Decentior] Forte congruentia partium corporis et æqualitas fuit, quam symmetriam seu proportionem dicimus. Plin. l. XXXIV. 'Non habet Latinum nomen symmetria, quam diligentissime [Lysippus] custodivit, nova intactaque ratione quadratas veterum staturas permutando,' &c. Vitruvius III. 1. 'Ut etiam in operum perfectionibus singulorum membrorum ad universam figuræ speciem habeat commensus actionem.' Plin. alter Epist. II. 5. 'Etenim si avulsum statuæ caput, aut membrum aliquod inspiceres, non tu quidem ex illo posses congruentiam æqualitatemque deprehendere, posses tamen judicare, an idipsum satis elegans esset.'

Decentior] Forte fuit figura quadrata, ut Vespasianus, aut ad eam accessit. Sueton. Vesp. 20. 'Statura fuit quadrata, compactis firmisque membris,' &c.

[b] *Nihil metus in vultu*] Hoc est, non erat aspectu terribilis, ut Domitianus: cui superbia in vultu, ira in oculis, &c. Imitatio Ovidiana, Metam. II. 857. de Jove in Taurum converso, 'Nullæ in fronte minæ, nec formidabile lumen: Pacem vultus habet.' *Virdung.*

Nihil metus in vultu] Plin. l. I. epist. 10. 'Nullus horror in vultu, nulla tristitia; multum severitatis. Reverearis occursum, non reformides.' Sic et Arist. 5. Polit. 'Apparere non acerbum, sed gravem et se-

erat:[c] bonum virum facile crederes,[d] magnum libenter.[e]

dignitate oris præcellebat: probum virum ultro existimares, egregium facile ac

NOTÆ

verum; ut qui obvii fiant, non metuant te, sed magis vereantur.' Et apud Diogen. Laërt. Chilo Lacedæmonius: 'Fortem mansuetum esse oportere; ut proximi non tam metuant, quam revereantur.'

Nihil metus] Plin. Epist. VIII. 24. 'Absit superbia, asperitas, nec timueris contemtum. An contemnitur, qui imperium, qui fasces habet? nisi qui humilis et sordidus, et qui se primus ipse contemnit. Male vim suam potestas aliorum contumeliis experitur; male terrore veneratio acquiritur: longeque valentior amor ad obtinendum quod velis, quam timor. Nam timor abit, si recedas: manet amor; ac sicut ille in odium, hic in reverentiam vertitur.' Hic apud Tacitum de vultu agitur et de indole, qualem dedisset natura; sed talis etiam fuit moribus et ingenio Agricola, ut ultro conciliaret animos facilitate et amore, non *metu;* ut patet ex Tacito supra.

[c] *Gratia oris supererat*] Panegyr. Constantino Constantii filio dictus: 'Non frustra enim doctissimi viri dicunt, naturam ipsam magnis mentibus domicilia corporum digna metari; et ex vultu hominis ac decore membrorum colligi posse, quantus illos cœlestis spiritus intrarit habitator.' Sic et Paneg. Theod. 'Virtus tua meruit imperium, sed virtuti addidit forma suffragium. Illa præstitit, ut oporteret te principem fieri, hæc ut deceret.'

[d] *Bonum virum facile crederes*] Et te, Corneli Tacite, bonum historicum facile credimus, bonum oratorem crederemus libenter, nisi hæc et alia istius notæ, ex penu corruptæ eloquentiæ, proderent infectum dicendi genus.

'Fuit illi viro,' scribit Ann. XIII. de Seneca, 'ingenium amœnum, et temporis illius auribus accommodatum.' Sed quo sermone caperetur illud ævum, Asiaticone, an Laconico, statuere non possum. Sed certus sum tulisse Sophisticam eloquentiam, verborum lasciviis fractam, et velut in rhythmos diffluentem; solidi sensus et rerum inopem, quas tamen tumor orationis velut mentiebatur.

Talem Rhetoricam Græcia fovit, scholastica declamandi consuetudine, sub magistris, hominibusque umbraticis, neque luci rerum assuetis. Præivit huc Gorgias, ut pauca ejus, quæ extant, fidem faciunt; quem sequitur Isocrates, et ab ejus incude alii. Sed illud spuriæ facundiæ genus ab iis rejectum, quibus sanius judicium erat. Sedem in Asia, ubi subsisteret, invenit, et faciles, et qui ultro admitterent animos; donec vera eloquentia rempublicam destituit, umbraque sui tantum in scholarum exercitiis superstes, locum fecit priscis eloquentiæ probris in usum denuo emergentis.

Post illa quæ solide elaborata dedit Demosthenes, Æschines, Hyperides, tandem delata sunt ad nos inflati sermonis pigmenta in Aristide, Philostrato, Dione Chrysostomo, aliisque: non tamen sine eorum laude, qui ab istis vitiis intacti perstiterunt, quales Dionysius, Lucianus, et similes.

Veteres Romani, delibato Græciæ flore, cum in summo consisteret ejus elegantia, vix exciderunt hic in vitium, nisi in istum gregem unus fortasse cogendus Hortensius sit; ut

NOTÆ

Cicero eum describere videtur in Bruto.

Sed ex illis, quos consecuta deinde tempora tulerunt, quem non afflavit ista sermonis lues? cujus Seneca, Quintilianus, Plinius, Tacitus auctores; propagati sunt in panegyricos velut successores, et tandem in ipsa Christianæ religionis mysteria translati per Cyprianum, Ambrosium, Bernardum, &c.

Ecce in Tacito affectationis hujus specimen Hist. I. 1. 'Rara temporum felicitate, ubi sentire quæ velis, et quæ sentias dicere licet.' Cap. 15. 'Secundæ res acrioribus stimulis animos explorant, quia miseriæ tolerantur, felicitate corrumpimur. Cap. 63. 'Quæque alia placamenta hostilis iræ, non quidem in bello, sed pro pace tendebantur.' Cap. 65. 'Uno amne discretis connexum odium.' Hist. II. 60. 'Vitellius credidit de perfidia, et fidem absolvit.' Et plura hujus commatis alia. *Savilius.*

Sunt tamen hujusmodi quæ non adscititia aut invenusta, sed quæ ex ipsa rei natura, aut certe proprietate Romani sermonis oriuntur ultro; nec ingenium aut orationem dehonestant; et quæ non solum acumen verborum inani specie præferunt, sed et simul habent vim gravitatemque sententiarum, et σεμνῶς tamen sic loquuntur auctores. Idque pro genio et gravitate Taciti, aut aliorum auctorum non absonum, inscitum, aut indecorum videtur: quamvis talia certe longe a prisca illa Augustea, et vere aurea, triumphalique eloquentia Ciceronum Cæsarumque deflexerint. Sed quis labentia in pejus tempora manu retineat? quis linguas, homines, literas, artesque alias, et dominationem, fortunamque ipsam, et urgentia ac præcipitantia rerum fata, vi sua retardet aut remoretur? Quis ævum aut ævi genium moremque, sive bonus sive malus sit, non hauriat animo penitus, aut non referat etiam invitus? Quis tot sermones hominum auribus nostris quotidie personantium, quis tot voces etiam voluptatis et deliciarum, ac vel etiam specie egregii se insinuantium et continuo blandientium animis rejiciat, aut statim excutiat? nisi in alienum orbem procul abeat; nisi si in penatibus ac patrio solo velut exul et extraneus agitare perpetuo velit; quod ab eximiis viris et summis oratoribus qui remp. capessunt, prorsus alienum est. Si viveres ævo Senecæ, non sentires forte ut Seneca, sed diceres ut Seneca, ut Tacitus, et ubi sunt meliores multi, ibi omnes: nemo sanus resistit temporibus suis, aut dominationibus præsentibus. Sunt certe, fateor, sæcula quædam minus felicia, et quæ videntur quasi spuria aut effœta, si spectes eloquentiam, doctrinam, sapientiam, et ceteras artes optimas, quæ olim floruere. Sed hæc sæcula tamen infausta ac sterilia, felicitatem aliarum ætatum nobis simul et ostentant et exprobrant, ut tandem resipiscere et meliora audere velimus. Eo conatu jam Augustea est nostra ætas, *duce et auspice* Magno.

[e] *Magnum libenter*] Hoc est, probitas quidem Agricolæ e primo aspectu statim elucebat: et eundem, si quis tibi virum magnum rebusque gestis clarum prædicaret, libenter assentirere. Nam de viris bonis nihil tam magnificum commemorari potest, quin id libenter admittamus.

Notanda autem est differentia inter *bonum* et *magnum* virum eadem fere, quæ est inter venustum et pulchrum. Itaque, qui revera *magnus* est, idem et *bonus* sit, necessum est: at non qui *bonus*, idem statim et *magnus* est:

Et ipse quidem, quanquam medio in spatio integræ ætatis[f] ereptus, quantum ad gloriam, longissimum ævum peregit.[g] Quippe et vera bona, quæ in virtutibus sita sunt, impleverat, et Consularibus ac triumphalibus ornamentis prædito, quid aliud astruere fortuna poterat? Opibus nimiis non

sponte. Et ipse sane, quamvis medio in cursu plenæ perfectæque ætatis exstinctus, tamen *quod* spectat *ad laudem et famam, longissimam ætatem implevit. Nam et veras opes, quæ in bonis artibus positæ sunt, adeptus erat, et quid aliud adjicere potuit fortuna,* viro *Consularibus ac Triumphalibus insignibus ornato? Ingentes*

NOTÆ

quamvis vice versa Demosthenes alicubi pronuntiet: 'non quod magnum bonum, sed quod bonum magnum.' Sed Aristoteles ceterique philosophi id demum *magnum* esse docent, quod cum virtute conjunctum. *Virdungus.* *Bonum* virum facile Agricolam crederes, quia in eo gratia oris supererat; *magnum* libenter, quia et in eo elucescebat gravitas obvia quadam comitate temperata. *Boxhorn.*

Libenter magnum] Bonum virum facile dixisses, quia 'nihil metus in vultu;' et magnum libenter, tum ex aliis dotibus, tum quia 'gratia oris supererat;' sed non perinde *facile* ut *bonum*, scil. ob modestiam viri, et 'quia decentior, quam sublimior fuit.' Hinc est quod supra, 'Plerique, quibus magnos viros per ambitionem æstimare mos est, viso ... Agricola, quærerent famam [magni viri,] pauci [satis] interpretarentur.'

[f] *Medio in spatio ... ætatis*] Plut. de Defectu Oraculorum, sæculo 'octo et centum annos tribuunt: nam 54. annos, dimidiatam hominis vitam, compositos esse ex unitate, primis duobus planis, duobus quadratis, duabus tesseris: quos etiam numeros ad animi procreationem Plato adhibuit.' Forte et huc spectat, quod habet Diogenes Laërt. l. I. in Solone. 'Fertur et Minermum increpasse, cum scripserit sexagesimum annum fatalem esse; monuisseque, ut octogesimum scriberet.'

Integræ ætatis] Id est, media ætate integra, seu ea ætate, quæ maxime integra et firma; seu media et florenti ætate raptus est. Id dictum per figuram quam vocant ἐν διὰ δυοῖν.

Integræ] Vel intellige, quasi raptus sit medio in spatio vitæ, et florenti ætate, et quasi sic scripsisset: Medio in spatio, et integra ætate ereptus, vel *medio in spatio integræ ætatis:* id est, si perfectam, plenam, et integram ætatem hominis et senectutem attingisset et consummasset, *in medio* spatio talis *ætatis* raptus est. Igitur obiit anno 54. quæ *media hominis vita* est ex Plut.

[g] *Quantum ad gloriam, longissimum ævum peregit*] Ita Cicero I. Philippica, 'Mihi fere satis est, quod vixi, vel ad ætatem, vel ad gloriam.' Et Alexander Magnus ad amicos apud Curt. l. IX. 'Verum ego, qui non annos meos, sed victorias numero, si munera fortunæ bene computo, diu vixi.' Et Orator. I. Tusc. 'Nemo parum diu vixit, qui virtutis perfectæ perfecto functus est munere.' Sic fere quod Seneca epist. 79. 'Unum diem hominum eruditorum plus patere, quam imperiti longissimam ætatem.'

gaudebat;[h] speciosæ[3] contigerant. Filia atque uxore superstitibus, potest videri etiam beatus; incolumi[i] dignitate, florente fama, salvis affinitatibus et amicitiis, futura[j] effugisse. Nam, sicuti durare in hac beatissimi sæculi luce,[4] ac Principem Trajanum videre,[k] quodam[5] augurio votisque[o]

divitias non cupiebat; honestas paraverat. Potest existimari felix, filia et conjuge viventibus; et etiam *salva dignitate, vigente fama, integris illæsisque propinquitatibus et amicitiis, imminentia* mala *evasisse. Nam, quemadmodum vivere in hoc felicissimæ ætatis splendore, atque imperatorem Trajanum cernere, omine votisque*

3 Ita bene libri omnes editi. Idque postulat ipsa rerum series. Male Mss. Vatic. 3429. et 4498. *speciosæ non contigerant.* At in margine Ms. Vatic. 3429. additum, 'alius habet *speciosæ contigerant.*' Brotier.—4 Ursinus laudabat e veteri codice, *nam sicuti magnæ cujusdam felicitatis esse, durare in hac beatissimi seculi luce.* Sed incerta hujus codicis fides, maxime silentibus Mss. Vatic. Melius Acidalius et Buchnerus emendabant, *durare in hanc beatissimi seculi lucem.* Brotier.—5 Brotierus legit, *quod augurio:* et sic Ms. Vatic. 3429. et veteres ac recentiores editiones. Rhenanus *quod* omiserat. Abest etiam e Gronovii et Ryckii editionibus. Potuit tamen pro *quod* scripsisse *quasi*, et sic ostendisse judicii sui illa esse verba. Egregiam medicinam loco male affecto fecere Bipont. mutato *quo* in *quodam.* Oberl.

NOTÆ

[h] *Opibus nimiis non gaudebat*] Recte Gellius IX. 8. 'Verum est profecto, quod, observato rerum usu, sapientes viri dixere, multis egere, qui multa habeat: magnamque indigentiam nasci, non ex inopia magna, sed ex magna copia. Multa enim desiderari ad multa, quæ habeat, tuenda. Quisquis igitur multa habens, cavere atque prospicere velit, ne quid egeat, neve quid desit, jactura opus esse, non quæstu: et minus habendum esse, ut minus desit. Hanc sententiam memini a Phavorino inter ingentes hominum clamores detornatam, inclusamque verbis his paucissimis: Nam qui decem aut etiam quindecim vestimentorum millibus egeat, fieri non potest, quin et pluribus indigeat: at vero ego cum pluribus egeo quam habeam, tum et aufero ex iis opibus quas habeo, et sic contentus sum.' Et Seneca apud eundem Gell. XII. 3. in avarum: 'Quid enim refert quantum habeas? multo illud plus est quod non habes.' 'Certe melius est modicum justo super divitias peccatorum multas,' si sacra hic miscere fas sit.

[i] *Incolumi*] Sic de Nerva sub Tiberio, Ann. VI. 26. 'Abstinentiam cibi conjunxit. Ferebant gnari cogitationum ejus, quanto propius Reipub. mala viseret, ira et metu, dum integer, dum intentatus, honestum finem voluisse.'

[j] *Futura*] Futura scil. mala sub Domitiano.

[k] *Principem Trajanum videre*] Per vaticinii, non colloquii modum: tempore enim Domitiani nulla se dabat istius successionis spes. *Savilius.*

Trajanum videre] Qui principum optimus. Ex consternatione et confusione ordo, pax, et felicitas; dein ex felicitate et bono Reipub. ordine

apud nostras aures ominabatur: ita festinatæ mortis grande solatium tulit, evasisse postremnm illud tempus, quo Domitianus, non jam per intervalla ac spiramenta temporum, sed continuo et velut uno ictu,[l] Rempublicam exhausit.[m]

nobis audientibus augurabatur: ita maturati exitus magnum levamen habuit, effugisse ultimam illam tempestatem, qua Domitianus, non jam per spatia et interstitia temporum, sed perpetua et velut una strage, Rempub. evertit, exscidit.

NOTÆ

summa iterum confusio. Apud M. Aurel. epist. VI. 108.

Legatus quidam Dionysii tyranni Siculi, cum adverteret majestatem senatus, molem Capitolii, gloriam triumphorum, diversitatem nationum, quietem urbis, et ordines magistratuum, atque interrogatus, Quid tibi videtur? O Roma, inquit, huic tuo tam sapienti sæculo succedet stultissimum. Utique nimis vero vaticinio vulnera insequentium ætatum detegebat ille: quod mox rursus contigit sub Commodis et Caracallis, et aliis similibus imperii ac Reipub. dehonestamentis.

Videre....ominabatur] Mirum si tot annos ante præsagiit: nec de Trajano ulla spes aut suspicio; nisi si Deus mentem illi movit, aut nostro scriptori blanditia: quod non solet. *Lipsius.*

[o] *Quod augurio votisque*] Expunximus pronomen *quod*, ut cohæreat sententia. *Rhenanus.* Retineo vocem, *quod;* et hic interpretor: Nam sicuti durare in hac beatissimi sæculi luce, ac principem Trajanum videre (quod augurio votisque apud nostras aures ominabatur) grande solatium Agricolæ fuisset; ita festinata mors illud ipsum grande solatium ei attulit. *Pichena.*

Recte Interpres Flor. nam sicuti principem Trajanum videre grande solatium habuisset, quod augurio et votis ominabatur; ita festinatæ mortis grande solatium et præmium tulit, *evasisse postremum tempus* Domitiani. Sæpe sic Criticæ male cedit.

Augurio ac votis] Sic 3. Agricol. 'Augeatque quotidie felicitatem imperii Nerva Trajanus; nec spem modo ac votum securitas publica, sed ipsius voti fiduciam ac robur assumserit,' &c. Igitur, imperante Domitiano, spe, votis, augurio, felicitatem ominabantur; sed nondum spei, voti, et augurii certam fiduciam aut robur assumere poterant: nondum certi aut securi votorum erant, ut nec ipse Agricola moriens. Sed imperante demum Trajano, firmata et roborata est votorum ominumque fiducia.

Non *augurio* solo, sed simul *augurio et votis;* nondum tamen certis, ut putant, ominabatur Agricola. Sperabat bonum principem, qualis fuit Trajanus, nihil aliud. Votis suis et spe augurabatur, quod mox cecinit cornix insidens Capitolio, ἔσται πάντα καλῶς· quod sic interpretati sunt apud Sueton. 'Est bene, non potuit dicere; dixit, Erit.'

Augurio ac votis] Cic. pro M. Cœlio: ubi de Q. Metello: 'Quo quidem tempore ille moriens, cum jam ceteris ex partibus oppressa mens esset: extremum sensum ac memoriam Reipub. reservabat, cum me intuens flentem, significabat interruptis atque morientibus vocibus, quanta impenderet procella urbi, quanta tempestas civitati; et cum parietem sæpe feriens eum, qui cum Q. Catulo fuerat ei communis, crebro Catulum, sæpe me, sæpissime Rempub. nominabat,' &c.

[l] *Velut uno ictu*] Sic de Caligula: Seneca de Ira III. 19. 'Homo, qui

45. Non vidit Agricola obsessam curiam,[n] et clausum[1] armis Senatum, et eadem strage tot Consularium cædes, tot nobilissimarum fœminarum exilia[o] et fugas.[p] Una adhuc victoria Carus Metius[2] censebatur,[q] et intra Albanam arcem[3][r] sententia Messalini strepebat, et Massa Bebius[5] jam[4]

Non aspexit Agricola obsessum senatum, et septam cinctamque armato milite curiam, atque eadem ruina tot consularium neces, tot splendidissimarum mulierum deportationes fugasque. Hactenus uno triumpho celebrabatur Carus Metius, et tunc solum *intra arcem Albanam fremebat sententia Messallini, et Massa Bebius*

1 Ms. Vatic. 3429. *clusum armis.*—2 Edd. ante Rhenan. *charus nuntius;* male. *Ernest.*—3 Ita Mss. 3429. et 4498. In margine Ms. Vatic. 3429. additum, 'alius habet *villam.*' Inde in veteribus editionibus, *Albanam arcem villam.* Frustra ergo Pichena tentavit, *Albanam arcem nulla sententia, &c.* Nam Tacitus ab iis delatoribus, qui tum minime nocuerant, progreditur ad illos, qui maxime. *Brotier.* Ryckius et Gronov. retinent *villam.*—4 Mallet Gronovius, *etiam tum reus.*

NOTÆ

de toto senatu trucidando cogitabat: qui optabat, ut populus Romanus unam cervicem haberet, ut scelera sua tot locis ac temporibus diducta, in unum ictum et unum diem cogeret.'

[m] *Rempub. exhausit*] Ausonius: 'Cur duo quæ dederant, tertius eripuit? Vix tanti est habuisse illos, quia dona bonorum Sunt brevia; æternum quæ nocuere, dolent.' Duo Titi, pater et filius Rempub. servarant et libertatem cum principatu miscuerant feliciter: at tertius iste Remp. et imperium exhausit, evertit, eripuit.

[n] *Curiam*] Curia Julia hæc, fuit in Foro Romano, et in Octava regione Romæ antiquæ. Vide Nardini Romam antiq. l. v. c. 3. p. 219. *Tillemonius.*

[o] *Fœminarum exilia*] Ex hisce Plinius Junior epist. l. III. ad Jul. Genitorem, nominat *Arriam, Gracillam,* et *Fanniam:* et hujus quidem historiam pluribus exequitur epist. VII. 19. *Virdungus.*

[p] *Fugas*] Fugæ et exilia unum et idem sunt, phrasi Græca. Attamen hic *fugæ* in eo distinctæ, quod fœminæ illæ splendidæ quandoque non damnatæ, fugerent ultro cum maritis suis, et eos comitarentur in exiliis: et tum *fuga* fuit, non *exilium.*

[q] *Una adhuc victoria Carus Metius censebatur*] Hic e numero delatorum unus apud Domitianum, sed omnium sceleratissimus. Ejus meminit Plinius Nepos epist. l. I. 5. item l. VII. 27. Verbum *censebatur*, hic elegantissime positum pro æstimabatur, pro celebrabatur, seu famosus erat. *Rhenan.*

Sed quænam ista victoria, qua jam inter districtos accusatores cœperat censeri seu infamari? an delatio et perversio Herennii Senecionis? Plinius epist. I. 5. de Regulo: 'Lacerat Herennium Senecionem tam intemperanter quidem, ut dixerit ei Metius Carus, Quid tibi cum meis mortuis?' Non huc ducit Tacitus, nam 'mox nostræ duxere Helvidium in carcerem manus: et nos innocenti sanguine Senecio perfudit.' Τὸ *censebatur*, hic sumitur, ut apud Juvenalem Sat. VIII. 'Stemmata quid faciant?

NOTÆ

quid prodest, Pontice, longo Sanguine censeri?' *Salin.*

Victoria] Certe occidebant delatores, velut in prælio, ut in acie, ut civili bello bonos cives, et spolia erant insignia prætoria, consulatus, sacerdotia, quæ reportabant veluti Repub. bene gesta.

[r] *Intra Albanam arcem*] Veteres editiones, *intra Albanam arcem villam:* utrum mavis elige, *arcem*, aut *villam:* utrumque recte habet.

Intra Albanam arcem villam] Solebat Domitianus patres aliquando in *Albanam villam* in consilium convocare. Eo loco Corneliam Vestalem incesti damnatam refert Plinius Epist. IV. 11. Porro *Messallinus*, cujus hic fit mentio Tacito, delationes apud Domitianum factitavit.

Eum graphice et suis vere coloribus depingit Plinius Nepos Epist. IV. 22. Hunc *Catullum Messallinum* a Juvenale notari putant eruditi Satyra VIII. et XIII. Nam illum exagitabant occisorum Manes, nec usquam quiescere sinebant.

Quod autem hic dicit Tacitus, *intra Albanam villam sententia Messallini strepebat;* innuit, dum adhuc viveret Agricola, nondum voluisse aut permisisse Domitianum; neque Messallinum ausum fuisse publice quenquam accusare, quod postea fecit, sed tum secretius, nempe in *Albano secessu.* Rhenanus. Attamen quicquid sic agitur in aula, vel et etiam in cubiculo principis, publicum esse censetur: nihil privatum est apud principem, saltem quod spectat ad exemplum. Attende verbis Taciti, 'sententia Messallini strepebat;' quod certe ad delationem publicam pertinet. Cum privatim et secreto calumniæ et criminationes commearent, per literas et secretos codicillos, aut per internuntios occultos id fiebat; et memoriæ illæ in scrinio, seu sacrario, et commentariis inter arcana dominantis servabantur; donec res erumperet in delationem, quæ publice mandabatur oratori cuipiam sanguinario, suscipiebaturque prout crimen illud urgeret, aut compertum esset. Observa quod factum est supra Ann. l. II. in causa Asiatici, egregii viri, qui accusatus ac damnatus est in aula et in cubiculo Claudii principis, coram ipsa Messallina uxore, quæ secreto deferebat, et perorante L. Vitellio, omnium delatorum vaferrimo et sceleratissimo; qui specie absolvendi Asiaticum damnavit, necavit: quod judicium publicum, et publice, quia coram principe, exercitum est. Sic et jus mox reddebat in prædiis et villis Regiis Optimus Trajanus publice, sed in exemplum publicum pietatis et clementiæ; et bonis perpetuo fovebat. Id publicum quod spectat ad principem præcise, sed quoad delatorem, forte nondum sæviebat palam et publice, nec publico loco.

In Albanam] Plinius Epist. IV. 2. 'Reliquos pontifices non in regiam, sed in Albanam villam convocavit.' Juvenalis: 'Quos Albanam dux magnus in arcem Traxerat.' *Salin.* Ut puto, dicit, quod adhuc intra Albanam arcem, nondum in senatu et publico, calumniator ille Messallinus audiretur. At pestes illas hominum, et districtos ejus ævi accusatores Plinius passim nominat. Etiam Sidonius: 'Hi sunt, quorum comparatione, digitum tollerent Narcissus, Asiaticus, Massa, Marcellus, Carus, Parthenius, Licinius.' Juvenalis: 'Quem Massa timet, quem munere palpat Carus.' *Lipsius.* Villam eam, *Parrhasiam aulam* dictam Martiali, putat Josephus Scaliger Animadvers. in Chronicon Hieronymi, fuisse speciem *Septizonii*, (moles autem alias

tum reus erat.[t] Mox nostræ duxere[u] Helvidium in carce-

tum adhuc reus erat, nondum delator. *Postea nostris manibus ipsi Helvidium*

NOTÆ

aliis superstructas eo nomine appellant,) idque confirmat illis poëtæ versibus: 'Septenos pariter credas consurgere montes, Thessalicum levior Pelion Ossa tulit.' *Virdungus.*

Intra Albanam] Id est, nondum ultra cubiculum principis audiebatur, nec late adhuc personabat vox delatoris; nondum in Curia, nondum in senatu sæviebat, furebat: nondum eo usque grassabatur vecors et atrox delator ille, ut postea.

Albanam] Albanum, villa Latinorum populorum, in Latio. Hodie *Albano*, urbs Campaniæ Romanæ, in ditione pontificia.

[s] *Massa Bebius*] De quo Plin. Epist. l. III. 4. 'Legati [provinciæ Bæticæ] rursus inducti, me jam præsentem advocatum postulaverunt, implorantes fidem meam, quam essent contra Massam Bebium experti, allegantes patrocinii fœdus.' Infra: 'Cum recordarer, quanta pro iisdem Bæticis superiore advocatione etiam pericula subiissem, conservandum veteris officii meritum novo videbatur.' Scil. cum datus esset Bæticis patronus seu advocatus adversus Bebium, qui provinciam spoliarat, et 'jam tum adhuc reus erat,' nondum delator terribilis, ut postea; cum igitur iis a senatu datus esset patronus, tamen incurrebat odium Domitiani et gratiosorum forte libertorum, aut etiam procerum; quippe ille jam favebat pessimis viris et delatoribus: qui etiam sæpe diu secreti internuntii, et quorum fraudes manebant occultæ in scrinio dominantis, donec sævitia tandem erumperet.

[t] *Jam tum reus erat*] Qui damnatus quidem postea est, accusantibus Bæticis, ut disces ex Plinii epistola ult. l. VII. *Lipsius.*

Jam tum] Forte *etiam tum.* Gronov. Forte *jam*, pro, adhuc *tum reus erat:* non displicet *jam tum.*

Reus erat] De repetundis agente Bætica provincia, Senecione et Plinio accusantibus, ut idem Plinius Epist. VII. 33. *Savilius.*

[u] *Mox nostræ duxere*] Nam in senatu accusatus, et manus ibi injectæ sunt, maxime et primum a quodam Certo. Plinii epistola legatur l. IX. 13. Hæc autem referenda sunt, ne quis erret, ad *Helvidium filium*, quem Domitianus occidit; (Sueton. c. 10.) cum patrem ejus ipse Vespasianus interemisset: idem Suet. Vesp. c. 15.

Sed Helvidius hic filius qua matre natus? Habuit sane Helvidius pater *Fanniam* uxorem, filiam *Thraseæ Pæti:* quod in epist. l. VII. 19. apud Plinium clare scriptum. Non tamen hæc mater Helvidii junioris hujus, sed noverca: et ita idem Plinius appellat epist. l. IX. 13. 'Fuerat cum Arria et Fannia, quarum altera Helvidio noverca, altera mater novercæ.' Nam Fannia hæc uxor Helvidii Prisci, ut Arria uxor Thraseæ; et ergo Fanniæ mater.

Ex his liquet, *Helvidium patrem*, aliam uxorem ante *Fanniam* habuisse, et ex ea prolem: etsi 'Quæstorius adhuc a Thrasea gener sit electus,' ut l. IV. Hist. scriptum. *Lipsius.*

Nostræ duxere Helvidium in carcerem manus] Ut patrem, ita et filium Helvidium, abunde testatur bonum virum fuisse, quod a Domitiano sit interfectus. Prætexebatur causa, 'quod quasi scenico exodio, sub persona Paridis et Œnones divortium Domi-

NOTÆ

tiani cum uxore taxasset.' Sueton. c. 10. *Rhenanus.* Quid sibi vult, *nostræ manus?* Nihil sane aliud, quam senatores a senatoribus accusatos fuisse, et ad necem postulatos. Tales Pub. Certi *manus* in Helvidium fuere. *Boxhorn.* Nemo hactenus accusationes aut delationes patrum appellavit *manus.* Certe *manus inferre*, et *manus nostræ duxere, &c.* arguunt aliquid magis sævum et atrox, præsertim in curia. Certe manus fuisse injectas, aut certe sæpe intentatas a patribus invicem in senatu, constat ex Tac. Hist. l. IV. et aliis passim locis.

Helvidium] Arria uxor Thraseæ, et Fannia filia ejus fuit uxor Helvidii patris et noverca Helvidii junioris, et Anteia fuit uxor ejusdem Helvidii filii. Vide Plinii Epist. l. IX. 13. Ad rem etiam Plin. Epist. l. VII. 19. 'Doleo enim maximam fœminam [Fanniam] eripi oculis civitatis, nescio an aliquid simile visuris. Quæ castitas illi? quæ sanctitas? quæ gravitas? quanta constantia? bis maritum secuta in exilium est, tertio ipsa propter maritum relegata. Nam cum Senecio reus esset, quod de vita Helvidii [patris] libros composuisset, rogatumque se a Fannia in defensione dixisset, querente minaciter Mettio Caro, An rogasset? respondit, Rogavi. An Commentarios scripturo dedisset? Dedi. An sciente matre? Nesciente. Postremo nullam vocem cedentem periculo emisit: quin etiam illos ipsos libros, quanquam ex necessitate et metu temporum abolitos senatusconsulto, publicatis bonis, servavit, habuit, tulitque in exilium exilii causam. Eadem quam jucunda, quam comis, quam denique (quod paucis datum est) non minus amabilis, quam veneranda! nec quam postea uxoribus nostris ostentare possimus, erit, a qua viri quoque fortitudinis exempla sumamus, quam sic cernentes audientesque miremur, ut illas quæ leguntur.'

Bis maritum Helvidium secuta Fannia, nempe relegatum primo sub Nerone, cum scil. occisus est Thrasea pater illius, dein sub Vespasiano, cum tandem occisus est ipse Helvidius pater in via aut exilio; non sponte tamen Vespasiani, qui deceptus est a magistris dominationis, qui retulerunt periisse. Sueton. 15. 'Magni æstimavit servare quoquo modo, missis qui percussores revocarent, et servasset, nisi jam periisse falso nuntiatum esset.'

Tertio ipsa propter maritum relegata, nempe sub Domitiano; quia scil. commentarios vitæ Helvidii Senecioni scripturo suppeditasset. Haud dubie simul et relegata mater ipsius Arria sub Nerone, aut fugit ultro cum filia; dein sponte et etiam relegata ipsa secundo et tertio, cum filia, et tum adhuc vixisse videtur. Nam ibid. infra Plin. 'Ego solatium relegatarum, ego ultor reversarum:' quamvis obiisset ipsa, cum hanc epistolam 19. scriberet Plinius. Ipsa etiam Arria vivebat adhuc, cum Helvidium juniorem ultus est Secundus, qui sic habet Epist. IX. 13. 'Destinatum est . . . mihi maritum tuum non inultum pati, nuntia Arriæ et Fanniæ.' Ab exilio redierant. Anteiam alloquitur.

Nostræ . . . . manus] Sic fere apud Suet. Cal. 28. 'Cum discerpi senatorem concupisset [C. Cæsar], subornavit, qui ingredientem curiam, repente hostem publicum appellantes, invaderent, graphiisque confossum, lacerandum ceteris traderent.'

Manus nostræ] Helvidium vindicavit mox Plinius pro virili parte. Plin. ipse Epist. IX. 13. 'Occiso Domitiano, statui mecum ac deliberavi, esse

NOTÆ

magnam pulchramque materiam insectandi nocentes, miseros vindicandi, se proferendi. Porro inter multa scelera multorum nullum atrocius videbatur, quam quod in senatu senator senatori, prætorius consulari, reo judex manus intulisset. Fuerat alioqui mihi cum Helvidio amicitia, quanta potuerat esse cum eo, qui metu temporum nomen ingens, paresque virtutes secessu tegebat. Fuerat cum Arria et Fannia, quarum altera Helvidii noverca, altera mater novercæ.' Haud dubie in senatum raro veniebat Helvidius junior, licet forte consularis, exemplo olim Thraseæ, sed accusatus affuit, ut causam tueretur in senatu, unde traxerunt eum assentatorum manus cruentæ.

Helvidium] Ille post Domitiani mortem vindicatus a Plinio, ut patet ex præclarissima epist. 13. lib. IX. Eum adulatione sanguinaria subverterat Publicius Certus, qui tum consul designatus, scil. in flagitii præmium, cum eum corripuit invasitque Plinius; et tum reus consulatu abdicatus est. Censebat Cornutus in senatu *contentas esse* fœminas, Arriam scil. Fanniam et Anteiam, 'admonere senatum Publicii Certii cruentæ adulationis; et petere, si pœna flagitii manifestissimi remittatur, nota Certo quasi censoria inuratur.... venitur ad me, consurgo, utor initio, quod in libro est, [quem scil. composuerat Plin. de ultione Helvidii,] respondeo singulis. Mirum, qua intentione, quibus clamoribus omnia exceperint, qui modo reclamabant; tanta conversio, vel negotii dignitatem, vel proventum orationis, vel actoris constantiam subsecuta est: finio. Incipit respondere Veiento; nemo patitur, obturbatur, obstrepitur, adeo quidem ut diceret, Rogo P. C. ne me cogatis implorare auxilium tribunorum.' In eo difficilis actio seu ultio Helvidii, quod secreta fuisset adulatio seu delatio Pub. Certi; aut certe occulta scripta illius asservata in sacrario, et inter commentarios principales, qui non temere vulgabantur propter arcana dominationis. Solus princeps commentarios hosce quandoque in rebus gravissimis proferebat, quod patet de Tiberio apud Tacitum, et etiam apud Suetonium, aut certe damnandum reum tacite indicabat, ac vindictæ permittebat; quod puto contigisse in ista hac occasione. Nam Trajanus affuit in senatu, cum defenderetur Helvidius, et lacesseretur Certus. 'Et relationi quidem de eo [Certo] Cæsar affuit. Obtinui tamen,' inquit Plinius, 'quod intenderam. Nam collega Certi consulatum, successorem [scil. designati consulatus] Certus accepit, planeque factum est, quod dixeram in fine: reddat præmium sub optimo principe, quod a pessimo accepit.... Accidit fortuitum, sed non tanquam fortuitum, [scil. id fortuitum erat, sed non quasi fortuitum, ut in reo sanguinario existimabatur] quod editis libris [de ultione scil. Helvidii] Certus intra paucissimos dies implicitus morbo decessit. Audivi referentes, hanc imaginem menti ejus, hanc oculis oberrasse, tanquam viderat Helvidium respondere mihi: verane hæc, affirmare non ausim. Interest tamen exempli, ut vera videantur.' Puto Helvidium necatum fuisse in carcere scil. elisas ipsi laqueo fauces a carnifice; quod in senatore populi Rom. crudelissimum. Hoc fecit cruenta adulatio Certi: an aliis, ut Rustico et Senecioni, 'liberum mortis arbitrium permiserint,' incertum. Huc tamen inclino; nam et isti intelligi possunt inter illos, de quibus Sueton. Dom. 11. 'Quosdam majestatis reos in curi-

NOTÆ

am induxerat, et .... facile perfecerat, ut etiam more majorum puniendi condemnarentur: deinde atrocitate pœnæ conterritus ad leniendam invidiam intercessit his verbis .... Permittite P. C. a pietate vestra impetrari .... ut damnatis liberum mortis arbitrium indulgeatis.'

Helvidium] Defenderat Helvidium filium Plinius, scil. post exstinctum Domitianum. Ipse Plin. Epist. IV. 21. 'Patrem illarum defunctum quoque, [sub Domitiano occisum,] perseverantissime diligo, ut actione mea librisque testatum est: cui nunc unus ex tribus liberis superest, domumque pluribus adminiculis ante fundatam desolatus fulcit ac sustinet.'

Et Epist. VII. 30. 'Licet tu mihi bonum animum facias, qui libellos meos de ultione Helvidii orationi Demosthenis *κατὰ Μειδίου, contra Midiam*, confers,' &c. Quanto studio et ardore id egerit, passim celebrat idem Plin. sic et Epist. VIII. 12. de Capitone: 'Scribit exitus illustrium virorum, in iis, quorundam *mihi* charissimorum. Videor ergo fungi pio munere, quorumcumque exequias celebrare non licuit, horum quasi funebribus laudationibus, seris quidem, sed tanto magis veris interesse.'

Helvidium] Plinius, ipsomet teste, Epist. IX. 13. ubi de Publicio Certo, qui Helvidium subverterat cruentæ adulationis flagitio, magnifica actione ultus est amicum. Et in fine orationis extollebant eum patres universi: 'Non fere, inquit, quisquam in senatu fuit, qui me non complecteretur, exoscularetur, certatimque laudes cumularet, quod intermissum jam diu morem in publicum consulendi, susceptis propriis simultatibus reduxissem,' &c. Dicit, *propriis simultatibus*, quia jam pridem non propriis aut domesticis odiis accusabant reos, sed scelere et instinctu alieno in egregios et innocentes viros sæviebant, exitio publico.

Helvidium] Plin. Epist. III. 2. 'Septem amicis meis, aut occisis, aut relegatis: Occisis Senecione, Rustico, Helvidio. Relegatis Maurico, Gratilla, Arria, Fannia.' Gratilla forte uxor aut filia Maurici. Arria fuit mater Fanniæ, quæ noverca Helvidii junioris: hæc Arria fuit uxor Thraseæ, ex Arria Pæti Cæcinæ genita. Fannia hæc Thraseæ et Arriæ filia et uxor secunda Helvidii senioris, et consequenter noverca Helvidii filii, qui ex priore alia uxore genitus erat.

Manus nostræ] Puto hoc ipsum metuebatur sub Nerone, cum Thrasea scil. consultaret, an ingrederetur senatum, Ann. lib. XVI. Opponebant amici, 'ludibria et contumelias imminere [in senatu]: subtraheret aures conviciis et probris. Non solum Cossutianum aut Eprium ad scelus promtos, superesse qui forsitan manus ictusque per immanitatem auderent, etiam bonos metu sequi. Detraheret potius senatui, quem perornavisset, infamiam tanti flagitii, &c. Proinde intemeratus, impollutus, quorum vestigiis et studiis vitam duxerit, eorum gloria peteret finem.'

Helvidium in carcerem] Quam dissimiles illi veterum patrum. Hi se longe aliter gessere olim erga Catonem. Valer. Max. lib. II. 'M. quoque Porcium Catonem admiratio sortis et sinceræ vitæ adeo admirabilem senatui fecit, ut cum, invito C. Cæsare consule, adversus publicanos dicendo in Curia diem extraheret, et ob id ejus jussu a lictore in carcerem duceretur, universus senatus illum sequi non dubitavit; quæ res divini animi perseverantiam flexit.'

rem manus: nos Maurici Rusticique divisus,[5] [v] nos inno-

in carcerem traximus: nos polluit *Maurici Rusticique aspectus, nos innoxio cruore*

5 Brotierus cum Ryckio et Gronovio scribunt *nos Maurici Rusticique visus:* et ita Mss. Vatic. et libri editi. At in margine Ms. Vatic. 3429. scriptum, 'alius habet, *nos Mauricium Rusticumque divisimus.*' Unde emendandum nobis videtur, *nos Mauricum Rusticumque divisimus.* Suffragatur Ursinus, qui ait ita fuisse scriptum in vetere suo codice. Male tentat Acidalius, *nos Maurici Rusticique vidimus casus.* Sic Brotier. At multo

NOTÆ

v *Maurici Rusticique visus*] *Mauricus*, Junius est Mauricus. Eum a Domitiano in exilium pulsum, redisse principatu primo Nervæ, docebit te idem Plin. Epist. I. 5. At Rusticum hunc, Junium Rusticum nominat Suetonius in Domitiano: 'Occidit Junium Rusticum, quod Pæti Thraseæ et Helvidii Prisci laudes edidisset, appellaretque eos sanctissimos viros.' Etiam lapis vetus, sive inscriptio basis:

L. Junii Rustici
Philosophi
Stoici

L. Junius. L. L. id est, *Lucii libertus.*

Myrinus P. P. id est, *publice posuerunt.*

At noster Arulenum Rusticum appellat, initio hujus libelli: et Plinius epist. I. 5. de Regulo ♦ 'Rustici Aruleni periculum foverat, exultaverat morte, adeo ut librum recitaret publicaretque, in quo Rusticum insectatur, atque etiam Stoicorum simiam appellat:' ut omnino nomina illi fuerint, *L. Junius Arulenus Rusticus.* Plinius ipse hunc velut doctorem monitoremque habuit, et in laudes ejus erumpit Epist. I. 14. Etiam Plutarchus, extremo libello de Curiositate, factum ejus plenum constantiæ recensuit. Et Antoninus epistolam inseruit I. de vita sua.

At *Senecio*, Herennius Senecio est Plinio non semel item nominatus. Reus et interfectus fuit, quod de vita Helvidii libros composuisset, ait Plinius libro VII. 'Sed vos magnæ animæ mihi salvete: quos jure miramur, colimus, factis dictisque sapientes, et legitimos robustæ porticus alumnos.' *Lipsius.*

Plin. Epist. I. 14. 'Scis enim quantopere summum illum virum suspexerim dilexerimque, quibus ille adolescentiam meam exhortationibus foverit, quibus etiam laudibus, ut laudandus viderer, effecerit.' Sic de Aruleno Rustico.

Maurici] Frater hujus Junius Arulenus Rusticus damnatus capitis sub Domitiano, quod philosophiam sectaretur, et quod Pætum Thraseam laudasset. *Rhenanus.*

Nos Maurici Rusticique visus] Id est, dum ii nobis rapi ad supplicium viderentur. Τὸ *perfudit*, oratorie quidem, sed sic etiam loquuntur auctores de illo, qui cædem propriis oculis non conspexit. Valerius Max. 'Filii cruore paterni aspersi oculi.' Is enim M. Crassus est, cujus filius, non a Parthis quidem in oculis ipsius, sed tamen haud procul interfectus fuit. Mauricus non occisus, sed tantum relegatus est jussu Domitiani. Plinius epist. III. 2. 'Cum septem amicis meis, aut occisis aut relegatis: occisis Senecione, Rustico, Helvidio, relegatis Maurico,' &c. Ergo sic *visus*

centi sanguine Senecio perfudit.[w] Nero tamen subtraxit[x] oculos,[6] jussitque scelera, non spectavit;[y] præcipua sub

aspersit Senecio. At *Nero tamen parcebat aspectui, imperabatque crimina, non*

aptius Bipont. *divisus,* ut opinor. *Oberl.*—6 Ms. Vatic. 3429. *oculos suos.*

NOTÆ

Maurici damnati exilio, non *sanguis nos perfudit.* Sed non abs re sic junxit Tacitus: nam certe idem fuit *sanguis* Maurici et Rustici, quippe fratres erant. Miserum certe fuit patribus talia *videre,* talia coram ferre. Miserum fuit videre et videri, 'præcipua .... miseriarum pars erat, videre et aspici;' *suspiria* patrum subscribi, *pallores* denotari: itaque miserum fuit *aspici,* sed longe maxime miserum fuit videre raptos ad supplicia aut exilia summos viros, videre abreptos e curia eos ipsos qui decora senatus, et firmissima imperii, libertatis, ac salutis publicæ columina erant.

Maurici] De quo sic Plin. Epist. I. 5. 'Expecto Mauricum:' qui scil. redibat ab exilio, post Domitiani mortem. 'Vir est gravis, prudens, multis experimentis eruditus, et qui futura possit ex præteritis prævidere. Mihi et tentandi aliquid et quiescendi, illo auctore, ratio constabit.' Voluit tum Plinius invehi in Regulum, qui 'omnium bipedum nequissimus,' idque sponte et consilio Maurici.

Maurici] Plin. Epist. IV. 22. 'Cum sententiæ perrogarentur, dixit Junius Mauricus, quo viro nihil firmius, nihil verius, non esse restituendum Viennensibus agona; adjecit, Vellem etiam Romæ tolli posset. Constanter, inquis, et fortiter. Quid ni? Sed hoc Maurico novum non est. Idem apud Nervam Imperatorem non minus fortiter. Cœnabat Nerva cum paucis. Veiento proximus atque etiam in sinu recumbebat. Dixi omnia, cum hominem nominavi. Incidit sermo de Catullo Messallino, qui luminibus captus, ingenio sævo mala cæcitatis addiderat. Non verebatur, non erubescebat, non miserebatur. Quo sæpius a Domitiano, non secus ac tela, quæ et ipsa cæca et improvida feruntur, in optimum quemque contorquebatur. De hujus nequitia sanguinariisque sententiis in commune omnes super cœnam loquebantur, cum ipse imperator, Quid putamus passurum fuisse, si viveret? et Mauricus, Nobiscum cœnaret.' Nimia scil. lenitas Nervæ.

Maurici Rusticique] Itaque damnati et subversi utriusque fratris *visus nos perfudit.* Sed Rusticus, ut et Senecio innocenti sanguine nostros oculos aspersit, et quasi polluit visum conspectumque augustissimi ordinis. Sic parcit verbis Tacitus, et idem verbum ad plura licet disparata sæpe refert.

[w] *Nos innocenti sanguine Senecio perfudit*] Herennius Senecio occisus est a Domitiano, accusante Metio Caro, quod post quæsturam nullum magistratum petisset, et Helvidii Prisci vitam composuisset, laudans virum. Plinius Epist. I. 5. et VII. 19. et III. 11. *Rhenanus.*

[x] *Subtraxit*] Non veniebat in curiam Nero ipse, tantum immittebat delatores, ut patet ex morte Thraseæ et aliorum procerum, quibus etiam absens cum illuderet, *mortis arbitrium* sæpe permisit, postquam jam perierant. At Domitianus præsens aspiciensque, vultu rubore suffuso ac

Domitiano miseriarum pars erat, videre et aspici:[z] cum suspiria nostra subscriberentur:[a] cum denotandis tot hominum palloribus[b] sufficeret sævus ille vultus et rubor,

intuebatur: nunc *maxima pars calamitatum sub Domitiano fuit, aspicere et aspici: cum lamenta nostra subnotarentur: cum introspiciendis tot hominum pavoribus par*

NOTÆ

sanguineo, denotabat ipse pallores hominum, et suspiria numerabat ac subscribebat; aut subscribi jubebat in ipso senatu: quod miserrimum.

[y] *Non spectavit*] Claudian. Consul. Mallii: 'Qui fruitur pœna, ferus est, legumque videtur Vindictam præstare sibi.' Xenophon. Hierone: 'Viro principi, ubi pœnarum et supplicii res est, id aliis delegandum: ubi præmiorum aut munerum, ipsi obeundum.'

[z] *Videri et aspici*] Non erat sub Domitiano totus mutuus hominum aspectus: ex vultu ultro citroque culpæ hominum arguebantur. Sic Valerius Maximus II. 1. 'Sed pariter et videre sancte et aspici mutuo pudore custodiebantur.' Tertullianus: 'Mavult fœmina videre, quam videri.' *Colerus.*

Videri] Nihil immanius quam mori sub arbitrio et aspectu inimicorum. Sic Ann. II. 70. cum valetudinem Germanici per nuntios rimaretur Piso: 'Ea Germanico haud minus ira, quam per metum accepta: si limen obsideretur, si effundendus spiritus sub oculis inimicorum foret.'

Videri et aspici] Forte scripsit, *videre.* Cicer. de off. I. 'Moriendum potius, quam vultus aspiciendus tyranni.'

[a] *Subscriberentur*] Sic loquitur, quia majestatis crimen fuit, suspirium misisse, cum rei damnarentur: quippe ex more accusatores, porrecto libello, solebant se *subscribere;* unde *subscriptio* vel *inscriptio*, est accusatoris libellus, quo profitetur se reum deferre lege Jul. de majestate, vel qua alia, eumque reum a se peractum iri. Nam hoc ordine res agebatur.

Ducebat accusator reum in jus ad prætorem, qui lege Jul. de majestate quærebat; postulabatque, ut prætor nomen ejus reciperet lege Julia, et edebat inscriptionem sua manu subscriptam: quæ quidem *inscriptio* in criminalibus exigebatur, ut ipsa vinciret accusatorem falsum et temerarium, pœnam daturum, si forte calumniator apparuisset, vel in probatione defecisset.

Subscriptores autem dicebantur, qui se accusatori, qui rei nomen detulerat, *subscribebant.* Hinc Asconius pro Cornelio: 'detulit nomen Publius, subscripsit Caius.' Et Cicero epistola ad Q. Fr. 'Gabinium de ambitu reum fecit P. Sylla, subscribente privigno Memmio.' *Virdungus.*

Subscriptionis imaginem repræsentat Seneca in Apocolocyntosi: 'Ducit illum ad tribunal Æaci. Is lege Cornelia, quæ de sicariis lata est, quærebat, postulat, nomen ejus recipit, edit subscriptionem:' quæ quidem ita vulgo edita restitui in hunc modum velim: 'postulat nomen ejus recipi.'

[b] *Palloribus*] Macrob. Saturn. VII. 11. 'Qui metuunt, qua ratione pallescant? Nec hoc, Disarius ait, in occulto est. Natura enim, cum quid de extrinsecus contingentibus metuit, in altum tota demergitur: sicut nos quoque, cum timemus, latebras et loca nos occulentia quærimus. Ergo tota descendens [naturæ vis] ut la-

quo[7] se contra[c] pudorem muniebat. Tu vero felix, Agri-

esset atrox illa facies et rubor, a quo se contra pudorem defendebat. Tu vero bea-

—7 Sic bene Lipsius et Ernestus. In veteribus editionibus, *a quo*. Brotier.

NOTÆ

teat, trahit secum sanguinem: quo velut curru semper vehitur. Hoc demerso, humor dilutior cuti remanet, et inde pallescit. Ideo timentes et tremunt, quia virtus animæ introrsum fugiens nervos relinquit,' &c.

[c] *Rubor, quo se contra*] De eo Plinius in Panegyrico: 'Ira in oculis, fœmineus pallor in corpore, in ore impudentia multo rubore suffusa.' Item Sueton. c. 18. Et communiter Seneca epistola 11. 'Quidam nunquam magis, quam cum erubuerint, timendi sunt, quasi omnem verecundiam effuderint. Sylla tunc erat violentissimus, cum faciem ejus sanguis invaserat.' *Lipsius.*

Sævus ille vultus et rubor] Sueton. cap. 19. 'Vultu fuit modesto, ruborisque pleno.' Sulpicia in Satyra habet: 'album ingluvie. Non trabe, sed tergo prolapsus: et inguine albus.' Theod. Marcilius suspicatur, hic obscure tactum Domitiani somnium, quem ferunt somniasse. Suetonii verba sunt cap. 23. 'Gibbam sibi pone cervicem auream enatam; pro certoque habuisse, beatiorem post se lætioremque portendi statum Reipub.' &c. Haud dubie hac *gibba*, non *trabe prolapsus* est, si ipso conjectore utamur Domitiano. *Barclaius.*

A quo se contra pudorem muniebat] Videtur sic dictum, ut Livianum illud lib. VIII. quartæ Decad. 'Et ab eadem superbia non venire ad causam dicendam arguerent,' &c. Item illud lib. I. Decad. 'Tamen quia ab satisfaciendi quoque cura imperata enixe facere videt, ex præsenti eos potius quam ex præterito æstimat habitu.' *Rhenanus.*

Non solum *quo*, ut vult Lipsius. Sed magis placet *a quo*, et sic validior sententia mihi videtur. Teste Plin. Paneg. 'Erat in ore impudentia multo rubore suffusa.' Utroque dicto significatur, ruborem vultus, qui solet in aliis esse verecundiæ argumentum, notam in Domitiano impudentiæ fuisse; et quamvis ruberet vultu, nullius tamen ipsum sceleris vel flagitii puduisse: immo tunc ipsum vel maxime omnem verecundiam effundere solitum, cum maxime vultum rubor occuparet. *Virdungus.*

Rubor] Quo rubore suffusus ultra a natura et a sævitia, jam cæde et cruore non erubescebat.

Rubor, a quo se contra pudorem] Macrob. Saturn. VII. 11. 'Quæ facit causa ut rubor corpori ex animi pudore nascatur? Et ille, natura, inquit, cum quid et occurrit honesto pudore dignum, imum petendo penetrat sanguinem: quo commoto atque diffuso, cutis tingitur: et inde nascitur rubor. Dicunt etiam physici, quod natura, pudore tacta, ita sanguinem ante se pro velamento tendat, ut videmus quemque erubescentem manum sibi ante faciem frequenter opponere. Nec dubitare de iis poteris, cum nihil aliud sit rubor, nisi color sanguinis.' Igitur honesti verecundique ac liberali facie juvenes muniunt et protegunt pudorem suum rubore, quasi nativo velo purpuræ *ante se* expanso; at contra Domitianus se rubore sanguinis adversus pudorem protegebat; pudorem obruebat, abolebat, extinguebat, oppanso

cola, non vitæ tantum claritate, sed etiam opportunitate mortis (ut perhibent, qui interfuerunt novissimis sermonibus tuis) constans et libens fatum excepisti; tanquam pro virili portione innocentiam Principi donares.[d] Sed mihi filiæque,[8] præter acerbitatem parentis erepti, auget mœstitiam, quod assidere valetudini, fovere deficientem, satiari vultu, complexu,[9] non contigit: excepissemus[10] certe mandata[e]

tus, Agricola, non solum vitæ claritudine, sed etiam tempestivo exitu: ut affirmant, qui affuerunt, et suprema tua verba audierunt, firmo libentique animo mortem excepisti; quasi crimen omne quantum in te fuit, a dominante removeres. Sed mihi tuæque filiæ, præter dolorem defuncti patris, etiam mœror increscit, quod adesse ægritudini, solari morientem, expleri visu et amplexu non licuit: hausissemus certe

—8 Ita bene Rhenanus et recentiores. Quare *ejus* deleverint, non video. Est enim sermo de filia Agricolæ, Taciti conjuge. In veteribus editionibus, *filioque ejus*. Ms. Vatic. 3429. *filiæque ejus*. Pichena pro *ejus* scribit *tua*. At sermo est ad lectorem. *Brotier*.—9 Ms. Vatic. 3429. *complexuque*.—10 Sic bene Pichena et recentiores. In veteribus editionibus, *excepissem*. Brotier.—

NOTÆ

rubore illo cruento, illo scil. colore sanguineo, sese velabat, ac muniebat adversus pudorem, adversus ipsam naturam, quæ ultro refugit scelus et cruorem.

Rubor] Apud Diog. Laërt. lib. VI. Diogenes 'videns adolescentulum rubore perfusum, Considera, inquit, fili, hic est virtutis color.' Quod fuit in alio virtutis specimen, in tali homine criminis, parricidii, ac sanguinis color fuit.

Rubor] Sueton. Domit. 18. 'Commendari se verecundia oris adeo sentiebat, ut apud senatum sic quondam jactaverit: Usque adhuc certe animum meum probastis et vultum.' Initio commendatus illo *rubore*, quasi a pudore et verecundia juvenili esset, quia nondum cognoscebant feram indolem. Sed postea ruborem hunc, impudentiam et sanguineam naturam, non jam verecundiam interpretabantur: jam non probabant *animum* aut *vultum*, sed utrumque exhorrebant, execrabantur.

[d] *Tanquam pro virili portione innocentiam Principi donares*] Tanquam pro tua parte principem innocentem pronuntiares: tanquam ea constantia et animi æquitate declarares, te non violenta morte obire, veneno a tyranno interceptum, sed naturam tibi vivendi finem facere; ac propterea te nemini irasci, tanquam mortis tuæ auctori.

Sic e contrario Germanicus queritur apud nostrum Annal. II. 71. Ex qua querela perspicimus, quam vim habet istud, quod de Agricola dicitur, 'pro virili portione innocentiam principi donasse;' hoc est, non questum esse de præmaturo suo obitu, et quasi diutius vivere potuisset, nisi scelestis insidiis circumventus esset, &c. Similem animi moderationem in Arato prædicat Polybius. *Virdungus*.

[e] *Excepissemus certe mandata*] Ita apud Homerum Andromache luget Hectorem: 'Nec mihi sermones dix-

vocesque, quas penitus animo figeremus. Noster hic dolor, nostrum vulnus: nobis tam longæ absentiæ conditione ante quadriennium amissus es.[f] Omnia sine dubio, optime[11] parentum, assidente amantissima uxore,[g] superfuere[h] honori tuo:[i] paucioribus tamen lacrymis compositus[12] es,[j] et novissima in luce desideravere aliquid oculi tui.

præcepta sermonesque, quos alta mente reponeremus. Noster hic mæror, nostra hæc est *ægritudo animi: nobis ante quatuor annos ereptus es lege tam diuturnæ absentiæ. At certe, patrum amantissime, assistente carissima conjuge,* exequiis et *honori tuo plene satisfactum est: paucioribus tamen fletibus conditus ac sepultus es, et supremo vitæ momento defuit aliquid oculis,* defuit *quod intueri velles.*

11 Ita editio princeps et recentiores. Beroaldus, *optima.*—12 Mss. Vatic. 3429. et 4498. *comploratus es.* At in margine Ms. Vatic. 3429. *compositus es.* Sic quoque habent libri omnes editi.

NOTÆ

isti, quorum ego semper Noctes atque dies lacrymis suffusa recorder.' *Lipsius.*

[f] *Nobis tam longæ absentiæ conditione ante quadriennium amissus es*] Ex his verbis conjiciebat Lipsius, Tacitum scripsisse huncce libellum quadriennio post Agricolæ obitum. At ego aliter capiebam: Tacito scilicet videri, quoniam tempore mortis Agricolæ *quadriennio* abfuisset, neque illum toto eo spatio unquam vidisset, perinde sibi esse, ac si Agricola, *ante quadriennium* mortem obiisset. *Pichena.* Pronuntiat, visum sibi Agricolam jam tunc mortuum, quo postremo ipsum vidit; *ante quadriennium* scilicet. *Gruterus.*

Tam longæ absentiæ] Id est, Nobis ante quadriennium ereptus es tam longæ absentiæ conditione: et per *absentiam,* intelligit mortem Agricolæ partim, et partim *absentiam* suam. Jam aberat Tacitus, priusquam decederet Agricola, et post decessum ejus continuata illa longa *absentia,* per mortem nempe.

Et cum id scriberet Tacitus, jam effluxerant quatuor anni, a quibus non viderant ipse et uxor optimum parentem; et hi quatuor anni partim elapsi ante mortem, partim post mortem Agricolæ: et hoc est, quod vocat *longam absentiam.* Nam certe profectus erat Tacitus cum uxore, *ea conditione* naturæ seu fati, ut perpetuo abesset ab Agricola, nec unquam amplius eum videret.

[g] *Uxore*] Nempe Agricolæ: nam filia ipsius aberat cum Tacito viro suo.

[h] *Superfuere*] Satis superque cumulati sunt honores.

[i] *Honori tuo*] Id est, funeri et exequiis: qui supremus honos.

[j] *Paucioribus tamen lacrymis compositus es*] Sic Hist. l. I. 'Pisonem Verania uxor ac frater Scribonianus, T. Vinium Crispina filia, composuere.' Hor. Serm. I. 9. 'Omnes composui:' id est, sepelivi. Petron. Arb. 'Aut præteriens aliquis nos tralatitia humanitate lapidabit, aut quod ultimum est, iratis etiam fluctibus, imprudens arena componet.' *Pichena.*

Paucioribus] Nempe propter absentiam generi et filiæ suæ; quos, scil. oculi deficientis patris tum desideravere.

46. Si quis piorum Manibus locus; si, ut sapientibus placet, non cum corpore[k] exstinguuntur magnæ animæ: placide quiescas, nosque,[1] domum tuam, ab infirmo desiderio, et muliebribus lamentis, ad contemplationem virtutum[l] tuarum voces, quas neque lugeri,[m] neque plangi fas est: admiratione te potius,[n] quam[2] temporalibus[3] laudibus,

Si quæ piorum virorum *animis* destinata *sedes; si, ut sapientiæ doctores censent, non* una *cum corpore intereunt illustres animæ: leni quiete fruaris, nosque, familiam tuam, ab imbecillo dolore, et a fœmineis lacrymis, ad considerationem tuarum virtutum incites, quas neque defleri, neque deplorari licet:* quin immo *te potius*

1 Sic bene veteres et recentiores editiones. Copula *que* in mediis quibusdam omissa. *Brotier.*—2 Brotierus ceterique Edd. omisere *quam*, quod jure meritoque ab Ursino suppeditatum est. *Oberl.*—3 Mallet Lipsius, *te immortalibus laudibus.* Sed haud probabiliter. Minime enim crediderim Tacitum *immortales laudes* hic sensisse, aut scripsisse. Nec displicet, *temporalibus.*

NOTÆ

[k] *Non cum corpore, &c.*] Videtur hic loqui ex opinione Stoicorum: qui, cum alias imbecilliores, alias validiores animas facerent, illas ad exiguum tempus superesse, has autem *usque ad illam*, quam hariolabantur, *universi conflagrationem* duraturas dicebant, ut præter alios refert Theodoret. Serm. 4. Hinc et Cicero Tusc. 1. 'Stoici usuram nobis largiuntur, tanquam cornicibus: diu mansuros aiunt animos, semper negant.' *Virdungus.*

Non...exstinguuntur] Cic. pro Sextio: 'Nesciebam inter sapientissimos homines hanc contentionem fuisse, ut alii dicerent animos hominum sensusque morte restingui; alii autem tum maxime mentes sapientum ac fortium virorum, cum e corpore excessissent, sentire, ac vigere: quorum alterum fugiendum non esse, carere sensu; alterum etiam optandum, meliore esse sensu.'

[l] *Contemplationem virtutum*] Sic Ann. xv. 62. Seneca ad amicos, cum mori adactus est jussu Neronis: 'Quod unum jam, et pulcherrimum habebat; imaginem vitæ suæ relinquere testatur: cujus si memores essent, bonarum artium famam, tum constantis amicitiæ laturos.' Et ad Paulinam uxorem: 'Sed in contemplatione vitæ per virtutem actæ, desiderium mariti solatiis honestis toleraret.' Sic et infra Tacitus socrui et uxori: 'Formamque ac figuram animi magis quam corporis complectantur.'

[m] *Quas neque lugeri*] Huc pertinent versus Ennii: 'Nemo me lacrymis decoret, nec funera fletu Faxit: cur? volito vivu' per ora virum.'

[n] *Admiratione te potius*] Priora verba sic tentem: *admiratione te potius, te immortalibus laudibus.* Lipsius.

In verbis hæreo: de sententia non ambigo: nam hoc ait, admiratione et laudibus prosequendam memoriam defuncti, et, quatenus fieri possit, similitudine morum ac vitæ. Indicant, quæ sequuntur, 'quam tenere et exprimere non per alienam materiam et artem, sed tuis ipse moribus possis.' Addidit, 'si natura suppeditet,' quasi supergressa sit humanam virtutem virtus Agricolæ: sic de Deorum

et, si natura suppeditet,[4] æmulatione decoremus.[5] Is verus

per admirationem temporali honore, et, si natura sufficiat, immortali laude *celebra-*

Brotier.—4 *Suppeditat*, Boxhorn.—5 Brotierus habet *similitudine decoramus;* et sic notat: Corrupte Ms. Vatic. 3429. et libri omnes editi, *militum decoramus.* Ms. Vatic. 4498. *multum decoramus.* Ad veterem scripturam rerumque seriem accommodate emendavit Grotius, *similitudine decoremus.* Alii tentant, *imitatione, imitando, imitatu:* Heinsius, *æmulatu.* Sed non ita placent. Ursinus e veteri suo codice, in quo scriptum, *admiratione potius, quam æmulatione decoremus*, corrigebat, *admiratione te potius, quam æmulatione, et si natura suppeditet, imitatione virtutum decoremus.* At incerta, ut jam monui, hujus codicis fides. Sic Brotier.—Nostra lectio proxime ad scripturam veterum editionum accedit, mihique prorsus arridet. *Oberl.*

NOTÆ

Dearumque aut heroum imitatione loquuntur. 'Deas,' inquit Aristenætus, 'quantum possibile est, exprimis, æmularis.' Igitur sic legere possis, *simili vita decoremus*, vel potius: *imitatu decoremus.* Mercerus.

Admiratione te potius] Sic legi possit: *quin admiratione te potius immortalibus laudibus, et si natura suppeditet, imitatu*, vel *similitudine virtutum, decoramus*, ea scil. cognata et conjunctissima pietas in summum virum. Opponit *admirationem infirmo desiderio*, et *laudes lamentis* inanibus, *et imitatum* muliebri planctui: nam supra, nos 'ad contemplationem virtutum tuarum voces, quas neque lugeri, neque plangi,' sed potius eas sectari et imitari, 'fas est.'

Et si natura suppeditet: id est, si indoles nostra, si vis naturæ nostræ infirmioris *suppeditet* et sufficiat tanto decori, tuam virtutem æmulemur, ut generosa tanti parentis proles; quod etiam satis convenit cum his quæ sequuntur: 'Is verus honos, ea conjunctissimi cujusque pietas.'

Et certe verus honos filiorum in parentem, est virtus, seu imitatio virtutum ipsius. Hæc vera conjunctio, hæc vera propinquitas: maxima pietas est similitudo morum, bonarumque artium. Congruit etiam quod habetur infra: 'Forma mentis æterna; quam tenere et exprimere, non per alienam materiam et artem, sed tuis ipse moribus, possis.'

Te potius] Si scripsit, *temporalibus;* haud dubie et de immortalitate consequenter addere debuit: sicque forte relinquere potuit, *quin te potius temporalibus laudibus, et si natura suppeditet, immortalibus decoramus.*

Et eo ducere videntur hæc verba, *si natura suppeditet*, quasi sic scriberet, aut sentiret: Quin te potius pro nostris viribus, et quantum natura vitaque nostra suppeditat, præsenti hoc ævo nostro *temporalibus*, quod possumus, *laudibus* prosequimur; et *si natura* suppeditare et sufficere possit, *immortalibus laudibus decoramus.*

Quod et faciebat statim Tacitus ipse virtute, doctrina, et scriptis hocce libello laudibus Agricolæ. 'Nam,' ut recte ait, 'multos veterum, velut inglorios et ignobiles, oblivio obruet; Agricola posteritati narratus et traditus, superstes erit.' Sic illum certe immortali laude et gloria decoravit.

Te potius .... laudibus .... decoramus] Inter Apoph. l. VIII. 'Veras virtutes qui prædicant, plus debent iis quos laudant, quam ipsis debent qui lau-

honos, ea conjunctissimi cujusque pietas.[o] Id filiæ quoque, uxorique præceperim,[p] sic patris, sic mariti memoriam venerari, ut omnia facta dictaque ejus secum revolvant, famamque[6] ac figuram animi[q] magis quam corporis, complectantur: non quia intercedendum putem imaginibus, quæ marmore[r] aut ære finguntur: sed ut vultus hominum, ita simu-

mus. Ea vera laus, hoc *verum decus, ea* vera *propinqui atque amicissimi cujusque pietas* et amor. *Id etiam filiæ et conjugi* tuæ *consuluerim, sic observare et honorare memoriam parentis et viri, ut omnia* præclara ipsius *facinora verbaque secum reputent, formamque ac speciem animi quam corporis altius infigant menti: non quod invidendum censeam simulacris, quæ ex marmore aut ære formantur: sed sicut*

6 *Formamque* scribendum, non *famamque*, pridem monuere Muretus et Acidalius. *Ernest.*

NOTÆ

dantur.' Hinc crescit virtutis amor in scriptore et æmulatio boni, et spargitur in plures fama laudantis, quasi similis.

[o] *Ea conjunctissimi cujusque pietas*] Cic. Philipp. 14. 'Sed quoniam P. C. gloriæ munus optimis et fortissimis civibus monumenti honore persolvitur, consolemur eorum proximos, quibus optima est hæc quidem consolatio parentibus, quod tanta Reipub. præsidia genuerunt liberis, quod habebunt domestica exempla virtutis: conjugibus, quod iis viris carebunt, quos laudare, quam lugere præstabit: fratribus, quod in se, ut corporum, sic virtutum similitudinem esse confident.'

[p] *Id filiæ quoque, uxorique præceperim*] Primum se excitat, totamque *domum* ad admirationem imitationemque virtutum Agricolæ, his verbis; 'quin admiratione te potius, &c. decoramus.' Dein seorsim exhortatur filiam, conjugem suam, et uxorem ipsius Agricolæ memoriam ipsius sic venerari, 'ut omnia facta dictaque ejus secum revolvant, formamque ac figuram animi, magis quam corporis,' in se et suis moribus exprimant, atque venerentur.

[q] *Figuram animi*] Cic. Philipp. 10. 'Quanquam nullum monumentum clarius Ser. Sulpicius relinquere potuerit, quam effigiem morum suorum, virtutis, constantiæ, pietatis, ingenii, filium.'

Figuram animi] Mart. Epig. x. 32. 'Ars utinam mores animumque effingere posset; Pulchrior in terris nulla tabella foret.'

[r] *Imaginibus quæ marmore*] Apoph. l. VIII. 'Plotinus Philosophus Platonicus Amelio pictori roganti, ut corporis formam pateretur effingi, non passus est: Quid, inquit, an non satis est, nos hanc imaginem circum ferre, nisi et imaginis imaginem relinquamus posteris ostentandam? Judicavit cum Pythagora corpus esse thecam mentis, utcumque eam exprimentem; minimam autem hominis partem videre eum, qui nihil aliud videt quam corpus.'

Quæ marmore aut ære finguntur] Cera ergo jam propemodum obsoleverat, qua olim in imaginibus usi, et atrienses clypei cœperant formari

lacra vultus imbecilla ac mortalia sunt; forma mentis æterna: quam tenere et exprimere, non per alienam materiam et artem, sed tuis ipse moribus, possis. Quicquid ex Agricola amavimus, quicquid mirati sumus, manet mansurumque est in animis hominum, in æternitate temporum, fama rerum.[s] Nam multos veterum,[t] velut inglorios et ignobiles, oblivio obruet: Agricola, posteritati narratus et traditus, superstes erit.[u]

facies mortalium, ita effigies eorum infirmæ ac caducæ sunt; species animi sempiterna: quam retinere, adumbrare, et effformare, non per materiam extraneam, aut per *artem* ullam, *sed tuis ipse virtutibus* imitari *queas. Quicquid in Agricola dileximus, quicquid suspeximus, durat, daturumque est in memoria hominum, in perpetuitate temporum,* et in *rerum historia. Quippe silentium æternum* premet et *obruet plerosque veterum, velut inhonoros et ignotos:* at *Agricola, posteritati commendatus memoratusque, vivet et nunquam silebitur.*

NOTÆ

marmore aut *ære.* Confessum est, *imagines* nihil aliud fuisse, quam expressos vultus. De *ære* Papinius Thebaid. II. 'Species est cernere avorum Cominus, et vivis certantia vultibus æra.' Ovid. Fastorum l. VI. 'Vidimus ornatos ærata per atria, picta Veste triumphales occubuisse senes.' De marmore Plinius XXXV. 2. 'Aliter apud majores in atriis hæc [imagines corporum] erant, quæ spectarentur; non signa externorum artificum, nec æra, aut marmora. Expressi cera vultus singulis disponebantur armariis.' *Barcl.*

[s] *Fama rerum*] Intellige de historia rerum Rom. seu generis humani in universum, non vero solum de rebus gestis ab ipso Agricola. Hic vivet scil. in historia et memoria famaque mortalium. Quamdiu erunt homines, quamdiu erunt Romani, aut rerum Rom. amantes; tamdiu ille prædicabitur, tamdiu *in animis,* famaque rerum ac memoria æternus ac *superstes erit.*

[t] *Nam multos veterum*] Sic præter alios Horatius: 'Vixere fortes ante Agamemnona Multi, sed omnes illacrymabiles Urgentur, ignotique longa Nocte, carent quia vate sacro.'

[u] *Posteritati narratus .... superstes erit*] Certe possit dici hic idem quod habet Plin. epist. VI. 16. quam Tacito scribit: 'Petis ut tibi avunculi mei exitum scribam, quo verius tradere possis: gratias ago. Nam video, morti ejus, si celebretur a te, immortalem gloriam esse propositam. Quamvis enim pulcherrimarum clade terrarum, ut populi, ut urbes, memorabili casu, quasi semper victurus occiderit; quamvis ipse plurima opera et mansura condiderit; multum tamen perpetuitati ejus scriptorum tuorum æternitas addet. Equidem beatos puto, quibus Deorum munere datum est, aut facere scribenda, aut scribere legenda; beatissimos vero quibus utrumque.' Et epist. VIII. 33. 'Auguror (nec me fallit augurium) historias tuas immortales futuras; quo magis illis (ingenue fatebor) inseri cupio.'

DE

ORATORIBUS

SIVE

DE CAUSIS CORRUPTÆ ELOQUENTIÆ

DIALOGUS.

BREVIARIUM.

CAP. 1. Dialogi occasio. 2. 3. Confabulationis argumentum. Curiatium Maternum, ex oratore poëtam, M. Aper orator, judice Julio Secundo, a poëticis studiis avocare tentat. 4. Maternus sanctiorem se eloquentiam sectari profitetur. 5—7. Instat Aper, et oratoriæ artis utilitatem, voluptatem, dignitatem celebrat, idque 8. Marcelli Eprii et Crispi Vibii exemplis comprobat; 9. contra carmina dignitate et utilitate destitui, nec nisi laudem inanem dare et gaudium volucre. Laude dignam esse Vespasiani liberalitatem in vatem Saleium Bassum; pulchrius tamen esse, sibi ipsi prospicere et suum genium propitiare. Nec voluptatis quicquam præbere poëticam, quippe vatibus in solitudinem sit secedendum, 10. tum poëtas esse offensis obnoxios. Maternum proinde rectius acturum, si ab auditoriis et theatris in forum et ad causas redeat.

11—13. Maternus contra poëticæ studium securitatem præstare et innocentiam, majorem quoque gloriam, quam

forensis labor concedat, quod aurei sæculi exemplo constet. Voluptatem porro puriorem afferre secessum in nemora et lucos, quam sanguinantem eloquentiam. Dulces Musas revocare suos cultores a solicitudinibus et curis.

14. Supervenit Vipstanus Messala. Is, antiquorum admirator, Aprum a novorum rhetorum more ad veterem formam trahere nititur. 15—18. Aper repugnans movet quæstionem, quinam oratores vocandi sint antiqui. Hos venerantur Messala, Secundus, Maternus. Aper sæculi sui partes tuetur, nec veteres esse dicendos judicat, quos eorundem hominum aures agnoscere potuerint. Ciceronem et coætaneos, fere in medio positos, ab antiquorum asseclis istis accenseri. In iis, qui vocentur antiqui, plures deprehendi species, nec unum esse eloquentiæ vultum. Malignitate humana vetera in laude, præsentia in fastidio esse. 19. Cassium Severum, quem terminum antiquitatis constituant, a vetere flexisse via non inscitia, sed judicio et intellectu; cum conditione temporum ac diversitate aurium formam quoque orationis fuisse mutandam. 20. Variis scatuisse veterem eloquentiam vitiis. Auditorum coronam exigere jam lætiorem et pulchriorem orationem et poëticum decorem. 21. 22. Dijudicat dein Aper Calvi, Cœlii, Cæsaris, Bruti, Asinii, Corvini orationes et carmina, et præcipue Ciceronis, cujus laudes canit et vitia reprehendit, quæ sola perversis imitatoribus placeant. 23. Veram esse eloquentiæ artem, antiquorum lætissima quæque imitari et a recentibus feliciter reperta miscere.

24. Jam Maternus hortatur Messalam, ut, missa laudatione antiquorum, qui illa non indigeant, causas expromat, cur in tantum ab eorum eloquentia recesserit recentior ætas. 25. Messala monet, quinam antiqui dicendi; plures fuisse dicendi formas iisdem sæculis; docet, quid sentiendum de eloquentia Calvi et ceterorum, de quibus mox dictum; addit, quod se obtrectarint invicem, vitium esse non oratorum, sed hominum. 26. C. Gracchi impetum et L. Crassi maturitatem præferendam esse calamistris Mæcenatis aut tinnitibus Gallionis. Cassium Severum parum habere sanguinis, et rixare magis, quam pugnare, nec attulisse Aprum, quem

Ciceroni vel Cæsari opponeret. 27—29. Petente Materno, ad explicandas causas transit Messala, cur eloquentia ceteræque artes a vetere gloria desciverint, desidiam juventutis, negligentiam parentum, inscientiam præcipientium et oblivionem moris antiqui. Ostendit, apud antiquos severam et sanctam fuisse liberorum educationem; apud recentiores ad histrionalem favorem deflexisse et rhetores. 30—32. Ex ingenuarum artium scientia et varia eruditione exundasse antiquam eloquentiam, quod Ciceronis exemplo pateat; illarum contemtum primam esse corruptæ eloquentiæ causam. 33—35. Tum juvenes olim, domestica disciplina imbutos, deductos esse ad oratores principes, quos sectati pugnare quasi in prælio didicerint: postea in scholas rhetorum transisse, ubi nihil discatur, nisi quod usum non habeat.

[Hic mutilus est Messalæ sermo, forsan et periit Julii Secundi; sequitur Materni oratio, capite trunca. Lacunam hanc complere nisus est Broterius. In iis, quæ supersunt] 36. Tradit Maternus: perturbatione olim et licentia, factionibus procerum et assiduis Senatus adversus plebem certaminibus, eloquentiam viguisse; 37. neque quenquam magnam potentiam sine eloquentia consecutum: Demosthenis hoc et Ciceronis exemplo comprobari. 38. Primum Cn. Pompeium eloquentiæ astringendo nocuisse, eique veluti frænos imposuisse; tum 39. pænulas, quibus astricti et quasi inclusi cum judicibus fabulentur oratores, itemque impedimenta a judicibus orta, debilitare eloquentiam. Præterea res velut in solitudine agi, cum oratori olim clamor plaususque addiderint animum. 40. Eloquentiam esse alumnam licentiæ, contumacem, temerariam, arrogantem, nec in civitatibus bene constitutis oriri posse, quod exempla variarum gentium ostendant; 41. minorem esse obscurioremque gloriam inter bonos mores et in obsequium regentis paratos; bono sui sæculi cuique fruendum. 42. Disceditur. Habitus est dialogus

FLAVIO VESPASIANO AUG. VI. TITO VESPASIANO CÆS. IV. COSS.

DE ORATORIBUS DIALOGUS.[1][a]

1 Ad titulum quod attinet, in Mss. Vatic. Brotierus hunc reperit: *C. Corn. Taciti dialogus de Oratoribus.* Ed. princeps ita: *Cornelii Taciti Equitis Romani dialogus de Oratoribus claris.* Puteol. et Ber. *Cornelii Taciti Equitis Romani dialogus, an sui sæculi oratores antiquioribus et quare concedant.* Oberl.

NOTÆ

[a] *Dialogus*] Hunc dialogum vix crediderim esse Taciti, quanquam auctor, quisquis fuit ejus eruditissimi sæculi, testatur, se disertissimorum hominum sermonem repetere, quem juvenis admodum audiverit, 'iisdem numeris iisdemque rationibus;' ut potius loqui illos ipsos lector debeat imaginari, quam eum qui conscripsit. Sane fit hic 'anni sexti' mentio 'Vespasiani principatus;' quo tempore juvenis fuit admodum Tacitus. Fit et mentio 'Mutiani, senatorumque eloquentium Eprii Marcelli ac Crispi Vibii:' quorum quoque meminit Tacitus in libris Annalium. Nec Justus Fabius, cui inscribitur hoc opusculum, ex Plinii epistolis ignotus est. Sed haud me latet etiam apud veteres tam apte conscripta quædam esse, ut antiquiora videri queant, quam sunt. Suspicor Julium istum Secundum et M. Aprum Maternumque Gallos fuisse e Gallia Togata, quæ Italis Cisalpina est. Nam sic alicubi dicit Aper, 'Quotus quisque cum ex Hispania vel Asia, ne quid de Gallis nostris loquamur, in urbem venit, Saleium Bassum requirit?' Paulo post idem, 'in Britannia fuisse sese.' *Rhenanus.* Hoc opus Tacito potius asseruerim quam Fabio, secutus non modo Pomponii Sabini, sed et omnium exemplarium fidem. Nec me jam styli ratio usque eo movet, cum sciam pro ætate facile genus dicendi mutari: et quod adolescentis fuit lætum, luxurians, profluens, ac floridum; senis fieri concisum, breve, grave, sobrium, ac maturum: quale ipsius Annalium et historiarum est, ad quæ scribenda jam senex sub Nerva animum appulit. *Pithœus.* In his Notis ea saltem tangam, quorum vel insignis correctio est, vel ambigua. Reliqua recepta in contextum, satis sit verbo jam nunc prædixisse, e Farnesiani libri fide esse; nam Vaticanis aberat. At de scripto, et scriptore ipso, pauca etiam hic libanda sunt. Scriptum sane optimum, stylo, inventione, judicio: et quod in hoc genere (integrum esset modo) conferre nihil verear cum iis, quæ optimi sæcli, et optimæ notæ. Scriptor tamen ipse incertus. Nam Tacitum fuisse qui credam? Stylus valide abnuit, idque non fallax in hoc genere argumentum: stylus in Tacito, constrictus ubique, teres, acutus, et severus magis quam lepidus: hic omnia contra. At mutari is in ætate aut argumento potest, inquiunt. Non nego: sed nunquam ita ut abeat prorsus a sese. Quicquid Cicero scripsit, senex, juvenis, philologum, philosophum, in iis tamen lineamenta quædam apparent ejus viri et vultus. Nec aliter fit in omnibus nobis. Ætatem etiam vide, si non pugnat. Hic scriptor sermonem hunc habitum inducit sexto Flaviani imperii anno: eique interfuisse se *admodum juvenem.* Quomodo vero tunc admodum juvenis Tacitus, si honores etiam cepit sub Vespasiano? Id enim de se fatetur, et *dignitatem* suam *a Vespasiano inchoatam* ait Historiarum primo. Sed exemplaria omnia Tacito librum hunc asserunt. Quæ illa? vix bina aut terna credo ea esse in omni Europa:

NOTÆ

quæ tam facile et pronum est hic mentiri, quam in aliis libris sæpe. Sed etiam Pomponius Sabinus. Ita enim politissimus doctissimusque Pithæus nos docuit, Notis ad hunc libellum. Is igitur Sabinus, mediæ ætatis Grammaticus, in carmen de obitu Mæcenatis: 'Cornelius,' inquit, 'Tacitus appellat scripta Mæcenatis calamistros.' Nec negare certe possumus, quin is locus hodieque in hoc libello extet. Quid dicam! serio et ingenue, nihil me credere huic ignobili Sabino, qui ex veteri verbo, somniavit fortasse quod voluit. Dico me: nam aliis nihil præeo quid sequantur. Incommodi quid erit, sive Tacito tribuamus, sive M. Fabio Quinctiliano, ut mihi olim visum? Nam et stylus ipse plane geminus: et ille se *De causis corruptæ eloquentiæ* scripsisse plus uno loco fatetur: quem titulum valde appositum scio huic argumento. Præcipuam enim materiam et velut fundum scripti, hoc fuisse, evincunt illa, quæ superant, et magis evincerent, quæ a fine desunt. Ipse Maternus hic ad Messalam: 'Exprime nobis non laudationem antiquorum, sed causas, cur in tantum ab eloquentia eorum recesserimus.' Ætas tamen Quinctiliani paulo grandior fuisse videtur, quam ut hic sermo habitus sit illo juvene. Itaque ambigo: et cum multa dixerim, claudo tamen omnia et signo hoc responso, mihi non liquere. *Lipsius.* Libellus iste vulgo inscribitur, *Cornelii Taciti equitis Romani dialogus.* Verum stylus hujusce libelli nimis abhorret a stylo Taciti. Sed quæro, num idem stylus deceat historicum et dialogisten: teste Demetrio, 'Dialogi periodus est, quæ remissa et simplicior historica.' Præterea pauca Tacitus hic præfatur, et sic non mirum si solitus ejus stylus vix agnoscatur; reliqua vero verbis *numerisque* eorum refert, quos hic loquentes inducit. Sed ætas repugnat: præsertim cum nascatur Cornelius anno extremo Claudii, idque temporis quo proferretur hic sermo, annos minimum viginti duo natus sit. Sed audi Gell. lib. x. 28. Ser. Tullium 'pueros esse existimasse, qui minores essent annis 17. atque inde ab anno 17. quos idoneos jam esse reipublicæ arbitraretur, milites scripsisse; eosque ad annum 46. juniores, supraque eum annum seniores appellasse.' Itaque cum anno Vespasiani vi. Cornelius 22. annos habuerit; sic tunc dici *admodum juvenis* præ longiore juventutis spatio, quod a 17. ad 46. annum extendebatur, et octava vel nona statione Vespasiani quæstura potiri potuit. *Salinerius.* Puto nihil prorsus hic esse, quod C. Taciti phrases stylumque redoleat. Sed nec F. Quintilianum, etiamsi cetera omnia argumenta congruerent, hujus operis auctorem pronuntiaverim, cum scriptio ista, meo quidem judicio, illum et facilitate orationis et elegantia superet, et cum quovis optimi sæculi oratore conferri posse videatur. Itaque incerti auctoris titulum libello apposuerim. *Pichena.* Quod afferunt hic interpretes de ætate Cornelii, nullius momenti est: quasi vero ille composuerit omnia volumina, quæ hocce ævo edita sunt, et quo tot oratores eximii floruere. An ideo hic liber Taciti erit, quia ibi fit mentio Vespasiani, Muciani, Helvidii, Messallæ, Eprii Marcelli, Crispii Vibii, et tot aliorum oratorum, qui hoc ipso ævo eloquentiæ laude præcelluerunt? Et quot alii oratores hoc libro laudantur, quorum tamen nusquam meminit Tacitus? Nobis opponunt, Pomponium Sabinum attribuisse hunc libellum

NOTÆ

Cornelio. Sed certe Pomponius ille Grammaticus fuit mediæ ætatis, quo tempore jam literæ veluti *remotæ* et *obliteratæ*, quo jam veluti fugiebant exolescebantque egregiæ artes. Et ille Grammaticus, vel deceptus est falso et vano titulo exscriptoris, quod idem sæpe contingit et aliis librorum titulis, nec sedulo advertit literator ille ad stylum et genium Taciti, neque vel ipsa verba utriusque auctoris, aut ingenii et eloquentiæ discrimen satis ponderavit; vel rei suæ ac sententiæ favens, quærebat argumentum, quo validius inniteretur, cum scripta Mæcenatis calamistros appellaret. Amant sic sæpe auctores loca allata egregiis et eximiis auctoribus ascribere, aut cum meliora ignorant, aut dum vaniloquentiam suam fulciunt magnis argumentis. Opponunt nobis Grammaticulum: audacter dicam, si opponerent nobis ipsum Tacitum, si Tacitus ipse hoc diceret, Tacito non assentirer: quia scil. ratio major, et veritas ipsa contra pugnat. At, inquiunt, multæ voces hujus libri similes usurpatæ sunt ipsi Tacito. Nugantur illi: falluntur et nos fallunt; quod clare statim patebit. Et quis neget voces Latinas easdem reperiri et in Tullio, qui tamen ante centum annos scripserat, et in Plinio utroque, et in Tacito, et in isto libello, et in aliis etiam auctoribus, qui longo post tempore floruerunt. Quid mirum? sed istæ voces quasi dissolutæ, nullam paris ingenii vel facundiæ similitudinem referunt aut exscribunt. At certe vis dicam ingenue, qui talia dicunt, aperte fallunt; et sunt paucissima hic verba hujusmodi, quæ Taciti mentem ac stylum vel eminus exhibeant: immo, dicam audacius, nulla hic esse verba vere Corneliana, quod diu pensitavimus et certissime novimus, tum ex familiari usu et assidua lectione hujus auctoris, cum ex indice verborum Taciti, qui nostra cura et opera compositus hisce libris adjungetur. Adi hunc indicem, et clare nobiscum perspicies, nullam toto hoc dialogo, vocem, nullam phrasim, nullamque dicendi formam ac speciem Cornelio similem prorsus reperiri. Quis putet scripsisse Tacitum, ut habetur hoc dialogo, *Veteres et senes. Novam et recentem curam. Negotiosos et rebus intentos. Juvenes et adolescentes. Advenæ quoque et peregrini. Imagines et tituli et statuæ. Carmina et versus. Nemora et lucos. Memoria ac recordatione*, et similia passim omnibus lineis? An gravissimus auctor sic scripsit? quasi vero! Qui talia hæc affirmant, certe neque doctrinam, aut lectionem, nec mentem, neque vel oculos habent. Itaque genius, mens, stylus, sermo Taciti, omnia abdicant et rejiciunt munus et opus istud, quamvis facundum maxime et egregium. Taciti sermo brevis, acutus, pressus, severus, gravis, sobrius, maturus; etiam et sæpe obscurus, immo et (dicere ne audeam?) durus, abruptus, et incomtus, licet validus, firmus, et sensu prægnans sæpe videri possit. At hujusce auctoris, quicunque sit, sermo profluens, disertus, lætus, venustus, floridus, et quasi passim luxurians, ac juveniliter exultans. Et forte dialogus iste antiquior existimari possit, quam sunt historiæ Taciti. Hunc sermonem habitum esse supponunt sexto Vespasiani principatus anno, et scripsit Tacitus tantum sub Nerva et Trajano. Et sic dialogus oratorum iste 30. annorum spatio Tacitum præcesserit, quod spatium in hac materia videri possit ingens et immensum; et si reputes animo, id pronuntiatum ab oratoribus, qui jam tum seniores et antiquiores erant, cum disputarent, nam iste auctor *juvenis admodum* eos

NOTÆ

audivit, jam tu 60. annos ante Tacitum, computare possis. Quare forte et profluentior hæc eloquentia est, quam ut Taciti ævo satis congruat. At non solum verba aut phrases, sed et res multæ hic enarrantur, quas easdem et apud Tacitum legas. Et quidni de iisdem rebus diversi auctores suo modo disserant? quid mirum? Hæc v. g. dialogi, 'Lucrosæ hujus et sanguinantis eloquentiæ usus et e malis moribus natus.' Et hæc, 'Nam Crispus et Marcellus . . . quid habent in hac præsenti fortuna concupiscendum? an quod timent, an quod timentur? quod alligati cum adulatione, nec imperantibus unquam satis servi videntur, nec nobis satis liberi?' Etiam ista: 'Nec incertus futuri testamentum pro pignore scribam: nec plus habeam, quam quod possim, cui velim relinquere, quandocunque fatalis et meus dies veniet.' 'Et rursus: 'Illos quin immo orbos et locupletes et potentes venire plerumque ad juvenem et pauperem, &c. Jam vero qui togatorum comitatus et egressus?' Quis neget hæc et talia multa sub stylum Taciti cadere potuisse? quis neget hæc et similia esse materiam Historiæ Rom. quia sunt certe eadem hominum ingenia similesque ejusdem ævi mores, quis neget hæc congruere stylo historici non solum, sed et cujuscunque auctoris et scriptoris? Quot alii auctores memorias librosque historiarum composuere? quot recitavere palam libros in omni genere eloquentiæ hoc eodem ævo? Legantur solummodo literæ Plinii junioris, et ætatem non sterilem, non effœtam animadvertes. Quidni et hoc eodem libello multa reperias quæ perinde ad Senecam, ad Plinium utrumque; et ad Suetonium, Dionem, et alios auctores pertineant? Lege attente paucas lineas dialogi hic appositas. An mentem, an genium Taciti, an brevitatem, an gravitatem ipsius hic agnosces? Sed se ipse, inquiunt, dissimulavit hoc libello, stylum et dicendi genus commutavit, et veluti genium et eloquentiam induit oratorum, quos juvenis audierat, et quos inducit hic disputantes. Et prout est materia, disserit, inservit argumento; et prout est res, mentem et sermonem accommodat pari facundia et industria: ita in Annal. strictior, pressior et gravior est, et imitatur id quod dialogo habetur, 'sensus tarda, et inerti structura in morem Annalium componantur;' in historiis vero affluentior et facundior sermo est. Pariter igitur et hocce libello, cum de eloquentiæ laude et sæculi gloria ageretur, rem tanti momenti jam non suis verbis ille, sed *iisdem numeris* et *rationibus* oratorum, quos audierat juvenis, exequitur. Hinc totus alius a se ipso videtur hoc dialogo; quia scil. velut ascititia, inducta, et quasi aliena eloquentia utitur: ita ut hic formam animi *sui* et *ingenii* non redderet Tacitus, sed oratorum eloquentissimorum facundiam exprimeret, referret, exscriberet, 'servato quoque [etiam] ordine disputationis: [ita ut jam] non ingenio, sed tantum memoria ac recordatione opus [esset, ut scil. quæ] a præstantissimis viris et excogitata subtiliter et dicta graviter, acceperat,' enuntiaret. Et fecit hic Tacitus id ipsum, quod describitur infra hocce dialogo cap. 14. 'Delectasset enim te et Apri nostri accuratissimus sermo, cum Maternum, ut omne ingenium ac studium suum ad causas agendas converteret, exhortatus est: et Materni pro carminibus suis læta, utque poëtas defendi decebat, audentior, poëtarum, quam oratorum similior oratio.' Similiter et hic Tacitus, quasi se ipso

NOTÆ

audentior factus, longe eloquentior et se ipso profluentior videtur; quia scil. non sua ingenii forma, quia non solita dicendi specie, sed eloquentissimorum oratorum facundia uteretur; aut certe, quia dignitate et amplitudine materiæ evectus jam velut extra se prorumpebat. Sed hæc et talia jam satis validis argumentis confutavit doctissimus Lipsius. An aliquis, quicquid contendat et enitatur, ita a se ipso prorsus abeat ? an totus ipse sese in alium sic statim transferat? an totus a genio proprio sic desciscere facile possit ? ita ut non amplius agnoscatur, ut nullatenus jam se ipse referat aut exscribat ? Quis non agnoscat Ciceronem aut Platonem in dialogis, quantumvis se ipsi dissimulent? quamvis personas alienas sedulo et serio imitentur ? Quis non agnoscat Tullium, et juvenem et senem, et quamcumque materiam tractet? Quis non et agnoscat Tacitum semper sui similem? Itaque leve et inane argumentum petitur ex hoc loco. Neque certe ætas, neque verba, nec eloquentiæ species aut forma conveniunt. Et tantum abest ut scripserit Tacitus sub Vespasiano, ut ne quidem imperante Domitiano stylum attigerit: nam primo incepit componere res Domitiani, ut ipse testatur, quas certe res non descripsisset ipso imperante; neque ille forte materiam aut memorias talis historiæ colligere ausus foret. Dein, secundo loco, scripsit Annales incipiens scil. a fine Augusti. Nihil autem scripsisse ante Nervæ principatum, clare patet ex his Agric. 3. ‘Nunc demum redit animus [de studiis loquitur] et quanquam primo statim beatissimi sæculi ortu, Nerva Cæsar res olim dissociabiles miscuerit, principatum ac libertatem, augeatque quotidie felicitatem imperii Nerva Trajanus ... natura tamen infirmitatis humanæ tardiora sunt remedia quam mala; et ut corpora lente augescunt, cito exstinguuntur, sic ingenia studiaque oppresseris facilius, quam revocaveris ... Quid si per quindecim annos, [quibus scil. imperavit Domitianus] grande mortalis ævi spatium, multi fortuitis casibus, promtissimus quisque sævitia principis interciderunt?’ Ergo toto illo ingenti spatio 15. annorum nihil ipse Tacitus, nihil alii scribere ausi sunt. Nam ‘neque in ipsos modo auctores, sed in libros quoque eorum sævitum, delegato triumviris ministerio, ut monumenta clarissimorum ingeniorum in comitio ac foro urerentur, &c. Expulsis insuper sapientiæ professoribus, atque omni bona arte in exilium acta.’ Et infra, ‘ademto per inquisitiones et loquendi audiendique commercio. Memoriam quoque ipsam cum voce perdidissemus.’ At ex memoria amissa sequitur difficultas aut certe impossibilitas loquendi ac scribendi. Itaque nihil scripsit aut edidit Tacitus ante principatum Nervæ: ergo longe antiquior est dialogus iste, quam ut tribui Cornelio possit. Quod spectat ad Quintilianum, id magis ambiguum. Sed certe et eloquentior et profluentior dialogi sermo, quam pro genio hujus auctoris. Et declamationes, quæ nomine Fabii circumferuntur, quasi jejunæ et frigidæ videantur præ hoc oratorio libello. Unum est, quod præcipue innuat esse Quintiliani. Nempe, quia ille reparatum maxime et instauratum voluit perfectissimum illud dicendi genus, quod floruit Augusteo sæculo, et tum præcipue res et decus illius agebatur, ut qui esse eloquentissimus suæ ætatis orator, et dicendi summus magister, qui et principis procerum Domitiani sororis nepotes doceret. Et ille max-

NOTÆ

ime detrahit obtrectatque Senecæ, qui primus mortalium corrupit infregitque auream illam Ciceronum et Cæsarum eloquentiam, qui, ab ea cum deflexisset, etiam coætaneos auctoritate sua in eosdem scopulos traxit.

At scripsit Quintilianus *De causis corruptæ eloquentiæ.* Sed num eandem materiam possint diversi auctores attingere? et præsertim in re gravissima ac celebratissima, et quæ jam non solum ad Romanos, sed et ad omnes imperii Rom. socios clientesque pertineret: qui jam non linguam solum, sed et eloquentiam Rom. concupiscebant et æmulabantur, ac præcipue in causis et negotiis forensibus, sæpe et in ipsis historiis, etiam usque ad versus et elegos. Neque certe aliter sociis quam eloquentia Rom. orationem habere aut causam dicere licuit in senatu, ut neque forte aliter etiam apud tribunalia proconsulum et legatorum Cæsaris in ipsis provinciis. Et res eo magis celebrata et gravioris momenti visa, quod ageretur salus privatorum, magistratuum, provinciarum, et regum ipsorum inservientium. Igitur, in hac gravi materia, cur eloquentia corrupta sit, quibus scil. causis floreret olim, et jam tum senesceret, res agebatur omnium hujusce ævi mortalium: pertinebat quæstio hæc ad omnes auctores, et sic potuit tractari a diversis multisque oratoribus, ut qui in rem tanti momenti solicite et anxie inquirerent. Nec olim forte iste liber inscriptus *De causis corruptæ eloquentiæ.* Nam alia multa agitantur hoc libello, et sub finem tantum dialogi hæc quæstio aperte tractatur. Objici etiam possunt voces synonymæ passim et supervacuæ, quæ non satis deceant præclarissimum oratorem. Sunt etiam hic quædam loca contraria institutionibus oratoriis Quintiliani. Sic talia quædam negare videntur opus Fabio, sed longe plura et certiora ipsi decus asserunt. Et quid certius? Ipsemet de se aperte testatur in Proëmio lib. v. Instit. Orat. ‘Ita forte,’ inquit, ‘accidit, ut eum quoque librum, quem de causis corruptæ eloquentiæ emisi, jam scribere aggressus, simili ictu feriret, vulnus [scil.] orbitatis.’ Amiserat nempe filium infantem admodum, cum eum librum componeret, dein rursus alterum filium, cum institutiones oratorias formaret.

Sæpe ex me requiris, Juste Fabi,[a] cur, cum priora sæcula tot eminentium oratorum ingeniis gloriaque effloruerint,[a]

[a] *Cur studiis scil. et eloquentiæ gloria excelluerint.*

NOTÆ

[a] *Juste Fabi*] Hunc Fabium Justum amicum etiam minoris Plinii fuisse ex Epist. I. 11. et VII. 2. intelligimus. *Gronovius.*

nostra potissimum ætas, deserta[1] [b] et laude orbata, vix nomen ipsum oratoris retineat:[b] neque enim ita appellamus,[2] nisi antiquos: horum autem temporum[c] diserti, causidici et advocati et patroni et quidvis potius, quam oratores, vocantur. Cui percontationi[3] [c] tuæ respondere, et tam magnæ quæstionis pondus excipere,[d] ut aut de ingeniis nostris male existimandum sit,[4] [d] si idem[e] assequi non possumus, aut de judiciis, si nolumus,[f] vix hercule auderem, si mihi[5] mea sententia proferenda, ac non disertissimorum, ut nostris[e] temporibus, hominum sermo repetendus esset, quos eandem hanc quæstionem pertractantes, juvenis admodum[f] audivi.

[b] *Habeat.* [c] *Interrogationi, quæstioni.*
[d] *Suscipere, sustinere.* [e] *Idem scil. eloquentiæ decus.*
[f] *Si eloquentiam adipisci nolumus; si studia spernimus.*

1 Forte, *defecta ea laude et orbata.* Gronov. Alii aliter. Ms. Vatic. addit *eloquentiæ*, quod recepimus cum Broterio; qui præterea corrigit, *diserti, at l. eloq. orbata.* Bene. Nam mox in hoc ipso capite sunt, *horum temporum diserti.* Ernest. Sed non erat opus hac mutatione: nam *deserta* bene habet, subaudito e præcedentibus *ab oratorum ingeniis gloriaque.* Tò *eloquentiæ* glossema sapere videtur. C. S. Schurzfleisch. in animadv. ad h. dial. (in actis lit. a fratre editis Vitemb. 1714.) volebat *diserta at laude orbata.* Heumann. nimis audacter: *ætas pristina laude orbata.* Oberl.—2 In Mss. Vatic. *appellemus.*—3 Sic Ed. princeps. Brotierus cum Ryckio et Gronov. *percunctationi.*—4 Ita Lipsius et recentiores e Ms. Farnes. *Sit* abest e veteribus editionibus: at^a sequenti *si* absorptum esse patet. *Oberl.*—5 Sic Mss. Vatic. et Edd.

NOTÆ

[b] *Deserta*] Destituta scil. tali eloquentiæ laude; aut *deserta*, id est, ab omni tali cultu et ornatu vasta, derelicta. Alii *defecta.*

[c] *Horum autem temporum*] Qui hoc tempore eloquentes sunt, non *oratores*, sed potius quovis alio nomine appellantur; *causidici*, scil. *advocati*, et *patroni.*

[d] *Male existimandum sit*] Ita Farnes. at in Rom. cod. *existimandum habeam.* Lipsius. Perinde est.

[e] *Ut nostris*] *Disertissimorum*, quantum possibile est nostra hac ætate. Vel, *ut* sunt diserti nostris his temporibus.

[f] *Juvenis admodum*] Hoc Taciti ætati magis congruit. Nam Fabius Domitium Afrum, qui sub Nerone periit, adolescentulo sibi notum fuisse ait. Et cum de Julio Secundo magnifice loquatur lib. x. Inst. Aprum ac Maternum ne nominat quidem. Sed et de causis corruptæ eloquentiæ continuo libro, non dialogo, scripsisse videtur. Adde quod ne in iis quidem, quæ in isto deesse apparet, ullus locus est ampliori tractationi de Hyperbole, et quæ de inventa primum declamandi ratione ille dixerat, hic paulo aliter exponuntur. *Pithæus.* Multa alia hujus operis etiam congruunt ætati Taciti: sed non ideo evinces sermonem esse Taciti. An

Ita non ingenio,[f] sed memoria ac recordatione, opus est,[g] ut, quæ a præstantissimis viris et excogitata subtiliter, et dicta graviter, accepi, cum singuli diversas, vel easdem, sed probabiles[h] causas afferrent, dum formam sui quisque et animi et ingenii[h] redderet,[i] iisdem nunc numeris,[i j] iisdem rationibus[6] persequar, servato ordine[k] disputationis: neque

[f] *Non solertia animi, non studio aut eloquentia opus, sed memoria.*
[h] *Eloquentiæ.* [i] *Iisdem eloquentiæ partibus, eodemque servato ordine dicendi.*

veteres. Rhenanus omisit *mihi*, quem ceteri sunt secuti.—6 Olim legebatur *orationibus:* primus Lipsius in postremis suis emendavit.

NOTÆ

gravissimus auctorum Tacitus repetat simul tot voces synonymas? Etiam talia non sunt Quintiliani. Maneat igitur incertum, cujus auctoris sit hoc opus, licet egregium.

[g] *Sed memoria ac recordatione, opus est*] Amat hic scriptor bina ejusdem aut non multum differentis significationis vocabula conjungere, ut, *invidere et livere, vetera et antiqua, poëtas et vates, carmina et versus, juvenes et adolescentes, tueri et defendere, in publicum et commune:* quod quidem in Quintiliano tam frequenter non reperias. *Schelius.*

[h] *Diversas, vel easdem, sed probabiles*] Id vero non probabile, ut in uno sermone easdem causas repetiverint. Ego verba ea superesse censeo, *vel easdem.* Lipsius. Messala causas inquirit, qui fiat, ut sui temporis auctores in tantum a prioribus degenerent: ut c. 15. 'Video etiam Graiis accidisse, ut longius absit Æschine et Demosthene Sacerdos iste Nicetes, et si quis alius Ephesum ac Mitylenas contentus scholasticorum clamoribus quatit, quam Afer aut Africanus, aut vos ipsi a Cicerone aut Asinio recessistis.' Sociosque ad eam rem optat Maternum et Secundum. 'Aperiam, inquit, cogitationes meas, si illud a vobis ante impetravero, ut vos quoque sermonem hunc nostrum adjuvetis:' qui onus subire non dedignantur. 'Pro duobus, inquit Maternus, promitto: nam et ego et Secundus exequemur partes.' Potuit itaque unus quisque horum afferre (saltem subscribendo) quasdam ex rationibus Messalæ, quibus temporis injuria deficimus: nec rei disconducit, si uterque eam sententiam partim iisdem, partim diversis rationibus firmare studuit. *Salinerius.*

Vel easdem] Quidni *easdem causas* afferre potuerint, sed diversis modis et rationibus probatas? quidni *easdem* singuli, sed tamen omnes *probabiles causas afferrent.* Quidni easdem causas afferrent, ut scil. eas approbarent alii, easque repeterent, ut sic eandem sententiam tuerentur, vel diversam refellerent.

[i] *Redderet*] Referret, exhiberet, exprimeret. Formam scil. sui *ingenii* singuli referebant, dum in hac quæstione disputarent.

[j] *Iisdem nunc numeris*] Nempe eodem genere eloquentiæ, eadem scil. forma et specie dicendi.

[k] *Servato ordine*] Ordo ille non spectat tantum præcise ad disputationem cujusque, ad numeros scil. aut rationes, quas singuli attulere. *Ordo* ille est disputantium, seu prout ean-

enim defuit, qui diversam quoque partem susciperet, ac, multum vexata et irrisa vetustate, nostrorum temporum eloquentiam antiquorum ingeniis anteferret.

2. Nam postero die, quam Curiatius[1] Maternus[l] Catonem recitaverat, cum offendisse potentium[j] animos[m] diceretur, tanquam in eo tragœdiæ argumento, sui oblitus,[n] tantum Catonem[o] cogitasset, eaque de re per urbem frequens sermo haberetur, venerunt ad eum M. Aper et Julius Secundus, celeberrima tum ingenia fori nostri: quos ego in judiciis non utrosque modo studiose audiebam, sed domi quoque et in publico assectabar, mira studiorum cupiditate et quodam

j *Imperitantium, seu primorum civitatis.*

1 Ita Mss. Vatic. In Ms. Farnes. *Curatius.* In libris editis, *accuratius:*

NOTÆ

dem, aut diversam sententiam tuentur: ita ut alii primo vexent et irrideant vetustatem, seu antiquos et priscos oratores; dein vero alii diversam partem suscipiant, et præferant eloquentiam antiquam nostrorum temporum ingeniis. Sic se tuentur primi infra c. 18. 'Non esse unum eloquentiæ vultum, sed in illis quoque, quos vocatis antiquos, plures species deprehendi; nec statim deterius esse, quod diversum est: vitio autem malignitatis humanæ vetera semper in laude, præsentia in fastidio esse.' Dein alii sic contra disserunt c. 27. 'Quis enim ignorat et eloquentiam et ceteras artes descivisse ab ista vetere gloria; non inopia hominum, sed desidia juventutis, et negligentia parentum, et inscitia præcipientium, et oblivione moris antiqui?' &c.

l *Accuratius Maternus*] Farnes. *Curiatius Maternus.* Putabam *Curatius;* sed sententiam attendenti magis placet *Curiatius:* quod proprium nomen Materni poëtæ fuerit. *Lipsius.* Forte *accuratius;* nempe, quasi jam ante recitasset Maternus: at tunc diligentius recitaverat. Vel, comparativum positum pro positivo aut superlativo, *accuratius*, pro accurate seu accuratissime. Ex Mss. *Curiatius.*

Maternus] Dio l. LXVII. de Domitiano: 'Maternum vero Sophistam interfecit, quod exercitii causa, dixisset aliquid adversus tyrannos.'

m *Offendisse potentium animos*] Forte quia illos oratores esse negaret, cum tamen hi sibi summum eloquentiæ decus arrogarent. Vel *potentium*, id est, imperitantium, aut primorum, quos sub persona Catonis flagitiorum forte arguebat.

n *Tanquam...sui oblitus*] Tanquam ad se nullatenus adverteret, et tantum *Catonem* cogitaret: id est, tanquam ita totus mente et animo conversus esset in Catonem, seu ingenium Catonis, ut suæ salutis oblivisceretur; ut nullo respectu veniæ, *potentium animos* abrupte offenderet. Nomine scil. Catonis, probra ac flagitia eorum evulgabat, diffamabat, insectabatur.

o *Catonem*] Tragœdia hæc scil. inscripta fuit, *Cato.*

ardore juvenili, ut fabulas[k] quoque eorum et disputationes et arcana semotæ dictionis[p] penitus exciperem:[l] quamvis maligne[q] plerique opinarentur, nec Secundo promtum esse sermonem, et Aprum[r] ingenio potius et vi naturæ, quam institutione[s] et literis, famam eloquentiæ consecutum. Nam et Secundo purus et pressus et, in quantum[2] satis erat, profluens sermo non defuit:[t] et Aper, communi[3] eruditione im-

[k] *Sermones, confabulationes.*
[l] *Auribus avidis exciperem, penitus animo haurirem.*

et sic Gronovius et Ryckius.—2 Sic bene Rhenanus et Pithœus. Perperam veteres editiones, *in quem.* Brotier.—3 In Mss. Vatic. 1862. et 1518. ac veteribus editionibus, *cum eruditione imbutus.* In Ms. Vatic. 4498. *omni eru-*

NOTÆ

[p] *Semotæ dictionis*] Id est, delectæ, non tritæ aut vulgaris. *Semotæ* scil. a vulgo hominum.

[q] *Maligne*] Per invidiam ac livorem. Infra c. 25. 'Solitos invidere et livere.' Ibid. 'Brutum, non malignitate, nec invidia, sed simpliciter et ingenue judicium animi sui detexisse.'

[r] *Nec Secundo promtum esse sermonem, et Aprum*] Non admodum diversa olim de Crasso et Antonio judicia fuisse scribit Cicero in II. de Oratore. Crassum videlicet non plus attigisse doctrinæ, quam quantum prima illa puerili institutione potuisset: M. autem Antonium omnino omnis eruditionis expertem fuisse. Nec alia ibi causa hujus opinionis adducitur quam hic: 'Sed fugit hoc,' inquit, 'in utroque eorum, ut Crassus non tam existimari vellet non didicisse, quam illa despicere, et nostrorum hominum in omni genere prudentiam Græcis anteferre. Antonius autem probabiliorem hoc populo orationem fore censebat suam, si omnino didicisse nunquam putaretur; atque ita se uterque graviorem fore, si alter contemnere, alter ne nosse quidem Græcos videretur.' *Schelius.*

Promtum] Facundum, disertum, citum, facilem.

[s] *Institutione*] Quam ut necessariam oratori describit infra cap. 30. 'Referam, necesse est, animum ad eam disciplinam, qua usos esse eos oratores accepimus, quorum infinitus labor, et quotidiana meditatio, et in omni genere studiorum exercitationes,' &c. Ibid. libro, qui *Brutus* inscribitur, 'sua initia, suos gradus, suæ eloquentiæ velut quandam educationem refert.' Nempe se *jus civile*, omnesque sapientiæ partes didicisse, et alias omnes ingenuas artes, ex qua eruditione, et 'omnium rerum scientia exundat et exuberat illa admirabilis eloquentia,' &c.

[t] *Nam et Secundo purus ... sermo non defuit*] *Non defuit*, inquit; et de Apro, *contemnebat.* Ex quibus colligitur, cum hic Dialogus scriptus est, et Secundum et Aprum jam diem suum obiisse. Et *Secundum* quidem immatura morte, et ante diem interceptum fuisse, ex Quintiliano satis constat. 'Julio Secundo' (inquit libro x. 1.) 'si longior contigisset ætas, clarissimum profecto nomen Oratoris apud posteros foret. Adjecisset enim, atque adjiciebat ceteris virtutibus suis,

butus, contemnebat potius literas, quam nesciebat, tanquam majorem industriæ et laboris gloriam habiturus, si ingenium ejus nullis alienarum artium adminiculis inniti videretur.

3. Igitur, ut intravimus cubiculum Materni, sedentem ipsum, et,[4] quem pridie recitaverat, librum intra manus habentem, deprehendimus.

Tum Secundus: Nilne te, inquit, Materne, fabulæ[u] malignorum[v] terrent, quo minus offensas Catonis tui[w] ames?[1] An ideo librum istum apprehendisti,[2] ut diligentius retractares, et sublatis, si quæ pravam interpretandi materiam dederunt, emitteres Catonem, non quidem[x] meliorem, sed tamen securiorem?

Tum ille: Leges tu, quid Maternus[y] sibi debuerit, et agnosces,[3] [m] quæ audisti. Quod si qua[n] omisit Cato, sequenti

[m] Leges tu, *et* agnosces *oculis eadem ipsa, quæ jam auribus percepisti.*
[n] *Si qua flagitia, aut convicia in primores civitatis omisit Cato.*

ditione. Bene emendavit Lipsius, *communi.* Brotier.—4 Copula *et* abest a Ms. Vatic. et editionibus veteribus. Eam non male addidit Lipsius e Cod. Rom. *Idem.*

1 Ita bene Lipsius. Male veteres editiones, *Catonis tui aures.* Brotier.—2 Ita Rhenanus et recentiores. In veteribus editionibus, *deprehendisti.* Lipsius et Modius mallent, *reprehendisti.*—3 Ed. pr. Spir. *leges: tu quidem Maternus sibi debueris et agnosces.* Puteol. inde fecit: *leges tu quidem, si volueris.* Secutus est Beroaldus; [quem et sequitur Brotierus cum Ryckio et Gronov.] Lipsius quoque, qui tamen in ed. 1674. hanc lectionem spuriam judicat. Commode succurrunt Vaticani, et Farnesianus a Lipsio inspectus. Horum ego lectionem restituo. *Oberl.* At Ms. Vatic. 1518. pro *quid Mater-*

NOTÆ

quod desiderari potest: id est autem, ut esset multo magis pugnax, et sæpius ad curam rerum ab elocutione respiceret. Ceterum interceptus quoque magnum sibi vindicat locum,' &c. *Schelius.*

Pressus] Qui opponitur disjuncto et hianti. Infra: 'hians compositio et inconditi sensus.' Forte et profluenti opponitur oratio otiosa, iners, lenta, et quæ veluti torpere videatur.

[u] *Fabulæ*] Quia scil. 'ea de re per urbem frequens sermo haberetur.'

[v] *Malignorum*] Quos scil. pridie offenderat Maternus, recitato Catone suo, aut qui certe invidebant ipsi gloriam carminum.

[w] *Offensas Catonis tui*] Quia nempe sub eo nomine, et sub persona *Catonis*, vitia præpollentium exagitabat; unde offensio in auctorem tragœdiæ, Maternum, scil.

[x] *Non quidem*] *Non quidem meliorem*, quod spectat ad carminum elegantiam; *sed tamen securiorem* offensarum, retractando scil. et abolendo, aut inflectendo, quæ ante offendissent *potentium animos.*

[y] *Leges tu, quid Maternus*] Sic scriptus liber. Sæpe legitur *leg. tu quidem*

recitatione[4] [z] Thyestes dicet. Hanc enim tragœdiam disposui jam et intra me ipse formavi. Atque ideo maturare libri hujus[o] editionem festino,[5] ut dimissa priore cura, novæ cogitationi[a] toto pectore incumbam.

Adeo te tragœdiæ istæ non satiant, inquit Aper, quo minus, omissis orationum et causarum[6] studiis,[b] omne tempus modo[p] circa Medeam, ecce nunc circa Thyesten, consu-

[o] *Catonis scil.*

[p] *Nuper, proxime.*

nus habet *quod Maternus.*—4 Ita Mss. Vatic. Sic quoque placebat Lipsio. Perperam in libris editis, *tractatione:* et sic Gronov. et Ryckius.—5 Mallet Gronovius, *gestio.* Heinsius levi mutatione legit *destino*, quo nil verius. Sic Ovid. Metam. VIII. 157. 'destinat removere.' Plin. Epist. V. 8. 'destino retractare.' *Oberl.*—6 Sic bene Lipsius et Ernestus. Male in veteribus

NOTÆ

si volueris et agn. &c. Sed forte sic legi, aut concipi possit: *Leges tu quidem si volueris, quid Maternus sibi debuerit, et agnosces quæ audisti.* Has voces, *quæ audisti*, delebat Muretus, sed mihi legitimæ videntur.

[z] *Sequenti tractatione*] Fortasse *recitatione*. Ipse Maternus infra, 'recitatione tragœdiarum famam se auspicatum' ait. *Lipsius.* Recte *tractatione*, Cicero: 'Si quo in libro vere est a nobis philosophia laudata, profecto ejus tractatio optimo atque amplissimo quoque dignissima est.' Πραγματείαν vocat Aristoteles. *Tractatio* importat aliquid *recitatione* majus, et opus ipsum comprehendit. Ille statim: 'hanc enim tragœdiam disposui jam,' &c. Hæc ista *nova cogitatio* adhuc fuit, nondum *recitatio.*

Tractatione] Idem est in re ac recitatione. Sic intellige, non tamen lege.

[a] *Novæ cogitationi*] Thyestis nempe, quæ altera tragœdia.

[b] *Omissis orationum et curarum studiis*] Monumenta et opera ingenii non raro, et quidvis aliud, in quod intenditur animus, *curas* appellant hic noster, Tacitus, aliique ejus ævi scriptores: peculiariter autem, si quarum rerum tractatio molestiarum et solicitudinis multum habet. *Curarum* tamen *studia*, durum videtur ac insolens pro studiis: legerim *rerum*, vel cum Lipsio, *causarum studiis.* Gronovius. Num *curæ* hic pro defensionibus seu patrociniis? ita ut *curæ* hic non sint præcise orationes, sed patrocinia clientium, præsidia amicorum et tutelæ: infra, 'aliorum præsidio et tutela intelligitur:' et statim: 'cum tot amicorum causæ; tot coloniarum et municipiorum clientelæ in forum vocent.' Forte leg. *tutelarum.* Non scripsit, *causarum;* non enim statim repeteret eandem vocem, *amicorum causæ, &c.*

Curarum studiis] Forte ex more illius ævi sic locutus, licet paulo durius. Nam infra: 'sive novam et recentem curam... attulerit:' ubi per *curam* intelligitur *oratio.*

Et curarum] Forte *curas* usurpat hic pro litibus et negotiis forensibus; quæ certe ingentes sunt curæ, ut in quibus sæpe agitur de statu, fortuna, et periculis amicorum, sæpe de discri-

mas? cum tot amicorum causæ, tot coloniarum et municipiorum clientelæ, in forum vocent, quibus vix sufficeres[7] etiamsi non novum tibi ipse negotium importasses.[8 c] Domitium[d] et Catonem, id est, nostras quoque historias et Romana nomina Græcorum[9] fabulis aggregare.[10 e]

4. Et Maternus: Perturbarer hac tua severitate,[q] nisi frequens ac assidua nobis contentio jam prope in consuetudinem vertisset.[f] Nam nec tu agitare[r] et insequi[s] poëtas in-

[q] *Severa objurgatione.* [r] *Exagitare.* [s] *Insectari.*

editionibus, *curarum*. Brotier.—7 Mss. Vatic. *suffeceris*.—8 Acidalius temere *imposuisses*, vel *imperasses*. Vulgatum bene habet. Cf. Gronov. *Oberl.*—9 Mss. Vatic. *Græculorum*.—10 Sic mallet eruditus Pithœus. Ceteri cum Brotier. Gronov. et Ryckio habent *aggregares*.

NOTÆ

mine et gloria ipsius patroni; in quibus sæpe agitur fortuna, et salus dignitas ipsius oratoris. Intelligit *causas;* quippe statim: 'cum tot amicorum causæ ... in forum vocent.'

[c] *Negotium importasses*] Livius lib. xxiv. 'Discordia civilis quas importet clades.' Lib. xxxix. 'Ne quid eæ conjurationes fraudis occultæ aut periculi importarent.' *Gronovius.*

Importasses] Malim, *imposuisses;* sed nihil muto.

[d] *Domitium*] Hic intelligit Neronem. Sic per contumeliam ei reddebant privatum nomen. Apud Sueton. 41. 'Nihil autem æque doluit quam .... pro Nerone Ænobarbum appellatum.' Sic et Vespas. 15. 'Helvidio Prisco, qui reversum ex Syria solus privato nomine Vespasianum salutaverat .. non ante succensuit,' &c. Debuit addi Cæsar, Imperator, aut quid simile, honoris causa. Sic et Britannicus Neronem offendit, cum eum adoptatum a principe privato vocabulo salutasset.

Domitium et Catonem] Duæ tragœdiæ sunt, quarum quæ *Domitius* inscripta erat, *Catonem* præcesserat: quod patet infra c. 11. 'Recitatione tragœdiarum ingredi famam auspicatus sum; tum quidem cum in Nerone improbam et studiorum quoque sacra profanantem vaticinii potentiam fregi.' Alii volunt, *aggregare*. Sed vetusta lectio præferenda, et prægnantioris sensus esse videtur.

[e] *Aggregares*] Lego, *adgregare*. Pithœus. Recte *aggregares*, quasi diceret: Etiam si non novum tibi ipse negotium importares, nempe *Domitium et Catonem;* id est, novas tragœdias, quod idem est, ac si 'nostras quoque historias et Romana nomina Græcorum fabulis aggregares.' Tragœdiæ sunt fabulæ; et tum veræ historiæ tractabantur instar fabularum Græcarum.

Aggregares] Id est, eodem stylo, et eadem eloquentiæ scenicæ forma, exequereris historias Rom. licet veras, qua Græci suas fabulas et inania poëtarum commenta celebrant.

[f] *In consuetudinem vertisset*] Minus auctoritatis habent, qui contentionibus et rixis sæpius lacessunt, et perpetuo contradicunt.

termittis, et ego, cui desidiam advocationum objicis,[1] [f] quotidianum hoc patrocinium defendendæ adversus te poëticæ[2] exerceo. Quo lætor magis, oblatum nobis judicem,[g] qui me vel in futurum vetet versus facere, vel, quod jam pridem opto, sua quoque auctoritate compellat, ut omissis forensium causarum[3] angustiis,[h] in quibus satis mihi superque

[f] Cui *inertiam studiorum forensium, et omissas relictasque advocationes* objicis.

1 Sic bene Lipsius e Ms. Farnes. Perperam in veteribus editionibus, *desidiam advocamur, quotidianum, &c.* Brotier.—2 Ita bene adhuc Lipsius e Ms. Farnes. In veteribus editionibus, *defendens adversus te poetice.* Idem.—3 Ita Mss. Vatic. Sic quoque placebat Schelio et Ernesto. Libri editi, *forensium musarum:* et sic Gronovius et Ryckius. Heinsio placebat *curarum* vel *tricarum.*

NOTÆ

[g] *Judicem*] Secundum scil. qui me vel vetet versus facere imposterum, vel me ad id sua auctoritate compellat.

[h] *Omissis forensium Musarum angustiis*] Agrestioribus Musis, ut scribit Cicero, causas forenses se relinquere philosophi dicebant. 'Omnis ubertas,' inquit, 'et quasi sylva dicendi ducta ab illis est; nec satis tamen instructa ad forenses causas, quas, ut illi ipsi dicere solebant, agrestioribus musis reliquerunt.' Loquitur hic Maternus ille poëtices patronus, qui eloquentiæ forensi paulo iniquior, advocationibus 'curas et solicitudines, et necessitatem quotidie aliquid contra animum faciendi,' ascribit: qui 'forum insanum et lubricum,' qui 'famam eloquentiæ forensis pallentem' appellat. *Schelius.*

Angustiis] Forte *angustas Musas forenses* vocat, præ musis sacris et augustis, quæ præsunt carminibus, quæque in theatris, in libris, et in ore versantur omnium mortalium; quas Cothurnus scil. et Syrma decet, quæ et grandiora sibi proponunt argumenta, regum, principum, et imperatorum cædes, atque regnorum et provinciarum clades ingentes. Cum contra causæ forenses ad privatos sæpe viros spectent, aut ad modicos magistratus, et ad suam ætatulam, et locis privatis, ac foro et judiciis urbis et basilicis claudantur et limitentur. Sic infra c. 10. 'Nobis [advocatis] satis sit privatas et nostri sæculi controversias tueri,' &c. Et etiam, quia profani, qui talia tractant perversa hominum negotia: cum contra carmina, velut divinitus ex animo et ore vatum, quasi cœlestes voces profluant. Sunt quippe hæc congrua Diis et oraculis effata; et vates hymnos laudesque Deorum sæpius celebrant: quare et divinæ et *augustæ* videntur hæ musæ, ratione loci, otii, et silentii, ratione materiæ, ratione modi, compositionis, et afflatus. Nec eæ locis, aut civitatibus aut temporibus ullis clauduntur; pertinent ad omnia loca, tempora, et ad omnes omnino mortales. Ideoque sic pro jure suo disserit Maternus: 'ut omissis Musarum forensium angustiis, sanctiorem istam et augustiorem eloquentiam colam.' Eloquentiam, scil. carminum et versuum. Et ibid. 'Ego vero omnem eloquentiam, omnesque ejus partes sacras et venerabiles puto: nec solum

sudatum est, sanctiorem istam et augustiorem eloquentiam colam.

5. Ego vero, inquit Secundus, antequam me judicem Aper recuset, faciam, quod probi et modesti[1] judices solent, ut in his cognitionibus se[2] excusent,[i] in quibus manifestum est, alteram apud eos partem gratia[3] prævalere. Quis enim nescit, neminem mihi conjunctiorem esse et usu amicitiæ et assiduitate contubernii, quam Saleium Bassum, cum optimum virum, tum absolutissimum[u] poëtam? porro, si poëtica accusatur, non alium video reum locupletiorem.[v]

Securus sit, inquit Aper, et Saleius Bassus et quisquis alius studium poëticæ et carminum gloriam fovet, cum causas agere non possit. Ego enim, quatenus[w] arbitrum litis hujus inveni, non patiar, Maternum societate[j] plurium[4]

[u] *Præstantissimum, perfectissimum.* [v] *Manifestiorem.*
[w] *Quando quidem, quoniam.*

1 Ms. Vatic. 1862. *moderati judices.*—2 *Se* abest a libris editis. Omissum eta Ryckio et Gronovio. In editione principe antiqua manu recte additum reperi. *Brotier.*—3 Ita editiones veteres et recentiores. Male in Lipsianis libris, *gratiæ.* Idem. Correctionem Lipsii Pichena recepit.—4 Locum hunc optime restituit P. Pithœus. Corrupte in veteribus editionibus, *et ego enim ....arbitrium....invenire....solicite plurimum defendi.* Bene Ms. Farnes. *societate plurium.* Antiqua quoque manu in editione principe emendatum, *inveni.*

NOTÆ

cothurnum vestrum,' &c. Et c. 12. ad carmina scil. facienda, 'secedit animus in loca pura atque innocentia, fruiturque sedibus sacris. Hæc eloquentiæ primordia, hæc penetralia. Hoc primum habitu cultuque commodata mortalibus, in illa casta et nullis contacta vitiis pectora influxit. Sic oracula loquebantur.' Ibid. 'Nec ullis aut gloria major, [quam vatibus,] aut augustior honor: primum apud Deos quorum proferre responsa, et interesse epulis ferebantur,' &c. Eo sensu Musæ forenses angustæ et limitatæ, præ musis illis sanctis ac divinis; præ carminibus, quæ augusta, et quasi divinitus afflata, instar cœlestium oraculorum censentur.

[i] *Excusent*] Excusant, seu recusant esse judices *in his cognitionibus*, causis, ac judiciis, *in quibus manifestum est*, adversariorum alterum apud eos *gratia prævalere.*

[j] *Societate*] Sic infra c. 16. 'Nec æquo animo perferre hanc nostram pro antiquorum laude concordiam.' Et infra: 'Non enim..... indefensum nostrum sæculum patiar hac vestra conspiratione damnari.' Et *conspiratio, concordia, societas,* hic unum et idem sunt.

Societate plurium] Defenderetur societate plurium, si simul et defenderentur alii poëtæ; sed parcit Aper aliis vatibus, qui non aliud possunt, et ipsum solum Maternum arguit, 'quod [scil.] natus ad eloquentiam

defendi: sed[5] ipsum[k] solum apud vos[6] arguam,[l] quod natus ad eloquentiam virilem[m] et oratoriam, qua parare[7] simul et tueri amicitias, asciscere nationes,[8] complecti provincias, possit, amittit[n] studium, quo non aliud in civitate nostra vel ad utilitatem fructuosius,[9] vel ad dignitatem amplius, vel ad urbis famam pulchrius, vel ad totius Imperii atque omnium gentium notitiam illustrius excogitari potest. Nam, si ad utilitatem vitæ omnia consilia factaque[10] nostra dirigenda sunt, quid erit tutius,[11] quam eam exercere artem, qua semper[o] armatus præsidium amicis, opem alienis, salutem periclitantibus, invidis vero et inimicis metum et terrorem ultro feras,[12 z] ipse securus et velut quadam perpetua potentia ac potestate munitus? cujus vis et utilitas, rebus prospere[13] fluentibus,[p] aliorum præsidio[14] et tutela intelligi-

[z] *Inferas.*

Brotier. Tò *et* ante *ego enim* Bipont. mutant in *at.*—5 Gronovius cum Ryckio et Brotier. *sed et ipsum.* Rhenanus corrigit *sed id ipsum:* Muretus *sed ipsum.* —6 Ita bene Lipsius et Ernestus. In veteribus editionibus, *apud eos.* Brot. —7 Mss. Vatic. *parere.*—8 Ita libri omnes editi. In Ms. Vatic. 1862. *necessitates.* Mss. Vatic. 1518. et 4498. *necessitudines.*—9 Schulting. hic inserendum putat, *vel ad voluptatem honestius,* quia c. seq. de voluptate eloquentiæ agitur, inter honestas voluptates relata. *Oberl.*—10 Sic bene Lipsius et Ernestus e libro Rom. In veteribus editionibus, *facta nostra.* Mss. Vatic. 1518. et 4498. *factaque per nostra.* Brotier.—11 Ita Puteolanus et recentiores. In Mss. Vatic. *quid est.* Editio princeps, *quid enim.* Acidalius mallet *utilius.*—12 Mss. Vatic. et editiones veteres, *ferat.*—13 Ita Mss. Vatic. Male veteres editiones, *prope fluentibus.* Postea emendatum, *probe:* [quod et Ryckius et Gronovius recepere.] *Brotier.*—14 Ms. Vatic. 1862. *profugio.*

NOTÆ

virilem et oratoriam, [omittit tale studium,] quo non aliud fructuosius,' &c.

[k] *Sed ipsum*] Lego, *sed id ipsum.* Rhenanus. Forte, *sed hoc ipsum solum.*

[l] *Apud vos arguam*] Ita malo, quam *apud eos.* Lipsius. Non male, *apud eos:* scil. apud istos plures.

[m] *Virilem*] Quasi effœminata et mollior sit poëticæ et carminum eloquentia, quod quandoque verum, quandoque et fallere possit. Nam in Domitio v. g. quidni lacessatur Calvus iterum Nero? et in Catone forte ipsi principes, aut certe primores civitatis? in quo requiritur summa constantia: nec sine certo discrimine tales arguuntur palam.

[n] *Amittit*] Omnes præferunt, *omittit:* non male tamen *amittit,* eodem fere sensu; ut *offerre* et *afferre:* validioris sententiæ vox *amittit.* Nam *amittit* simul ingentes opes et magnam gloriam, qui tale studium negligit; *amittit* eloquentiam, qui non exercet.

[o] *Semper*] Semper armatus et semper præsidium amicis.

[p] *Rebus probe fluentibus*] Distingue

tur:[y] sin proprium periculum[q] increpuit,[15 z] non Hercule lorica aut[16] gladius[r] in acie firmius munimentum, quam reo et[17] periclitanti[s] eloquentia,[n] præsidium simul et telum,[t] quo propugnare pariter et incessere, vel[18] in judicio,[u] sive in Senatu, sive apud Principem possis. Quid aliud infestis patribus nuper Eprius Marcellus, quam eloquentiam suam, opposuit? qua[19] accinctus[v] et minax, disertam quidem, sed inexercitatam et ejusmodi certaminum rudem,[w] Helvidii

[y] Rebus *tuis prospere* fluentibus, *vis eloquentiæ tuæ ex aliorum præsidio* intelligitur. [z] *Ingruit, terret, minatur.*

Mss. Vatic. 1518. et 4498. *perfugio*.—15 In veteribus editionibus, *periculum irrepat*. Bene Lipsius e Ms. Farnes. *increpuit*. Brotier.—16 Sic optime Rhenanus. In Mss. et veteribus editionibus, *loricæ gladius*. Idem.—17 Ita veteres edd. Sic quoque placebat Acidalio. Frustra Lipsius et recentiores *eloquentiæ*. Brotier. *Eloquentiæ*, Gronov. et Ryckius habent.—18 Acidalius delet copulam, quod Schulzio placet. *Oberl.* Mallet Muretus *sive in judicio*.—19 Brotierus ceterique *qui accinctus*. Recte emendatum *qua*. Sic paulo

NOTÆ

sic: 'Cujus vis et utilitas rebus probe fluentibus, aliorum præsidio et tutela intelligitur: sin proprium periculum increpuit,' &c. *Pithœus.* Nec male, *prospere fluentibus, &c.* Livius VII. 'Campanos quidem haud dubie magis nimio luxu, fluentibus rebus, mollitiaque sua, quam vi hostium victos esse.' Tacitus Annal. XV. 'Nec præsentia prospere fluebant.'

[q] *Proprium periculum increpuit*] Recte sic: nam Cicero in Catilin. 'quicquid increpuerit, Catilinam timeri.' Livius: 'unde si quid increpet terroris.'

[r] *Lorica aut gladius*] Utrumque *munimentum* est. Lorica tegit, gladius ferit ac defendit; utrumque *præsidium simul et telum*. Lorica *propugnat* miles, et gladio incessit.

[s] *Reo et periclitanti*] Idem est: sic synonyma miscere amat. Paulo supra, *potentia ac potestate munitus;* et sic passim toto libro.

[n] *Eloquentia*] Sic forte legendum: non *eloquentiæ*.

[t] *Præsidium simul et telum, &c.*] Cicero de Oratore: 'Quid autem tam necessarium, quam tenere semper arma; quibus vel tectus ipse esse possis, vel provocare integros, et te ulcisci lacessitus.'

[u] *In judicio*] Centumvirali v. g. Et *apud principem* multæ agebantur causæ, quas sibi ipse reservabat; præcipue quæ ad fiscum, aut ad rem militarem pertinerent: idque in urbe et sæpe extra urbem in prædiis, seu villis principalibus cognoscebat: quod et nunc usurpatur apud reges Galliarum.

[v] *Qua accinctus*] Alii, *qui accinctus.*

[w] *Certaminum rudem*] Qui certe disertus et senatorio more causas aut sententias in senatu facunde tuebatur, ut vir quidem bonus, ut civis, ut senator optimus; at non perinde acri aut minaci ore, ut delator ille atrox, et perpetua contentione bonis omnibus infestus.

sapientiam elusit.[x] Plura de utilitate non dico, cui parti[20] minime contradicturum[y] Maternum meum arbitror.[21]

6. Ad voluptatem oratoriæ eloquentiæ transeo, cujus jucunditas non uno aliquo[1] [z] momento, sed omnibus prope diebus et prope omnibus horis contingit. Quid enim dulcius libero et ingenuo animo et ad voluptates honestas nato, quam videre plenam semper et frequentem domum[2] concursu splendidissimorum hominum? idque scire non pecuniæ, non orbitati, neque officii alicujus administrationi,[3] sed sibi[4] ipsi, dari?[a] illos[5] quinimmo orbos et locupletes et potentes[6] venire plerumque ad juvenem et pauperem, ut aut sua, aut amicorum discrimina commendent. Ullane tanta ingentium opum ac magnæ potentiæ voluptas, quam spectare homines veteres[7] et senes[b] et totius urbis[8] gratia[c] sub-

ante 'arte qua armatus.' *Oberl.*—20 Ita Mss. Vatic. Lipsius, et recentiores. Male Ed. pr. *cui partim:* unde Puteolanus et alii [cum Ryckio et Gronov.] *cui præsertim.* Brotier.—21 Gronovius mallet *arbitrer;* quod et placet Ernesto. Ryckius quoque et Brotierus *arbitrer* recipiunt.

1 Ita Mss. Vatic. et sic placebat Schurzfleischio. In libris editis, *uno aliove:* [et sic Gronov. et Ryckius.] Unde tentabat Gronov. *alterove.* 'Unum aliquem diem' dixit Tullius 4. in Verrem. *Brotier.*—2 Ex Mss. Vatic. dedit Brotierus *domum suam.* At *suam* abest e libris editis.—3 Ante Lipsium legebatur *officiis alic. administrandis.*—4 Frustra Gronovius, *tibi ipsi.* Brotier. —5 Mss. Vatic. 1862. et 1518. *istos.*—6 Ita Lipsius e Ms. Hæc *et potentes* absunt ab editionibus veteribus.—7 Hoc *veteres* delebat Acidalius.—8 Sic Pi-

NOTÆ

[x] *Helvidii sapientiam elusit*] Tac. Hist. IV. 6. 'Helvidius ruina soceri [Thraseæ] in exilium pulsus, ut Galbæ principatu rediit, Marcellum Eprium delatorem Thraseæ accusare aggreditur. Ea ultio, incertum major an justior,' &c. Et cap. 43. Cum ingrueret Helvidius: Marcellus, 'velut excedens curia, Imus, inquit, Prisce, et relinquimus tibi senatum tuum: regna, præsente Cæsare. Sequebatur Vibius Crispus, ambo infensi, vultu diverso, Marcellus minacibus oculis, Crispus renidens,' &c.

[y] *Cui parti minime contradicturum*] Ita vetus liber, et recte. Infra: 'Ne illi quidem parti sermonis ejus repugno.'

[z] *Uno aliquo*] Sic forte legendum pro vulg. *uno aliove.*

[a] *Sed sibi ipsi, dari*] Malim, *tibi ipsi.* Gronovius. Sufficit *sibi ipsi:* de oratore loquitur in tertia persona, quasi sic diceret, *Quid dulcius* oratori, *quam videre* plenam domum? *idque* eum *scire, non pecuniæ, &c. sed sibi ipsi dari.*

[b] *Veteres et senes*] Terentius Eun. 'Hic est vetus, vietus, veternosus senex.' Alia tamen ibi ratione. Et Tibullus: 'In veteres esto dura puella senes.' Et Plaut. Mercat. II. 2. 'Acheruntieus Senex, vetus, decrepitus.' *Acidalius.*

[c] *Et totius orbis gratia*] Fuit cum

nixos, in summa omnium rerum abundantia, confitentes, id quod optimum[9] sit, se non habere? Jam vero, qui togatorum comitatus et egressus! quæ in publico species![d] quæ in judiciis veneratio! quod[10] gaudium consurgendi assistendique[11] inter tacentes,[e] in unum conversos: coire populum et circumfundi coronam[12] et accipere affectum, quemcumque orator induerit![13] Vulgata dicentium gaudia, et imperitorum quoque oculis exposita, percenseo.[f][14] Illa secretiora, et tantum ipsis orantibus nota, majora sunt. Sive accuratam meditatamque affert[15] orationem; est quoddam sicut ipsius dictionis, ita gaudii, pondus et constantia:[g] sive novam et recentem curam[h] non sine aliqua trepidatione ani-

thœus et recentiores. In Mss. Vatic. et editionibus veteribus *orbis*.—9 Male tentat Gronovius, *id quod apud te sit*. Brotier.—10 Mss. Vatic. *quod id gaudium*.—11 Mallet Ernestus *dicendique*. Heinsius *consurgenti assistentique*. —12 Brotierus cum Gronovio, Ryckio ceterisque *coram* pro *coronam*. Acidalius et Schelius mallent *coronam*, quod probavit Ernestus et edidit. Sic et Bipont.—13 Ita Lipsius et recentiores. In veteribus editionibus *induxerit*. Mallet Schurzfleischius *respexerit*.—14 Ita bene editiones veteres et recentiores. Male in mediis quibusdam, *parva censeo*. Brotier.—15 Sic libri omnes editi. In Ms. Vatic. 1862. *profert*. Ms. Vatic. 4498. *fert*. Ms. Vatic.

NOTÆ

legerem, *totius orbis*, vel *ipsius orbitatis gratia*. Amm. Marc. ut alios omittam: 'Vilia omnia existimant præter orbos et cœlibes; nec credi potest, qua obsequiorum diversitate colantur homines sine liberis Romæ.' *Pithœus*. Approbo, *urbis;* nec tamen displicet, *orbis*, id est, imperii Rom. Nam certe toto orbe late imperabant locupletissimi illi ac potentissimi senes. Et distinguere statim videtur urbem ab orbe, cum addit: 'Jam vero qui togatorum comitatus, et egressus?' &c. Et supra cap. 5. 'Amittit studium, quo non aliud . . . vel ad urbis famam pulchrius, vel ad totius imperii atque omnium gentium illustrius excogitari potest.'

[d] *Quæ in publico species*] Qualis pompa! quale in publico spectaculum!

[e] *Tacentes*] Sic sume, quasi scripsisset, Tacentes et in unum conversos, coire populum, &c.

[f] *Percenseo*] In libris vett. *parva censeo:* quod forte retinendum. Nam statim opponit, *majora sunt*. Alii, deletis his vocibus, sic legunt: *exposita percenseo. Illa secretiora et tantum ipsis orantibus nota. Sive accuratam, &c.* Sed nihil ad rem.

[g] *Constantia*] Gravitas et *constantia* lætitiæ, intus et in animo est dicentis; quia diu et serio meditata oratio est. Sic magis sibi constat, et quasi magis solida est ea lætitia: ut pondus curæ, ita et gaudii.

[h] *Novam et recentem curam*] Vox *curam*, videtur supervacua. Intelligenda enim ex præcedentibus, nova et recens oratio: quanquam pro oratione aut quovis scripto *curam* dice-

mi[16] [i] attulerit; ipsa solicitudo commendat eventum et lenocinatur voluptati. Sed[j] extemporalis audaciæ atque ipsius temeritatis vel præcipua jucunditas est.[k] Nam in[17] ingenio

1518. *proferre.*—16 Ita Pichena et recentiores omnes. In Mss. Vatic. et Edd. veteribus *animus.*—17 Sic bene Pithœus et Acidalius. Præpositio abest

NOTÆ

rent. Tacitus Ann. III. 'Si effectis, in quæ tendi, plures ad curas vitam produxero.' Martialis epigr. I. 67. 'Secreta quære carmina et rudes curas.' Epig. 108. 'Condere victuras tentem per sæcula curas.' Sed hic quidem ea vox sententiæ loci non conveniat. Inest enim ei significatio laboris et industriæ cujusdam. At hic oratio intelligitur nova et subito diligentiusque facta. Opponitur enim superiori illi *accuratæ meditatæque* orationi, ut vocabat. *Acidal.*

Novam] *Nova* est ea cura, quia subita et extemporalis est, quia subito, ut nascitur animo, simul et profertur: quod non fit tamen sine trepidatione animi, aut sine solicitudine, ne quid scil. desit aut redundet, ne quid repentinum et æstu atque impetu nimio prolatum causæ officiat. Sed cum bene cedit, hæc ipsa cura, hæ ipsæ angustiæ animi eventum mire commendant, et hoc ipso veluti lenocinio aliquo novo et ascititio augetur maxime voluptas dicentis.

Curam] Vocabant omne genus orationis et scripti libri *curæ* nomine, indistincte, sive accurata, sive minus sedula ea oratio esset: et hic opponit *recentem curam accuratæ et meditatæ* orationi; quæ *cura*, quo minus diligens, eo majori *trepidatione animi* afferebatur proferebaturque: et tum *solicitudo* ista maxime nobilitabat *eventum*, si prospere succederet, ut qui majorem ingenii vim, velut in discrimine subito demonstraret: et quo magis subita ea *cura*, eo magis *cura* fuit, et sic vocari debuit. Eo major cura, quo magis recens, et quo minus accurata aut meditata oratio fuit: nam tum majorem anxietatem animi affert; quia fere imprudentiæ est, tale discrimen subire sine præcedenti meditatione et cura. Præceps est hæc et inconsulta oratio, quamvis sæpe tamen vehementior et felicior sit ex æstu et ardore ingenii: et quæ non sine trepidatione animi incipitur, si prospere evenerit, hoc ipso celebratur, quod fuit audacior, extemporalis, et inconsulta. Commendatur eo magis ingenium, quo minor præparatio fuit.

[i] *Non sine aliqua trepidatione animi*] Plin. Epist. V. 17. ubi de Calpurnio Pisone, nobili juvene, recitante elegos in auditorio inter amicos: 'Commendabat hæc voce suavissima, vocem verecundia, multum sanguinis, multum solicitudinis in ore, magna ornamenta recitantis. Etenim, nescio quo pacto, magis in studiis homines timor, quam fiducia decet.' Infra, 'tam notabiliter [alii *nobiliter*] pro fratre recitante, primum ejus metus, mox gaudium eminuit.'

[j] *Sed*] Malim, *et extemporalis audaciæ ....ea præcipua jucunditas est.*

[k] *Extemporalis audaciæ atque ipsius temeritatis vel præcipua jucunditas est*] 'Maximus studiorum fructus est, et velut præmium quoddam amplissimum longi laboris, ex tempore dicendi facultas,' ut ait Fabius. Idem libro X. c. 1. 'Vivunt enim omnia et moventur, excipimusque nova illa,

quoque, sicut in agro, quanquam alia diu[18] serantur atque elaborentur, gratiora[l] tamen, quæ sua sponte nascuntur.

7. Equidem, ut de me ipse[1] fatear, non eum diem lætiorem egi, quo mihi latus clavus[m] oblatus est, vel quo homo novus et in civitate minime favorabili[n] natus, Quæsturam, aut Tribunatum,[o] aut Præturam accepi: quam eos,[a] quibus mihi, pro mediocritate hujus quantulæcumque in dicendo facultatis, aut reum prospere defendere, aut apud Centumviros causam aliquam feliciter orare, aut apud Principem ipsos illos libertos et Procuratores[p] Principum tueri et de-

[a] *Quam eos dies quibus, &c.*

a veteribus Edd. [ut a Ryck. et Gronov.] *Brotier.*—18 Non illa sana puto: *quanquam alia diu serantur*: non enim satis respondent sequentibus: *gratiora tamen.* An fuit *quanquam utilia* vel *utiliora, quæ serantur, &c.* Ernest.

1 Ita Edd. veteres et recentiores. In Mss. Vatic. et Edd. mediis *de me ipso*;

NOTÆ

velut nascentia, cum favore ac solicitudine. Nec fortuna modo judicii, sed etiam ipsorum, qui orant, periculo afficimur.' Idem: ' Ad dicendum etiam pudor stimulos addit, et dicendorum expectata laus; mirumque videri potest, quod cum stylus secreto gaudeat, atque omnes arbitros reformidet, extemporalis actio auditorum frequentia, ut miles congestu signorum, excitatur. Namque et difficiliorem cogitationem exprimit et expolit dicendi necessitas, et secundos impetus auget placendi cupido. Adeo præmium omnia spectant; ut eloquentia quoque, quanquam plurimum habeat in se voluptatis, maxime tamen præsenti fructu laudis opinionisque ducatur.'

[l] *Gratiora*] Quia magis luxuriantur, et quasi lætius efflorescunt.

[m] *Latus clavus*] Qui dabatur juvenibus senatoriis, ut equestribus angustus clavus; specimen patriciæ nobilitatis, aut splendoris equestris.

[n] *Et in civitate minime favorabili*] Nulla fere civitas favorabilis homini novo: et quædam forte etiam minus favorabiles talibus, quam Roma ipsa. Forte et ipsa eadem nonnullis minus favorabilis, pro libidine ac livore vulgi fere vesani, et cujus est in auram omnem versatile ingenium. Tac. Hist. II. 20. de Alieno Cæcina: ' Ornatum ipsius .... tanquam læsi gravabantur: insita mortalibus natura, recentem aliorum felicitatem ægris oculis introspicere, modumque fortunæ a nullis magis exigere, quam quos in æquo videre.'

Minime favorabili] Forte parum favorabilis civitas hoc ipso tantum, quia *homo novus* erat.

[o] *Quæsturam aut tribunatum*] Ea prima munia, ii primi honores, quos capesseret juvenis in Repub. postea ædilitatem, præturam, consulatus, et sacerdotia adepturus.

[p] *Libertos et Procuratores*] Hi fere pro eodem sunt hoc loco. Non enim defenduntur liberti *apud principem*, nisi quia *procuratores*, vel dispensato-

fendere datur. Tum mihi supra Tribunatus et Præturas et Consulatus ascendere videor, tum habere, quod, si non[q] in animo[2] oritur, nec[3] codicillis datur, nec cum gratia venit.[r]

quod et dedit Rhenanus.—2 Corruptio clara, nec medicina hic a libro. Pithœus tentat, *Tum habere, quod non in alvo oritur:* quod capio haud satis. Anne *in albo* voluit dicere? et Prætorum jus formulasque intellexit? Fortasse etiam, *quod scilicet* (ita enim illud, *si*, diducam et extendam) *non in atrio oritur.* Præcesserat enim de plena et splendenti domo, concursu salutantium. Rodolphi lectionem, sive conjectura est, non omitto, qui in prioribus verbis legit, *tum supra me abire.* Lipsius. Simile est, quod Dousa ad Petron. I. 16. *tum in cœlum abire.* Melius Muretus: *tum habere, quod:* si modo et cetera ad hanc rationem perpurgasset: nam verba *si non in alio* haud dubie sunt corrupta. Huetius corrigebat, *tum habere, quod in se, non in alio, oritur:* id recepit Broterius, et est sensu optimum: Conjeci *habere, quod, si non in ipso oritur, &c.* Nam *se* in hac forma Latinum non est. *In* ante *codicillis* recte abest Mss. Vatic. apud Broterium. *Ernest.* Verissima conjectura Freinshemii, quam recepi. Ex *aïo,* sic scribi solebat *animo,* factum est *alio.* Bipont. dabant *in suo.* Nodellus in Obs. crit. 8. Campis 1781. *in aula.* Schulze verba *si non in alio oritur* delet. Reliqua doctorum commenta hic, cui lubet, dabit Excursu suo II. p. 168. Mihi sic otium fecit. *Oberl.*—3 Ita Mss. Vatic. Libri

NOTÆ

res, vel administri rei alicujus publicæ. Liberti igitur procuratores; at vice versa non omnes procuratores liberti. Nam sæpe equites Rom. id munus gessere: hi scil. procuratores Cæsaris erant in multis provinciis.

[q] *Tum abire quod si non*] Tentabam: *tum habere quod non in alios congeritur,* (vel *confertur*:) *nec in codicillis datur.* Ut infra capite 8. 'Quia Vespasianus, venerabilis senex et patientissimus vir, bene intelligit, ceteros quidem amicos suos niti iis, quæ ab ipso acceperint, quæque ipsi accumulare et in alios congerere promtum est; Marcellum autem et Crispum attulisse ad amicitiam suam, quod non a principe acceperint, nec accipi possit.' Possis etiam Pithœi conjecturam simpliciter interpretari. Nam pluris illa sunt, quæ ab alio non accepimus. Aristoteles libro III. de moribus, ait, quod hoc a nobis ipsis habeamus; atque adeo a primo ortu, quod abhorremus a vitiis, illud maximum esse ait, et pulcherrimum, 'et quod ab altero non possis accipere neque addiscere.' Idem Topicorum III. 'Magis concupiscendum esse' dicit, 'quod ab alio accipi non possit, quam quod possit.' *Schelius.* Legendum videtur: *tum habere, quod (si non in animo oritur) nec in codicillis.* Frequens etiamnum est, pro *animo,* scribi *aïo.* Sed per *codicillos,* intelligit principum literas, quibus administrationes mandabant. Tacitus in vita Agricolæ 40. 'Codicillos, quibus ei Syria dabatur.' *Freinshemius.*

Tum abire] Alii aliter legunt: *tum habere quod in alvo oritur.* Pithœus. Anne *in albo,* voluit dicere, et prætorum jus formulasque intellexit? Forte sic leg. *quod scilicet non in atrio oritur.* Præcesserat enim de plena et splendenti domo, et concursu salutantium. *Lipsius.*

Tum supra me abire. Rodolphus. *Tum in cœlum abire.* Douza ad Petron. I. 16. *Tum habere quod non in tabulis diribitur, &c.* Ut respiciat ad

Quæ fama et laus[s] cujusvis[4] artis cum oratorum gloria comparanda est, qui non illustres[5] in urbe solum, apud negotiosos et rebus intentos, sed etiam apud juvenes et adolescentes, quibus modo recta[6] et indoles est[t] et bona spes sui?

editi *in codicillis:* et sic Ryckius et Gronov.—4 Ita Lipsius et recentiores omnes. In editionibus veteribus, *quid fama.* Beroaldus emendavit, *cujusvis:* antea editum, *cujus.*—5 Mss. Vatic. 1862. et 4498. *non illustres et non in Urbe solum.* Ms. Vatic. 1518. *non illustres et non solum.*—6 Ita Mss. Vatic. et optime. Sic Tullius, I. de Divin. 86. Quintilianus 'Instit. Orat.' VI. 3. ipseque Tacitus infra cap. 10. *modo* pro *quidem* usurpavere. Perperam libri editi, *quibus morum et indoles est:* quod dedere et Gronovius et Ryckius, omisso *et.* Lipsius e Romana, nescio qua, editione, laudat, *quibus major indoles.* Brotier.

NOTÆ

suffragia in honorum petitionibus, et ad diribitorias tabellas. Dixit ante de præturis et consulatibus. *Acidalius.*

Forte, *tum habere, quod scilicet non in alio hauritur.* Quasi alludens ad aquas, quæ in prædio proprio scaturiunt ultro, nec in alieno agro hauriuntur, nec quæruntur procul. Quod si tot interpretibus non est reperta vera lectio, forte saltem verus sensus intellectus est: et in re, eodemque sensu plane conveniunt omnes. Forte, *et tunc habere, quod nec in alio oritur, nec, &c.* quasi diceret, se opes habere, quæ nec in alio agro nascuntur, nec ex libitu aut arbitrio alieno pendent. Infra cap. 9. 'Hi enim [versus] Basso domi nascuntur.' Et 'quanto tamen pulchrius .... se ipsum colere, suum genium propitiare, suam experiri liberalitatem?'

[r] *Nec codicillis datur, nec cum gratia venit*] Solebat enim princeps honores quibusdam largiri ex suo arbitrio, et id in codicillis, de quo ritu erudite et diligenter Lipsius ad Ann. XIII. Quanquam trahere hanc dictionem etiam ad testamentales legationes possis, quæ in codicillis olim concipiebantur. Hæc, *cum gratia venit*, ad honorum impetrationem manifeste referenda, etsi et illud ipsum scribi malim, abjecto *cum: nec gratia venit.* Acidalius. Melius, *cum gratia.*

[s] *Quæ fama et laus*] Desideratur transitiva particula, (forte, *jamque fama, &c.*) transit enim a voluptate *artis* oratoriæ ad dignitatem. *Acidalius.* Non opus est tali particula, quæ facile suppletur per mentem.

[t] *Adolescentes, quibus morum indoles est*] Romana editio, *quibus major indoles.* Lipsius. Muretus, *quibus modo et indoles est.* Atque *et*, sane etiam in vulgatis libris. Ego aliter, *quibus et majorum indoles est, et bona spes sui.* Nam Sueton. Aug. 8. ad hujus auctoris exemplum: 'approbata etiam cito morum indole super itineris industriam.' *Acidalius.* Nihil muto. Plautus Trinummo: 'qui ipsus se contemnit, in eo est indoles industriæ.' Corn. Nepos in Eumene: 'Fulgebat jam in adolescentulo indoles virtutis.' Justinus libro XXXIX. 'In suorum quisque vestigia intentis magna indoles virtutis enituit.' Nam *mores*, κατ' ἐξοχὴν, boni mores. Ut apud Senecam 'periere mores.' Itaque *morum indoles*, et *indoles virtutis*, et *indoles industriæ*, hic eadem res est. *Gronovius.* Forte τὸ *morum*, hoc est, ingenii, solertiæ, et industriæ, ut idem sit hic *morum indoles*, ac ingenita virtus animi, ac solertia ingenii et facundia; unde et *spes sui* existebat.

Quorum nomina prius parentes liberis suis ingerunt?[b] quos sæpius vulgus imperitum et tunicatus hic populus[u] transeuntes nomine vocat[v] et digito demonstrat? Advenæ quoque et peregrini, jam[c] in municipiis et coloniis suis auditos, cum primum urbem attigerunt, requirunt ac vultus agnoscere concupiscunt.

8. Ausim contendere, Marcellum hunc Eprium, de quo modo[w] locutus sum, et Crispum Vibium (libentius enim novis et recentibus, quam remotis[x] et obliteratis, exemplis utor) non minus nosci[1][y] in extremis[d] partibus terrarum, quam Capuæ,[z] aut Vercellis,[a] ubi nati dicuntur: nec hoc illis saltem[2] ter millies[b] sestertium præstat (quanquam[e] ad

[b] *Sæpe repetunt referuntque, scil. in exemplum quod æmulentur juvenes.*
[c] *Jam ante, fama scil.* auditos.
[d] *In extremis partibus orbis terrarum, et præcipue imperii Rom.*
[e] *Licet ad has opes pervenerint eloquentiæ beneficio, non tamen ea fama ex tantis opibus venit, sed ex sola facundia.*

1 Vulgo *non minus esse:* [et sic Gronovius, Ryckius, et Brotierus.] Vox deest, quam a me repono: *non minus esse notos in extremis.* Lips. Barthius aliique legunt *non minoris esse.* Recepere Bipont. Ego Schelii conjecturam sequor. *Oberl.*—2 Vulgo legitur, *nec hoc illis alterius ter millies sestertium:* et

NOTÆ

[u] *Tunicatus hic populus*] Minoris sortis plebeculam intelligit, quæ jam eo ævo sæpius tunicata et pænulis induta in publico erat; cum proceres et senatores raro prodirent in publicum, nisi togati. Unde hæc apud Sueton. increpatio Augusti, qui priscos mores observatos voluit; scil. arguendo irridebat ipsos pullatos versu Virgiliano: En 'Romanos rerum dominos gentemque togatam!'

[v] *Vocat*] Appellat, non accit: *vocat* eos, et laudat per admirationem ingenii.

[w] *Modo*] De quo proxime locutus sum, scil. cap. 5.

[x] *Remotis*] Priscis exemplis, quæ scil. jam *remota* sint ab ævo, et memoria nostra. Hi oratores vivebant adhuc.

[y] *Non minus nosci*] Vulgo *esse* pro *nosci:* et sic subintelligenda vox, *auditos,* quæ supra. Alii tamen legunt: *non minus esse notos.* Forte, *non minus esse illustres,* quæ vox absorpta per sequentem, *in extremis.*

[z] *Capuæ*] Capua, urbs Campanorum populorum, prope Vulturnum fluvium: hodie *Santa Maria Maggiore,* vel *delle Gratie,* burgus provinciæ Terræ Laboris, prope fluvium *Garigliano,* in regno Neapolitano. *Tillemonius.*

Capuæ] Uter Capuæ, uter Vercellis natus esset, et uter esset 'habitu corporis contemtus,' incertum: at certe 'neuter moribus egregius.'

[a] *Vercellis*] Vercellæ urbs Libicorum populorum, in Gallia Transpadana regione Italiæ. Hodie *Vercelli* aut *Verceil,* urbs tractus *Vercellese* in Pedemontii statu ad orientem: paret

has ipsas opes possunt videri eloquentiæ beneficio venisse)[3] ipsa eloquentia; cujus numen[c] et cœlestis vis multa quidem omnibus sæculis exempla edidit,[d] ad quantam[4] usque for-

sic Gronov. et Ryckius. In morbo locus et defectu. Scribas et distinguas: *nec hoc illis alterius ter millies, alterius bis millies HS. præstat (quamquam ad has ipsas opes possunt videri eloquentiæ beneficio pervenisse) sed ipsa eloquentia, cujus numen, &c.* Quæ addidi satis mihi certa sunt, numero tantum excepto: nam certe utriusque opes exprimere propositum habuit. Rodolphus scribebat: *nec hoc illis utriusque ter millies HS.* quod amplectar, si a libris. *Lipsius.* Huetius *illi alterive:* quod Broterius recepit. Sermo autem est de duobus. Rectius sit *illis alterive:* vel *alterisve:* alii aliter locum expedire tentant. Ceterum bene Freinshemius monuit, orationem non esse absolutam, ni mox legas; *venisse: sed ipsa eloquentia.* Tὸ *sed* absorbuit finalis præcedentis verbi. Sed et infra c. 9. similis locus ἀνακόλουθος est. *Ernest.* Lectio vulgata sic habet: *nec hoc illis alterius ter millies sestertium præstat, quanquam—venisse. Ipsa eloquentia, &c.* Loco desperato aliqua medela affertur a Bip. vulgata lectione leviter mutata eo modo, quem expressi. Sensus iste: nec hoc ter millies sestertium (pondo scil.) illis (Eprio et Crispo) potius est quam ipsa eloquentia. Aliorum conjecturas, quibus *hoc—præstat* est hoc, hanc celebritatem conciliat, exhibet Schulze. *Idem.*—3 Brotierus scribit *sed ipsa eloquentia. Sed* tamen abest a veteribus editionibus. Addendum monent Lipsius, Freinshemius et recentiores. Antea male distinguebatur, *venisse. Ipsa eloquentia, &c.* et sic Ryckius et Gronovius.—4 Mss. Vatic. *ad quam.*

NOTÆ

duci Sabaudiæ. *Tillemonius.*

[b] *Nec hoc illis saltem ter millies*] Alii aliter legunt: *Nec hoc illis utriusque ter millies.* Rodolphus. *Nec hoc illis alterius ter millies, alterius bis millies sestertium præstat (quanquam ad has ipsas opes possunt videri eloquentiæ beneficio pervenisse,) sed ipsa eloquentia, cujus numen, &c.* Quæ addidi, satis mihi certa sunt, excepto numero tantum: nam certe utriusque opes exprimere propositum habuit. *Lipsius.*

'Nec hoc illis ter millies sestertium præstat (quanquam ad has ipsas opes possunt videri eloquentiæ beneficio venisse,) sed ipsa eloquentia, cujus,' &c. *Freinsh.*

Scriptum fuisse existimo; *Nec hoc illis, alterive ter millies sestertium præstat.* Velut incertus ad eam ne summam ambo venerint. *Barthius* Advers. VIII. 44.

Sic forte legendum: *Nec hoc illis, alterius bis, alterius ter millies sestertium præstat, (quanquam ad has ipsas opes possunt videri eloquentiæ beneficio venisse) sed ipsa eloquentia, &c.* Puto, scripserat, *nec hoc illis ter millies sestertium præstat.* Confusionem fecit similitudo vocum, scil. *ter millies,* et *alterius:* ita ut ex voce *ter millies,* aliam vocem *alterius* fabricarint exscriptores aut interpretes parum cauti. Valde probabile sit, ad has usque minutias non descendisse auctorem, ut divitias cujusque seorsim describeret, sed simul: rem totam exsecutum esse. Et indubie illi ambo pares opibus, ut artibus et flagitiis similes erant. Forte scripsit, *bis aut ter millies.* Ter mill. sunt 7,500,000 coronati.

[c] *Numen*] *Numen* et *cœlestis vis* synonyma sunt, et eundem significatum habent. Cœlestis certe, et quasi divina vis est eloquentiæ: divina illa potentia *numen* est.

tunam homines ingenii viribus pervenerint. Sed hæc, ut supra dixi,[e] propria[5] et quæ non auditu cognoscenda, sed oculis spectanda habemus.[6] Nam, quo sordidius et abjectius nati sunt, quoque notabilior paupertas et angustia[f] rerum[7] nascentes eos circumsteterunt; eo clariora, et ad demonstrandam oratoriæ eloquentiæ utilitatem[g] illustriora exempla sunt; quod sine commendatione[ſ] natalium, sine substantia facultatum,[h] neuter moribus egregius, alter habitu quoque corporis contemtus, per multos jam annos potentissimi[8] sunt civitatis, ac, donec libuit, principes fori, nunc principes in Cæsaris amicitia, agunt feruntque cuncta,[i]

[ſ] *Sine claritudine stirpis, sine imaginibus.*

5 Brotierus cum Ryckio et Gronov. *sed hæc, ut supra dixi, proxima:* et sic Lipsius e Ms. Farnes. In editione principe, *sed habet, ut supra dixi, propriam.* Puteolanus, *propria.*—6 Brotierus cum Ryckio et Gronov. *spectanda haberemus:* et ita editiones veteres et recentiores. Sed *habemus* magis aptum videtur. *Oberl.* Bipont. *proxima .... haberemus.*—7 Ita Puteolanus et recentiores omnes. In Mss. Vatic. et editione principe, *angustia ereptum.* Unde tentabat Rodolphus Agricola, *angustia parentum:* Lipsius, *angustiæ rerum.*—8 In veteribus Edd. *lacuna* est post

NOTÆ

[d] *Exempla edidit*] Multa exempla protulit, ex quibus constat, *ad quantam usque fortunam homines* eloquentia præcellentes *pervenerint.*

[e] *Ut supra dixi*] Totam periodum scripsi, uti in Farnesiano concepta. Non displiceat tamen e vulgatis libris, *propria,* pro *proxima.* Lipsius.

Propria, id est, nostra, seu nostri ævi, et nostræ civitatis; et quæ in oculis jam nunc habemus, et quibus nos viventes videntesque fruimur. Hæc propria simul et proxima exempla.

[f] *Angustia*] Forte *angustiæ.* Sunt 'quorum virtutibus obstat Res angusta domi.' Juven. Qui et ideo laudabiliores, cum emergunt, et famæ nomen inserunt.

[g] *Eloquentiæ utilitatem*] Non agit amplius de utilitate, sed jam de dignitate eloquentiæ. Scribam ergo, *nobilitatem.* Acidalius. Recte, *utilitatem:* nam præcessit de *paupertate* et *angustia rerum,* et sequitur, *potentissimi sunt civitatis.*

[h] *Sine substantia facultatum*] Substantia pro opibus, medii ævi scriptoribus frequens. Nescio an a Græcis sumtum, qui *οὐσίας* vocabulo facultates designant, quod tamen *essentiam* interpretatur Quintilianus. *Schelius.*

[i] *Agunt feruntque cuncta*] Jam nunc sub Vespasiano non rapiebant opes innocentium, nec vastabant aut subvertebant Rempub. ut olim sub Nerone. Sed tamen agebant ferebantque cuncta, prout et quo vellent, vi scil. ingenii et eloquentiæ. Attamen etiam tum non pauca licebant sub principe parum liberali, qui quidem initio *iniquitates* spernebat; sed postea, indulgente fortuna, et accedentibus dominationis magistris, tandem etiam ausus est.

atque ab ipso Principe cum quadam reverentia diliguntur: quia Vespasianus, venerabilis senex et patientissimus vir,[9 j] bene intelligit, ceteros quidem amicos suos niti iis,[10] quæ ab ipso acceperint, quæque ipsi[11 g] accumulare et in alios congerere promtum est: Marcellum autem et Crispum, attulisse ad amicitiam suam, quod non a Principe acceperint, nec accipi possit. Minimum inter tot ac tanta locum obtinent imagines ac tituli[12 k] et statuæ, quæ neque ipsa tamen negliguntur, tam Hercule,[h] quam divitiæ et opes, quas facilius invenies, qui vituperet, quam qui[13] fastidiat. His igitur

[g] *Principi.* [h] Minimum inter tot ac tanta *bona seu decora* locum obtinent imagines, *tam hercule quam divitiæ, &c. Minimum inter hæc tanta locum obtinent imagines, ut certe et divitiæ ipsæ, licet neque imagines, neque divitiæ spernantur.*

---

potentissimi. Supplevit Lipsius *civitatis:* Rodolphus, *in judiciis.*—9 Brotierus cum Ryckio et Gronov. *patientissimus veri:* 'quod præferrem,' inquit Oberl. 'si esset in libris.'—10 *Iis* deest in edd. priscis. Lipsio debetur.—11 Mss. Vatic. *ipsis.*—12 Sic bene Lipsius e Ms. Farnes. Perperam in veteribus edd. *imagines Attali.* Brotier.—13 *Qui* addidit Ernestus ex edd. vett. Omissum a Ryckio et Gronov. et recentioribus.

NOTÆ

[j] *Patientissimus vir*] Vulgo *veri* pro *vir:* et forte sic *veri* tolerans et sciens senex dicitur, quia *bene intelligit,* discernitque veras virtutes et optimas artes civium a fortuna et opibus; ut quæ scil. non propriæ sint possidentium, sed quæ a majoribus, vel a principe iis conferantur. Quod dicit *ceteros,* scil. *amicos suos niti iis, quæ ab ipso* principe *acceperint, Marcellum autem et Crispum* non accepisse a principe; immo *attulisse ad amicitiam ipsius,* quæ nec dari *nec accipi possint,* et propriis opibus ipsos niti: quæ felicitas paucis contigit.

Patientissimus veri] Quia bene intelligit, vel suopte ingenio et sponte, vel quia ex aliis veritatem discit, ultro volens, et boni consilii facile patiens, quæ non modica laus principis. Bene igitur, et vere *intelligit,* quæ sint dotes ingenii et animi uniuscujusque procerum et aulicorum. *Vere* et recte *intelligit* alios amicos suos niti his beneficiis quæ ab ipso, vel ab aliis dominantibus acceperint; forte quidam nullo merito suo, et quibus fortuna pro virtute fuit; istos vero oratores propriis et ingenitis opibus niti. Sed 'Pauci quos æquus amavit Jupiter, aut ardens evexit ad æthera virtus, Diis geniti, potuere.' Forte *veri,* vel quia *verum* suadebant principi isti oratores; vel potius, quia *verum* affirmat hic iste auctor: et ex hac veritate bene intellecta ipsi principi, suam sententiam firmat.

[k] *Ac tituli*] Tituli appositi statuis, quibus scil. claritudo gentis, magistratus, bella, et res egregie gestæ insculpebantur.

et honoribus[1] et ornamentis et facultatibus refertas domos eorum videmus, qui se ab ineunte adolescentia causis forensibus et oratorio studio dederunt.

9. Nam carmina et versus, quibus totam vitam Maternus insumere optat (inde enim omnis fluxit[i] oratio) neque dignitatem ullam auctoribus suis conciliant, neque utilitates[1] alunt: voluptatem autem brevem, laudem inanem et infructuosam consequuntur. Licet hæc ipsa, et quæ deinde[2] dicturus sum, aures tuæ, Materne, respuant, cui bono est,[3] si apud te Agamemnon aut Jason diserte loquitur? quis ideo domum defensus et tibi obligatus redit? Quis Saleium nostrum, egregium poëtam, vel, si hoc honorificentius est,[m] præclarissimum vatem deducit, aut salutat, aut prosequitur? Nempe, si amicus ejus,[4] si propinquus, si denique ipse[5] in aliquod negotium inciderit, ad hunc Secundum recurret,[6] non ad te, Materne,[7] quia poëta es, neque ut pro eo versus facias: hi etiam[8] Basso domi nascuntur, pulchri quidem et jucundi: quorum tamen hic exitus est, ut, cum toto anno, per omnes dies, magna noctium parte, unum librum extudit[9][j] et elucubravit, rogare ultro et ambire[n] co-

[i] *Initium habuit.* [j] *Non sine multo negotio elaboravit.*

1 Barthius mallet *utilitate se alunt.* At vulgata scriptura retineri potest. *Brotier.*—2 Ms. Vatic. 1862. *quæ deinceps.*—3 Sic bene Lipsius e Ms. Perperam in veteribus editionibus, *crebro est si apud te.* Brotier.—4 *Ejus* a Lipsio est: prius aberat.—5 *Ipse* abest ab editione principe. Puteolanus supplevit, *aliquis.*—6 Gronovius mallet *decurret.*—7 Brotierus ex edit. pr. Spirensis, quam citat Lipsius, cum Ryckio et Gronov. scribit, *aut ad te, Materne non quia, &c.* Sic et Bipont. At potior mihi visa lectio Puteolani; dignaque quam restituerem. Aptior sic sane orationis nexus. *Oberl.*—8 Ceteri Edd. *hi enim.* Sed sic nimis abrupte ad Bassum transit Aper. Lego *hi etiam Basso*, ut saltem hujus laus poëtica cum laude Materni jungatur. Τὸ *enim* plane absonum erat. Ceterum locum laborare concedo et sentio. *Idem.*—9 Sic Virg. Georg. I. 133. IV. 315. 'extundere artes.' Non ergo opus Heumanni *excudit.* In vett. edd. est *extulit.* Lipsius correxit. *Oberl.*—

NOTÆ

[l] *Honoribus*] Per *honores*, magistratus intelligit. Præturam adeptus erat Marcellus jam olim sub Nerone, forte et postea consulatum. Per *ornamenta*, vel insignia dignitatum intelligit, vel præcipue *imagines titulos, statuas, &c.*

[m] *Si hoc honorificentius est*] Hoc dicit, quia *vates* aliquid magis cœleste ac divinum in se habere videntur: scil. potentius afflati numine censentur.

gatur, ut sint, qui dignentur audire: et ne id quidem gratis: nam et domum mutuatur et auditorium[10] exstruit et subsellia conducit et libellos dispergit:[o] et, ut[k] beatissimus recitationem[11] ejus eventus prosequatur, omnis illa[12] laus intra unum aut alterum diem, velut in herba vel flore præcepta,[13][p] ad nullam certam et solidam pervenit frugem: nec aut amicitiam inde refert, aut clientelam, aut mansurum in animo cujusquam beneficium, sed clamorem vagum et voces inanes et gaudium volucre.[l] Laudavimus nuper, ut miram et eximiam, Vespasiani liberalitatem, quod quingenta sestertia[q] Basso donasset. Pulchrum id quidem, indulgentiam[m] Principis ingenio mereri: quanto tamen pulchrius, si ita res familiaris exigat, se ipsum colere, suum genium[14] propitiare, suam experiri liberalitatem? Adjice, quod poëtis, si modo dignum aliquid elaborare et efficere velint,[r] relinquen-

[k] *Et quamvis.* [l] *Leve, quod protinus avolat et cito vanescit.*
[m] *Bonitatem seu munificentiam.*

10 Male Beroaldus, *adjutorium.* Brotier.—11 Sic bene Lipsius. In veteribus editionibus, *recitatione.* Ex quo alii emendaverant, *recitationum.* Idem. —12 Ms. Vatic. 1862. *ista.*—13 Sic bene Lipsius. Prius legebatur *percepta.* Schelius volebat *præcerpta.* Sed *præcepta* sunt ante (festinantius) capta. *Oberl.* —14 In veteribus edd. *ingenium,* et ita Brotierus. Lipsius emendavit et edidit *genium.* In Ms. Vatic. 4498. est *sive ingenium propitiare.* Rectius in Lipsii

NOTÆ

[n] *Rogare ultro et ambire*] De qua re sic Plinius Epist. III. 18. 'Cepi autem non mediocrem voluptatem, quod hunc librum cum amicis recitare voluissem, non per codicillos, non per libellos; sed si commodum et si valde vacaret, admoniti, (nunquam porro, aut valde raro vacat Romæ, aut commodum est audire recitantem) fœdissimis insuper tempestatibus per biduum convenerunt.'

[o] *Et libellos dispergit*] Scriptum aliquod recitaturi, libellos spargere atque in publico proponere solebant; amicos autem per codicillos sive epistolas, aut voce ipsa invitabant.

[p] *Præcepta*] *Percepta* est in editione Quintiliani Stoëriani: sed nihil mutandum. Sic enim passim boni auctores. Ovidius Fastorum IV. 'Tosta sitit tellus præcipiturque seges.' Virgilius: 'Si lac præceperit æstas.' Possis tamen etiam *præcerpta.* Schelius.

[q] *Quingenta sestertia*] Sunt duodecim millia coronatorum et insuper quingenti.

[r] *Si modo dignum aliquid elaborare et efficere velint*] 'Ego autem sicut in causis agendis efficere aliquid et eniti fortasse possum.' Quintilianus: 'Ne perderem, quæ jam affecta erant, per omnes difficultates animo me sustentavi.' Sic *efficere literas* Quintiliano,

da conversatio amicorum et jucunditas urbis, deserenda cetera officia,[s] utque ipsi dicunt, *in nemora et lucos*, id est, in solitudinem secedendum [15 t] est.

10. Ne opinio quidem et fama, cui soli serviunt, et quod unum esse pretium omnis sui laboris fatentur, æque poëtas quam oratores sequitur: quoniam mediocres poëtas nemo novit,[u] bonos pauci. Quando enim rarissimarum recitatio-

libro lectum. *Oberl.*—15 Gronovius et Ryckius et Brotierus edidere *recedendum.* Schelius corrigit *secedendum.* Probat Ernestus : et repono. *Idem.*

NOTÆ

est exprimere et perfecte reddere sonum earum, l. I. c. 11. 'Inprimis vitia si qua sunt oris, emendet, ut expressa sint verba, ut suis quæque literæ sonis enuntientur. Quorundam enim vel exilitate vel pinguedine nimis laboramus, quasdam velut acriores parum efficimus, et aliis non dissimilibus, sed quasi hebetioribus, permutamus.' Cicero : 'Ut virilis tua vox aliquid possit significare, quidnam effectura videatur.' Paulo aliter Quintilianus l. VI. 'Tum si qua minus fuerint effecta, iis quæ levius adhuc afflicti cœperamus, imperitiæ aut fortunæ remittantur.' Ubi vitiata illa postrema nemo non videt: emendatio fortassis haud perinde facilis. Veniebat in mentem 'injuriæ fortunæ :' Cicero de Natura Deorum l. I. 'Hortata est etiam, ut me ad hæc conferrem, animi ægritudo, fortunæ magna et gravi commota injuria.' Quam conjecturam ut nemini obtrudere pro vera velim, ita a sensu tamen fortassis non multum aberrat: quippe sibi tanta vi fortunæ perculso veniam dari postulat, si qua ingenium debilitatum sit : 'injuriæ fortunæ remittantur,' ut dicimus : ignoscas occupationibus, &c. *Schelius.*

[s] *Cetera officia*] Ut adesse reis et periclitantibus amicis, et in negotiis et difficilibus contractibus, in nuptiis, in magistratibus et dignitatibus ambiendis, aut apud senatum populumque Rom. aut apud principem, in funeribus, in exequiis, in luctu et adversis rebus consolando, patrociniis juvando, liberos mortuorum amicorum sublevando, &c.

[t] *In nemora et lucos, id est, in solitudinem recedendum*] Malim *secedendum;* ut infra : 'Secedit animus in loca pura atque innocentia, fruiturque sedibus sacris.' Item Quintilianus l. I. c. 7. 'Stabitne mutus et salutarem petentibus vocem statim, si non succurratur, perituris, moras et secessum et silentium quæret, dum illic [ita scribe, vulgo *illa*,] verba fabricentur et memoriæ insidant, et vox ac latus præparetur?' Noster: 'Malo secretum et securum Virgilii secessum.' 'Carmina secessum scribentis, et otia quærunt.' Fabius l. X. c. 5. 'Ideoque mihi videtur M. Tullius tantum intulisse eloquentiæ lumen, quod in hos quoque studiorum secessus excurrit.' *Recessus* tamen et *secessus* aliquando a veteribus confundi videntur, ut *repositus* et *sepositus.* Schelius.

[u] *Mediocres poëtas nemo novit*] Nemo mediocres poëtas novit; quia scilicet nomen famamque non habent, atque illorum carmina nemo legit; boni autem pauci reperiuntur, ideo a

num fama in totam urbem penetrat? nedum[1] ut per tot provincias innotescat. Quotus quisque, cum ex Hispania, vel Asia, ne quid de Gallis[2] [v] nostris loquamur, in urbem venit, Saleium Bassum requirit? atque adeo si quis requirit, ut[3] semel vidit, transit et contentus est; ut si picturam aliquam vel statuam vidisset. Neque hunc meum sermonem sic accipi volo, tanquam eos, quibus natura sua oratorium[4] ingenium denegavit, deterream a carminibus, si modo in hac studiorum parte oblectare otium et nomen inserere possunt famæ: ego vero omnem eloquentiam omnesque ejus partes sacras et venerabiles puto: nec solum cothurnum[w] vestrum, aut heroici carminis sonum, sed lyricorum quoque jucunditatem et elegorum lascivias et iamborum amaritudinem et[5] epigrammatum lusus et quamcumque aliam speciem eloquentia habeat, anteponendam ceteris aliarum artium[x] studiis credo: sed tecum mihi, Materne, res est, quod, cum natura tua in ipsam arcem[6] eloquentiæ te[7] ferat, errare[8] mavis,[y] et, summa adeptus, in levioribus subsistis. Ut, si

1 Ita optime Lipsius e Ms. in quo erat, *penetrat medium.* Corrupte editiones veteres, *penetrat metrum.* Brotier.—2 Schulting. mavult *Galliis:* perperam. Homines Galli advenæ intelliguntur. *Oberl.*—3 Acid. *ut semel vidit* pro *et*, egregie. Recepit Heum. it. Schulze. Sequor. Brotier. ceterique omnes *et.* Idem.—4 Ryckius *oratorum.* Acidalius correxit *oratorium.*—5 Copulam præmisit Acidalius bene. *Oberl.*—6 Sic bene Rhenanus. Antea legebatur *artem.* Idem.—7 Recte Acidal. pronomen supplevit, omissum a Gronovio ceterisque cum Brotiero. Haustum fuerat ab ultima syllaba præcedentis verbi. *Oberl.*—8 Pro *errare mavis* Schelius conjectat *hærere*, Schurzfleisch. *terram*, Schulze *repere;* mihi vulgatum sat commodum esse videtur. *Errare,*

NOTÆ

paucis noscuntur ac leguntur. Horat. de arte poët. 'Mediocribus esse poëtis Non homines, non Dii, non concessere columnæ.' *Pichena.*

[v] *Gallis*] Vide notas ad vitam Agricolæ c. 10. Gallia Togata, pars septentrionalis Italiæ: hodie *Lombardia* cum parte status Ecclesiastici. *Tillemonius.*

[w] *Cothurnum*] Ille aptus tragico carmini; soccus comœdiæ. Sic Plin. epist. IX. 7. 'Itaque [villarum] illam tragœdiam, hanc appellare comœdiam soleo.' Illam, quod quasi cothurnis; hanc, quod quasi socculis sustinentur.'

[x] *Ceteris aliarum artium*] Ceteris scil. artibus, ut Grammatica, Musica, Geometria, et ipsa forte Juris civilis doctrina præstantior et nobilior est eloquentia.

[y] *Eloquentiæ te ferat, errare mavis*] Eadem criminatio supra: 'Quod natus ad eloquentiam virilem et orato-

in Græcia natus esses, ubi ludicras [z] quoque artes exercere honestum est, ac tibi Nicostrati robur [a] ac vires Dii dedissent, non paterer immanes [n] illos et 9 ad pugnam natos lacer-

[n] *Robustos, grandes, violentos.*

sive vagari infra arcem, in humilioribus. *Oberl.*—9 Copulam a Rhenano et

NOTÆ

riam, qua parare simul et tueri amicitias, asciscere nationes, complecti provincias possit, omittit studium, quo,' &c. *Acidalius.*

In ipsam arcem eloquentiæ te ferat, errare mavis] Lucretius: 'Munita tenere Edita doctrina, sapientum templa serena: Despicere unde queas alios passimque videre Errare, atque viam palantes quærere veri.' Sed cum noster addat: 'Et summa adeptus in levioribus subsistis,' dubito anne fuerit: *hærere mavis.* Suetonius Augusto: 'Circa libidines hæsit; postea quoque, ut ferunt, ad vitiandas virgines pronior, quæ sibi undique etiam ab uxore conquirerentur.' Cicero Acad. quæst. IV. 'Ad quamcumque sunt disciplinam, quasi tempestate delati, ad eam tanquam ad saxum adhærescunt.' Quintilianus: 'Atque plerosque videas hærentes circa singula; et dum inveniunt, et dum inventa ponderant ac demetiuntur.' *Schelius.* Sufficit vox *errare.* Nec certe majus erratum committi potest, quam fallere indolem et ingenium suum, quam errare et deflectere a facultate ac solertia illa et vi, quam natura ipsa dabat ultro eximio juveni: *ferat,* vel intellige, *te ferat.* Vel *ferat* hic neutropassive sumitur, pro erumpat, feratur, evehatur. Non male tamen *hærere,* si a Mss.: nam statim, 'in levioribus subsistis.'

[z] *Ludicras*] Id est, scenicas artes exercere, seu in arenam descendere fas et honestum Græcis etiam nobilioribus fuit. Romani contra inhonestum id existimarunt. Græcorum tamen æmulatu quidam Romani talem artem celebravere, sed raro, ut Thrasea apud Patavium; forte ritu religionum antiquarum id permittente. Sic et Piso, qui conjuravit in Neronem *tragœdus* dictus: an in urbe id usurpaverit, incertum. Forte id egit in provincia quadam Italica majoris olim Græciæ; ubi moris et sermonis Græci nonnihil adhuc invalescebat: at non mirum de Nerone 'si in scena caneret.' Sic de Pisone Ann. l. XV. 'Non referre dedecori [imperii] si citharœdus dimoveretur; et tragœdus succederet; quia, ut Nero, cithara, ita Piso, Tragico ornatu canebat.' Sic autem de Thrasea Tac. l. XVI. 'Accedentibus [odii] causis in Thraseam .... quodque juvenalium ludicro parum spectabilem operam præbuerat: eaque offensio altius penetrabat, quia idem Thrasea Patavii, unde ortus erat, ludis Cesticis a Trojano Antenore institutis, habitu tragico cecinerat.' Etiam et Romani equites et senatores; et fœminæ ipsæ splendidæ in arenam descendere.

[a] *Nicostrati robur*] De quo Quintilianus l. II. c. 9. 'At si fuerit, qui docebitur, ille, quem adolescentes senem vidimus, Nicostratus, omnibus in eo docendi partibus similiter utetur, efficietque illum, qualis hic fuit, luctando pugnandoque, (quo utroque certamine iisdem diebus coronaba-

tos levitate jaculi[a] aut jactu disci vanescere: sic nunc te ab auditoriis et theatris in forum et ad causas et ad vera prælia[b] voco; cum præsertim ne ad id[10] quidem confugere possis, quod plerisque patrocinatur, tanquam minus[c] obnoxium sit offensæ[11] poëtarum, quam oratorum, studium. Effervescit[d] enim vis pulcherrimæ naturæ tuæ; nec pro amico aliquo, sed, quod periculosius est, pro Catone offendis:[12] nec excusatur[13] offensa necessitudine[e] officii, aut fide advocationis, aut fortuitæ et subitæ dictionis[f] impetu: at tu[14] meditatus videris elegisse personam notabilem et cum

[a] *Levioribus pugnis et quasi ludis, vacuos ac desides fatiscere aut senescere non patiar fortes lacertos.*

seq. neglectam ex antiquioribus restituit Pichena.—10 Mss. Vatic. *ad illud.* —11 Sic mallet Acidalius. Brotierus ceterique *offendere.* Schurzfleischius *offensis.* Bipont. legunt *offendini:* h. e. offensioni, ut apud Nonium est. *Oberl.* —12 Mss. Vatic. *offendes.*—13 Sic Rhenan. prius erat *accusatur.*—14 Sic Beroald. Puteol. Lipsius particulas neglexit. Omisere etiam Ryckius, Gronov.

NOTÆ

tur) invictum.' Quod ipsum suadet de Quintiliano libelli hujus auctore.

[b] *Ad vera prælia*] Quia in auditoriis declamatorum aut recitantium sunt velut umbratica studia præliaque.

[c] *Tanquam minus*] Tanquam studium poëtarum minus obnoxium sit, seu minus soleat offendere potentium animos, quam oratorum eloquentia.

[d] *Effervescit*] Exardescit enim egregia ac præclarissima vis ac facultas ingenii tui: tum ea evehitur, et velut ardore aliquo erumpit, et tamen non *pro amico* tuo; sed quod sæpe longe exitiabilius est, offendis dominantes *pro Catone,* cujus vultum et ingenium induisti.

[e] *Necessitudine*] Necessitate, quæ eadem hic cum *necessitudine* est. Nam jura patrocinii te cum clientibus, ut vincula quædam obstringunt. Hæc necessario observanda et sacra atque inviolata sunt. Hujusmodi est officium patrocinii, hæc est 'fides advocationis.'

[f] *Fortuitæ et subitæ dictionis*] Quam interpretari et criminari pro libito poterant pravi magistri dominationis. Has vocat Sueton. 'causidicorum figuras.' Vespas. 13. 'Amicorum libertatem, causidicorum figuras .... lenissime tulit, &c. Salvium Liberalem in defensione divitis rei ausum dicere, quid ad Cæsarem si Hipparchus HS. millies habet? et ipse laudavit.' Non forte spectabat ad Cæsarem, si dives esset Hipparchus; sed spectabat ea ad Vespasianum causidici figura, ut qui sic eum taxaret avaritiæ, cujus vulgo ille arguebatur. Sed eam contumeliam figuratam vel leniter tulit Vespasianus, vel dissimulavit, aut sprevit, magni animi et fortitudinis conscientia. Etiam simile quod Suet. Domit. 10. 'Occidit .... [Hermogenem] Tarsensem, propter quasdam in historia figuras.' Et infra, Occidit 'et Helvidium filium, quod quasi scenico exordio sub persona Paridis et Œnones

auctoritate dicturam. Sentio, quid responderi possit: hinc[15] ingentes existere[16] assensus, hinc in ipsis[g] auditoriis præci-

et Brotier. Restituere Bipont.—15 Defectum odoror, et asteriscum poni velim ante verbum *hinc*. Lips. Mss. Vatic. habent *hic...hic*, bene, ut opinor. *Ernest.*—16 Vulgo legebatur *ex his*: sic Ryckius et Gronovius et Brotier. Acidalius emendat, *existere* pro *ex his*: quod recipio cum Schurzfl. Bipont. et Schulzio. Schelius dabat *excitari*. Schulting. *esse his* scil. tragœdiis. Gesnerus tolli volebat *ex his* tanquam glossema τοῦ *hinc*. Brotier. locum ita constituendum putabat: *Sentio q. r. possit: placere hæc argumenta: hinc, etc.* Verum ista languida forent et superflua. Gronovii *hæc* jam Heumannus suum fecit.

NOTÆ

divortium suum cum uxore taxasset.'

Subitæ dictionis] Scil. ardore, instinctu, et impetu loquentis patroni, quandoque vox subita excidere queat, quæ potentes offendere possit. Sed cui parci debeat, quia id fortuito et subito dictum, quod poëtæ non perinde facile condonatur, quia diu ante meditata verba profert, et deligit personam quæ consulto et data opera offendat et quidem cum auctoritate magni nominis.

g *Hinc ingentis ex his assensus, hinc in ipsis*] Pro *ingentes*, εὐφωνίας ergo. Callide jugulat Aper, quæ Maternus, ut potiora in sui defensionem præmissurus erat: scilicet, quietem et securitatem. Dices, aio, eo te Catonem elegisse, quod inde major tibi gloria et assensus: esto, sed ubi, quæso, illa tua quies, quam toties jactas? erisne securus offensis auribus Imperatoris? Τὸ *assensus*, hic non respectu elegantiæ carminum, nam id supra jam dictum: ' et ut beatissimus recitationum ejus eventus prosequatur, omnis illa laus intra unum aut alterum diem, velut in herba vel flore præcepta:' sed respectu principis, quem in Catone intra ordinem redigebat, unde magnus assensus omnium auditorum: ' Tolle igitur quietis et securitatis excusationem, cum tibi sumas adversarium superiorem: nobis satis sit privatas et nostri sæculi controversias tueri.' Quod de assensu adversus principem dixi, fallax conjectura non est, si hæc saltem percurras, quæ eadem tempestate gesta sunt, teste Tac. Hist. IV. ' Ubi ad Helv. Priscum prætorem designatum ventum, promsit sententiam, ut honorificam in bonum principem; ita falsa aberant, et studiis senatus attollebatur; isque dies illi præcipuus, magnæ offensæ initium, et magnæ gloriæ fuit.' *Salinerius.*

Ex his] Hinc ingentes excitari assensus, hinc in ipsis auditoriis te præcipue laudari. Nam paulo ante, ' effervescit pulcherrima vis naturæ tuæ,' &c. ' Meditatus videris elegisse personam,' &c. At responderi possit, hinc te præcipue laudari: hoc verum. Sed hinc etiam jam nulla tibi quies aut securitas: jam non potes talia afferre aut prætexere. Nam *omnium sermonibus* jam differris, jam tibi sumsisti *adversarium superiorem*, id est, potentiorem, quam ipsi oratores. Illi offendunt privatos et cives sibi æquales, et suæ fortunæ homines; at tu offendis dominantes, quorum altior ira et superior. *Nobis* oratoribus satis est *privatas*, civium scil. et æqualium *et nostri sæculi* controversias tueri, non Thyestis, aut Medeæ, non Domitii, aut Catonis, quæ sunt superiorum et priscorum sæculorum argumenta.

Assensus] Plin. Epist. II. 10. Octavio: ' Recita saltem, quo magis libeat

pue laudari, et mox omnium sermonibus ferri. Tolle[h] igitur quietis et securitatis excusationem, cum tibi sumas adversarium superiorem: nobis satis sit, privatas et nostri sæculi controversias tueri, in quibus[17] expressis[i] si quando necesse sit, pro periclitante amico potentiorum aures offendere, et probata sit fides et libertas excusata.

11. Quæ cum dixisset Aper acrius,[p] ut solebat, et intento[1] ore,[q] remissus[r] et subridens Maternus, Paravi,[2] inquit,

[p] *Acriter, vehementer.* [q] *Non sine contentione vocis.*
[r] *Lenis, quietus, pacatus.*

Sed in vulg. intelligitur vates ipse, non opus. *Oberlin.*—17 Pro his verbis fortasse: *in quibus expressit si quando necessitas.* Lipsius. Sudant interpretes. Acid. fatetur, se non capere, quid sit *expressis.* Schulting. conjicit *in quibus et professis,* quod multo obscurius. Schelius Lipsii conjecturam probat. Schulzius cum Heumanno delet τὸ *expressis,* quasi glossema. Mihi *expressis* idem est ac expositis. Sic Cic. pro Archia c. 9. hac voce utitur: 'Mithridaticum bellum... totum ab hoc expressum est.' *Idem.*

1 Frustra tentat Acidalius, *et intentior.* Brotier.—2 Corrupte Mss. *parant.*

NOTÆ

emittere, utque tandem percipias gaudium, quod ego olim pro te non temere præsumo. Imaginor enim qui concursus, quæ admiratio te, qui clamor, quod etiam silentium maneat, quo ego, cum dico, non minus quam clamore delector. Sit modo silentium acre et intentum, et cupidum ulteriora audiendi.'

Hinc et ipsis] Scribe: *Hæc in ipsis auditoriis præcipue laudari.* Gronovius. Non necesse est. *Laudari,* subintellige eum, qui recitat, aut supple, *te:* vel etiam lege: nam statim, *tolle igitur, &c.*

Hinc ingentis] *Hinc ingentis existere assensus.* Acidalius. Scribe: *Hic ingentes excitari assensus.* Plin. Epist. 4. 'Disponit qui nuntient sibi, quem assensum, quos clamores excitarim.' Forte *hic ingentis ex his assensus.* Vel τὸ *ex his* forte glossema sit.

[h] *Tolle*] Et hinc igitur tollere, nec afferre aut obtendere debes quietis et securitatis prætextum, quo te defendis.

[i] *In quibus expressis*] *In quibus expressit si quando necessitas.* Lipsius. Fabius l. x. 7. 'Namque et difficiliorem cogitationem exprimit et expolit dicendi necessitas.'

In quibus expressis] Τὸ *expressis,* vel vacat et delendum est, vel leg. *causis.* Forte glossema fuit harum vocum, *si quando necesse sit offendere,* quod sic explicabant: Si quandoque causa aut vis necessitas *expressit potentiorum aures offendere,* pro causa scil. amici tuenda, &c. Etsi absit illa vox *expressis,* tamen constat et cohæret plena sententia, sic: Nobis oratoribus *satis sit privatas... controversias tueri;* in quibus causis defendendis, si quandoque necesse sit pro periclitante amico potentiorum aures offendere, tum et probata tamen erit fides nostra, et libertas excusata, scil. *necessitudine officii,* et jure ac religione patrocinii. Certe inimici, aut adversi et æmuli oderint ad præsens fidem eam et libertatem; sed eam ipsam fidem mox admirabuntur, et amabunt etiam in hoste.

me, non minus diu accusare oratores, quam Aper laudavit.[3] Fore enim arbitrabar, ut, a laudatione eorum digressus,[a] detrectaret[j] poëtas atque carminum studium prosterneret: arte[4] quadam[k] mitigavit, concedendo his, qui causas agere non possent, ut versus facerent. Ego autem, sicut in causis agendis efficere aliquid et[5] eniti[l] fortasse possum, ita recitatione[m] tragœdiarum ingredi[6] famam auspicatus sum, tum quidem, cum in Nerone improbatam[7] [n] et studiorum quoque

[a] *Discedens, scil. laudatione eorum perfunctus.*

Editiones veteres, *parat.*—3 Sic Acid. quod recepi cum Heum. et Schulzio. Vulgo legitur *laudat:* et sic Brotierus cum Ryckio et Gronov. Ille autem cum Lipsio mallet *laudare.* Bipont. quoque *laudat.* Mss. Vatic. *laudaverat.*—4 Acidalius frustra addit, *id arte quadam.* Brotier.—5 Ita Lipsius et recentiores. In editione principe, *efficere ut niti.* Puteolanus omisit, *efficere ut:* retinuit tantum, *niti.*—6 *Et ingredi* Mss. Vatic.—7 *Improbam* scribit Broterius, Gronovius Ryckiusque: *improbatam* Pichena scribendum monet; cui et

NOTÆ

[j] *Detrectaret*] Sic infra: 'Plures hodie reperies, qui Ciceronis gloriam quam Virgilii detrectent.'

Detrectaret] Detraheret seu obtrectaret laudi poëtarum; deminueret gloriam carminum, ac studium illud funditus everteret.

[k] *Arte quadam*] Temperamento quodam rem seu controversiam conciliavit ac diremit, *concedendo, &c.* Ego autem partim feci versus, partim causas egi, juvenis carmine famam auspicatus, dein et forensi labore facundiam meam expertus sum.

[l] *Efficere aliquid et eniti*] Cicero divinatione in C. Cæcilium, 'in quo ego quid eniti aut efficere possim.'

[m] *Recitatione*] Quæ *recitatio* compositionem supponit.

[n] *Improbatam*] Vulgo *improbam.* Plinius post enumeratos principes, qui carmina fecerunt, sic habet Epist. v. 3. 'Neronem enim transeo; quamvis sciam non corrumpi in deterius, quæ etiam a malis aliquando, sed honesta manere, quæ sæpius a bonis fiunt.'

Improbam] Improba et improbata omnia in Nerone propter sævitiam, propter scelera et parricidia. Etiam studia, quæ in aliis *sacra,* in ipso *improba;* quorum scil. æmulatu subvertit occiditque Senecas et Lucanos, &c. Sed non video, quid hic rei sit Vatinio cum studiis et carminibus. Nam quid ille 'sutrinæ tabernæ alumnus,' ut Tacito describitur Ann. l. xv. quam famam, quam gloriam aut potentiam in studiis adipisci potuit sordidæ pueritiæ nebulo? Potius redundat illa vox *vaticinii,* et inducta est. Nam sensus totus recte constat, etiam si absit: scil. interpretati sunt *studiorum sacra* per τὸ *vaticinii.* Nisi forte sic ordinaveris verba hæc, *cum in Nerone improbam et studiorum quoque ac vaticinii sacra profanantem potentiam fregi.* Forte transposita illa vox, attamen et sic intelligi potest. Hæc certe *improba potentia* Neronis, quæ scil. *sacra* vatum studiorumque arcana violaret ac pollueret. Quid magis impium aut profanum, quid magis adversum sacris castisque musis

sacra profanantem Vatinii[8] potentiam fregi: et[9] hodie, si quid in nobis notitiæ[o] ac nominis est, magis arbitror carminum, quam orationum, gloria partum: ac jam me sejungere[10] a forensi labore constitui;[p] nec comitatus istos et egressus[11] aut frequentiam salutationum[12] [q] concupisco: non magis quam[13] æra[r] et imagines, quæ etiam, me nolente, in domum meam irruperunt. Nam statum hucusque[14] ac securi-

consentit Gronovius.—8 Male libri omnes editi, *vaticinii*. Et sic Ryckius et Gronovius. Emendandum *Vatinii*, recte monuere eruditi viri J. Fr. Gronovius et de la Monnoye. *Brotier*.—9 *Et* abest ab editionibus veteribus. Lipsius reposuit e Romano libro.—10 Mss. Vatic. et editiones veteres, *dejungere*. —11 Mallet Pithœus, *et gressus*.—12 Schelius et Schurzfleischius mallent, *salutantium*. Sic infra c. 13. *fremitus salutantium*.—13 Acidalius *illa æra*.—14

NOTÆ

poëtarum et carminum, quam incesta et parricidia Neronis, quam cetera vitæ flagitia et scelera! 'Dignum tamen illum, qui hæc ipsa studia incesti scelere macularit,' ait Plinius Epist. IV. 11. de Valerio incesti cum Cornelia Vestalium Maxima damnato. Sed forte id non referendum ad moralem malitiam, sed ad ipsum carmen: ut neque petenti, quis versus Virgilii perfectissimus esset, non satis ad rem responsum: 'Discite justitiam moniti, et non temnere Divos.' Quare aliam interpretationem substituemus.

Improbam] Plin. Epist. IX. 26. 'Cur hæc? quia visus es mihi in scriptis meis annotasse quædam, ut tumida, quædam ut sublimia, aut improba audienti, aut nimia, quæ ego plena arbitrabar. Plurimum autem refert reprehendenda annotes, an insignia. Omnis enim advertit, quod eminet et extat; sed acri intentione dijudicandum est, immodicum sit, an grande, altum, an enorme,' &c. Quid *improbum* dixerint, patebit, ex hoc Suet. Vesp. 23. 'Utebatur et versibus Græcis tempestive satis: et de quodam proceræ staturæ, improbiusque nato, μακρὰ βιβὰς κραδάων δολιχόσκιον ἔγχος *longis passibus gradiens, vibrans longam ex se jaculantem hastam*. *Improbum* est in genere eloquentiæ, quod Plinius *grande*, *immodicum* et *enorme* vocat. Tales versus Neronis; 'Sub terris tonuisse putes;' quod Lucanus irrisit et increpuit, sed exitio suo. Et illud: 'Torva Mimalloneis implerunt cornua bombis.' Quid, quæso, improbius natum?

[o] *Notitiæ*] Famæ, gloriæ, claritudinis.

[p] *Sejungere a forensi labore constitui*] Plin. Epist. I. 11. 'Soleo nonnunquam ...de his occupationibus apud Euphratem [philosophum] queri. Ille me consolatur, affirmat etiam esse hanc philosophiæ, et quidem pulcherrimam partem, agere negotium publicum, cognoscere, judicare, promere et exercere justitiam, quæque ipsi [sapientes] doceant, in usu habere.'

[q] *Salutationum*] Forte, *salutantium*: sed parum refert.

[r] *Æra*] Statuas, titulos. De titulis Plin. Epist. III. 6. ubi de Corinthio signo: 'Tu ergo . . . suscipe hanc curam. Et jam nunc jube basim fieri, ex quo voles marmore, quæ nomen meum honoresque meos capiat.'

tatem[s] melius innocentia tueor, quam eloquentia: nec vereor, ne mihi unquam verba in Senatu, nisi pro alterius discrimine, facienda sint.

12. Nemora vero et luci et secretum ipsum, quod Aper increpabat, tantam mihi afferunt voluptatem,[t] ut inter præ-

Ita emendat Lipsius, et bene quidem, et edidit Ernestus. Male in Mss. Vatic. et editionibus veteribus, *cujusque*. In mediis editionibus, *hujusque*. Schultingius mallet *quoque*. Brotier.

NOTÆ

[s] *Statum cujusque ac securitatem*] Respondent his, quid erit tutius, quam eam exercere artem, qua semper armatus, præsidium amicis, opem alienis, salutem periclitantibus præstare queas? Maternus oratores sui temporis acerbe perstringit, qui toti delationibus vacabant. Ego, ait, qui diu ab eloquentia oratoria desuevi, plus hominibus consulo mea innocentia, id est, dum neminem defero, quam oratores isti, quorum eloquentia tot illustres viros pessumdedit. *Salinerius.*

Statum cujusque] Alii aliter reponunt: *Nam statum huc usque ... melius innocentia tueor.* Lipsius. *Nam statum cujusque ac securitatem melius innocentia tuetur, quam eloquentia.* Pichena. Sed melius, *tueor:* nam et postea, *non vereor.* De se Maternus loquitur, et respondet illi parti orationis Aprinæ, qua eloquentiam pro telo et munimento esse voluit ad propulsanda pericula, ut recte Lipsius annotavit.

Tuetur Salinerius lectionem, *cujusque*, hoc sensu: quasi omnium salutem tueretur *melius innocentia* sua, dum neminem defert, *quam eloquentia* illa sanguinante. Sed frustra. Nam quis dicatur proprie alios tueri innocentia sua, dum nemini injuriam infert, et quia neminem defert? Potius id socordia videatur fieri, quam *innocentia.* Debet esse armatus, quicumque alios tuetur proprie. Potest forte se ipse tueri innocentia vitæ, quæ tamen et telo munimentoque sæpe indiget adversus scelus et improbitatem hominum et delatorum. Nec dicit ipse Maternus, se, aut alium tueri innocentia sua absolute, sed *statum cujusque ... melius innocentiam tueri, quam eloquentiam.* Nec certe sola sua innocentia quis tuetur alios, qui scil. *in senatu pro alterius discrimine verba* facere possit.

Nam statum] Sensus est: Jam me sejungere a forensi labore constitui, nec volo frequentiam salutationum, nec statuas et imagines. Nam *statum* ac *securitatem* meam hactenus melius innocentia mea tueor, quam eloquentia; et propter innocentiam hanc, non vereor, ne mihi habenda sit oratio in senatu pro meo discrimine. Nec intelligit, quasi securitatem aliorum melius tueretur hactenus innocentia sua, quia scil. neminem deferret. Nam et addit, eloquentia sua uti se paratum esse *pro alterius discrimine.* An alios tuetur proprie aliquis, quia neminem lacessit? An ille innocentia sola tuebitur periclitantes amicos, cum deferentur ab aliis?

[t] *Nemora vero et luci et secretum ipsum....tantam mihi afferunt voluptatem*] Quintilianus x. 3. 'Secretum atque liberum arbitris locum, et quam altissimum silentium scribentibus maxime convenire nemo dubita-

cipuos carminum fructus numerem, quod nec in strepitu, nec sedente ante ostium litigatore, nec inter sordes[u] ac lacrymas reorum componuntur; sed[v] secedit animus in loca pura atque innocentia,[w] fruiturque sedibus sacris.[x] Hæc eloquentiæ primordia,[y] hæc penetralia:[z] hoc primum habitu cultuque commoda[1] [a] mortalibus, in illa casta,[b] et nullis

1 Bene Muretus et Schelius emendant, *commendata.* Non ita feliciter

NOTÆ

verit. Non tamen protinus audiendi, qui credunt aptissima in hoc nemora sylvasque, quod illa loci libertas locorumque amœnitas sublimem animum et beatiorem spiritum parent.' Cicero de Orat. II. 'Eæ [res et sententiæ] vi sua verba parient, quæ semper satis ornata mihi quidem videri solent, si ejusmodi sunt, ut ea res ipsa peperisse videatur. Mihi certe jucundus hic magis quam studiorum hortator videtur esse secessus.' Et mox: 'Quare sylvarum amœnitas et præterlabentia flumina et inspirantes ramis arborum auræ volucrumque cantus, et ipsa late circumspiciendi libertas ad se trahunt, ut mihi remittere potius voluptas ista videatur cogitationem, quam intendere.'

Nemora] Plin. Epist. I. 6. 'Jam undique sylvæ, et solitudo, ipsumque illud silentium, quod venationi datur, magna cogitationis incitamenta sunt. Proinde cum venabere, licet auctore me, ut panarium et lagunculam, sic etiam pugillares feras. Experieris non Dianam magis montibus, quam Minervam inerrare.'

[u] *Sordes*] Squalorem, pædorem; quod de cultu simul et habitu reorum intelligitur.

[v] *Sed*] Sed quia *secedit animus.* Sed tunc secedit animus, &c.

[w] *In loca pura atque innocentia*] Plin. Epist. I. 9. de Laurentino suo: 'Nihil audio, quod audisse, nihil dico, quod dixisse pœniteat. Nemo apud me quenquam sinistris sermonibus carpit; neminem ipse reprehendo, nisi unum me, cum parum commode scribo; nulla spe, nullo timore solicitor, nullis rumoribus inquietor: mecum tantum et cum libellis loquor. O rectam sinceramque vitam! O dulce otium, honestumque, ac pæne omni negotio pulchrius! O mare, o littus verum, secretumque μουσεῖον, quam multa invenitis, quam multa dictatis!'

Pura] Sancta, casta, ab omni labe vitiorum pura et exemta, *nullis contacta vitiis.*

[x] *Sacris*] Sacra, quia pura; aut quia rei sacræ, seu studiis sacris destinata; aut quia Diis, seu nymphis Dryadibus sancta loca hæc.

[y] *Primordia*] Initia, incunabula, seu origo. Hæc forte etiam initia et arcana, seu mysteria. Sic apud Tac. lib. de mor. Germ. 39. 'Stato tempore in sylvam auguriis patrum et prisca formidine sacram . . . coëunt . . . celebrant barbari ritus horrenda primordia.' Et infra; 'eoque omnis superstitio respicit; tanquam inde initia gentis, ibi regnator omnium Deus,' &c.

[z] *Hæc penetralia*] Hæc templa, hæc adyta, sacra musis.

[a] *Hoc primum habitu . . . commoda*] Alii, *comta*, alii, *commodata*, alii, *commendata* legunt. Fabius l. VIII. 3. 'Cultu atque ornatu se quoque commendat, qui dicit.' Idem l. I. 6. 'Ve-

contacta vitiis, pectora influxit: sic oracula[c] loquebantur. Nam lucrosæ[2] hujus et sanguinantis[3] eloquentiæ usus, recens[d] et malis moribus natus,[e] atque, ut tu dicebas Aper, in

Lipsius, *commodata* vel *comta*. Brotier.—2 Male quidam conjiciunt, *luctuosæ*. Idem.—3 Quidam emendant *saginantis*. Bipont. malint *sanguinariæ*.—

NOTÆ

tera majestas quædam, et ut sic dixerim, religio commendat.' Merito autem dixit, *hoc primum habitu cultuque* commendatam mortalibus eloquentiam, cum apud ignotos, eosque, quibus satis notæ non sunt, commendatione egeant virtus et præclaræ dotes; non autem apud eos, quibus penitus perspectæ sunt Martialis: 'Hoc satis est, alios commendet epistola, peccat Qui commendandum se putat esse suis. *Schelius*. Sed melius, *commodata*. Nam sic sanctius et innocentius *commodata mortalibus* eloquentia, dum nemoribus, et secreto se commodat, et puris sacrisque sedibus, in quas secedit perinde castus purusque animus, quam *inter sordes ac lacrymas reorum*. Sic certe *habitus* illius cultusque simplex, innocens, sanctus, castus: et in ea simplicitate ac sanctitate, *primum commodata mortalibus;* similibusque pectoribus *influit* atque illabitur, et *sic oracula loquebantur*, etiam antiquitus. Sic certe primo *commodata* eloquentia primis sæculis: at mox lucrosa hæc, et sanguinaria, et vere parricidialis eloquentia nuper ex scelere exorta, et in exitium generis humani reperta.

Hoc primum habitu] Primo aspectu desiderari aliquid hoc loco videatur, quia *de habitu cultuque* eloquentiæ antiquæ nihil præcessit; sed puto repetendum et intelligendum esse hunc *habitum cultumque* ex his, quæ præcedunt, 'nec in strepitu, nec sedente ante ostium litigatore, nec inter sordes ac lacrymas reorum componuntur.' Non ergo componitur aut ornatur eloquentia carminum inter vincla reorum et lacrymas. Ornatus ejus longe magis innocens, et purus a flagitiis, et cruento illo cultu *sanguinantis eloquentiæ*, qui *ex malis moribus*, et ex vitiis et sceleribus delatorum ortus est. Quæ eloquentia armis et telis munita atque horrida, aut tuetur reos, aut lacessit perinde sceleratos: et quod immanius est, hæc sæpe innocentes oppugnat et occidit; hæc spoliat opes, sæpe et simul effundit cruorem. *Habitu cultuque* longe maxime puro ac sanctissimo sese *primum* commodavit *mortalibus* nostra hæc eloquentia.

[b] *In illa casta*] *Pectora* vatum intelligit, quæ sic opponit pectoribus oratorum, seu sanguinariorum delatorum; quæ scil. flagitiis, sceleribus, ac parricidiis contaminata, impia, execrabilia, atque intestabilia erant.

[c] *Sic oracula*] Scil. composito carmine loquebantur oracula, et Plutarchus causam quærit, cur sic loqui desierint.

[d] *Recens*] Cœpit primum a Tiberio præcipue et Caio principibus, duravit sub Nerone, dein et sub Domitiano.

[e] *Nam lucrosæ hujus et sanguinantis eloquentiæ usus, recens et malis moribus natus*] Malos oratores, qui subito divites evaserunt, sacrilegis et sycophantis jungit Aristophanes Pluto. Ἕτεροι δ' ἐπλούτουν ἱερόσυλοι, ῥήτορες, Καὶ συκοφάνται καὶ πονηροί· *Alii vero divitias parabant, sacrilegi, rhetores, Et sycophantæ seu delatores, et quotquot pessimi homines sunt*. Demosthenes ipse: 'Quorum alii quidem ex pau-

locum teli repertus. Ceterum felix illud, et, ut more nostro

NOTÆ

peribus opulenti evaserunt, alii vero ex obscuris et ignobilibus illustres. Quidam vero privatas suas ædes publicis hospitiis splendidiores ædificarunt; et quanto magis publicæ opes imminutæ sunt, tanto magis divitiæ illorum increvere.' Sed hæc si in potentes dicantur, calumniæ sunt, his quidem moribus; quantumvis vera sint, 'et ipsi quidem latrones, nunc se negotiatores appellant;' ut de suo ævo scribit Philosophus in tertio Rhetor. *Schel.*

Lucrosæ] Plin. Epist. v. 14. 'Nigrinus tribunus plebis recitavit [in senatu] libellum disertum et gravem, quo questus est venire advocationes, venire et prævaricationes, in lites coiri, et gloriæ loco poni, ex spoliis civium magnos et statutos reditus. Recitavit capita legum, admonuit senatusconsultorum, in fine dixit petendum ab optimo principe, [Trajano] ut quia leges, quia senatusconsulta contemnerentur, ipse tantis vitiis mederetur. Pauci dies, et liber principis severus, et tamen moderatus ... Quam me juvat, quod in causis agendis, non modo pactione, dono, munere, verum etiam Xeniis semper abstinui: [de se loquitur Plinius.] Interim fruor voluptate, cum alii divinum me, alii meis rapinis, meæ avaritiæ occursum, per ludum ac jocum dictitant.' Et l. v. 21. de Nepote prætore desig. 'Suberat edicto senatusconsultum hoc: omnes, qui quid negotii haberent, jurare prius quam agere jubebantur, nihil se ob advocationem cuiquam dedisse, promisisse, cavisse. His enim verbis ac mille præterea et venire advocationes, et emi vetabantur. Peractis tamen negotiis, permittebat pecuniam duntaxat decem millium dare.' 10 millia sunt 500. coronati.

Lucrosæ hujus ... eloquentiæ] Plin. Epist. III. 20. de Regulo: 'Et hic hæreditates, hic legata, quasi mereatur, accipit; (ἀλλὰ τί διατείνομαι) in ea civitate, in qua jam pridem non minora præmia, immo majora, nequitia et improbitas, quam pudor et virtus habent. Aspice Regulum, qui ex paupere et tenui, ad tantas opes per flagitia processit, ut ipse mihi dixerit, cum consuleret, quam cito sestertium sexcenties impleturus esset,' &c.

Et sanguinantis eloquentiæ] Fortasse leg. *et saginantis*, ut ad lucrum et commodum hæc tantum referat. Nam *sanguinare* probum quidem verbum, sed non ad aliud quam ad sanguinem sponte et ex se emittere. 'Artus sanguinantes,' 'vulnera sanguinantia,' in Quintiliani declamationibus mihi lecta. Quæ significatio parum hic apta, si ad accusationes et sanguisugam illam eloquentiam respexit. *Lipsius.* At certe tela *sanguinantia*, Latinum est, ut *usus* hujus eloquentiæ *telum* dicitur, *atque*, ut dicebat Aper, *in locum teli repertus.* Eloquentia *telum* est, quo absterrere hostem; et quo emittere, atque effundere sanguinem pro nutu aut necessitate possis. Non solum *lucrosa* est, sed etiam cruenta et sanguinaria hæc eloquentia: in delatoribus certe utrumque habuit *usum*, ut opes scilicet et sanguinem reorum sæpe vel ipsorum innocentium effunderet. Nec fere potest esse ipsa eloquentia *lucrosa*, ac *saginans*, quin simul et *sanguinans*, seu sanguinaria sit: quod patet ex Tac. passim, et præcipue Hist. IV. 42. ubi de Regulo Neroniano delatore, qui 'Crassorum et Orfiti domus in summum odium extulerat, et sponte ex SC. [vel ex se] accusationem subierat;' unde haud

loquar, aureum sæculum, et oratorum et criminum inops, poëtis et vatibus abundabat,[4] qui bene facta canerent,[f] non qui male admissa[t] defenderent. Nec ullis aut gloria major,[5 g] aut augustior honor: primum apud Deos, quorum proferre responsa[u] et interesse epulis ferebantur:[6] deinde apud illos Diis genitos sacrosque Reges, inter[h] quos neminem causidicorum, sed Orphea ac Linum, ac, si introspicere altius[i] velis, ipsum Apollinem accepimus: vel, si hæc fabu-

[t] *Commissa crimina.*

[u] *Pronuntiare, edere oracula.*

4 Ita Mss. Vatic. et sic recte conjecerant Muretus et Acidalius. Male in libris ante Ernestum editis, *abundat:* [et sic scribit Ryckius et Gronov.] *Brotier.*—5 Sic bene Lipsius e Ms. Farnes. in quo, *gloria more.* Mss. Vatic. *gloria in ore.* Pessime editiones veteres, *nec aut illud clamore.....aut angustiæ honor.* Sic quoque in Mss. Vatic. post *gloria in ore*, est duorum triumve verborum lacuna. Unde forte olim scriptum fuit, *nec ullis aut gloria major unquam contigit, aut augustior honor.* Brotier.—6 Heumannus mallet *dignarentur*, pas-

NOTÆ

dubie exitium Crassi. Et in hunc delatorem Regulum sic invehitur Montanus, ibid. 'Sane toleremus istorum defensiones; qui perdere alios, quam periclitari ipsi maluerunt. Te securum reliquerat exul pater, et divisa inter creditores bona, nondum honorum capax ætas: nihil quod ex te concupisceret Nero, nihil quod timeret: libidine sanguinis et hiatu præmiorum, ignotum adhuc ingenium, et nullis defensionibus expertum cæde nobili imbuisti. Cum ex funere Reipub. raptis consularibus spoliis, septuagies sestertio saginatus, et sacerdotio fulgens, innoxios pueros, illustres senes, conspicuas fœminas eadem ruina prosterneres,' &c. Itaque *saginans*, et *sanguinans* eloquentia fere eadem fuerit, et vix separantur invicem; et parum interest, quomodocumque legas: qui opes innocentium abripit, simul et sanguinem fundit ac vorat, substantiamque simul et dignitatem familiarum pessumdat, et in exitium affligit. Quod utrumque complexus est Tacitus his verbis, 'libidine sanguinis et hiatu præmiorum, ignotum adhuc ingenium ... nobili cæde imbuisti,' &c. En spoliis, en sanguine sic saginatur eloquentia.

[f] *Poëtis et vatibus abundabat, qui bene facta canerent*] Vulgo *abundat:* sed leg. *abundabat.* Quintilianus I. 10. 'Timagenes auctor est, omnium in literis studiorum antiquissimam Musicen extitisse; et testimonio sunt clarissimi poëtæ, apud quos inter regalia convivia laudes heroum ac Deorum ad citharam canebantur.'

[g] *Nec ullis aut gloria major*] Quam poëtis scil. et vatibus.

[h] *Deinde apud illos Diis genitos sacrosque Reges, inter, &c.*] Quintilianus: 'Orpheus et Linus, quorum utrumque Diis genitum; alterum vero, quod rudes quoque et agrestes animos admiratione mulceret, non feras modo, sed saxa etiam, sylvasque duxisse, posteritatis memoriæ traditum est.'

[i] *Altius*] Id est, si velis ascendere et repetere historias ac fabulas, quæ

losa nimis et composita[j] videntur, illud[7] certe mihi concedis,[8] Aper, non minorem honorem Homero, quam Demostheni, apud posteros: nec angustioribus terminis famam Euripidis aut Sophoclis, quam Lysiæ aut Hyperidis, includi: plures hodie reperies, qui Ciceronis gloriam, quam qui[9] Virgilii,[k] detrectent. Nec ullus Asinii[l] aut Messalæ[m] liber tam illustris est, quam Medea Ovidii, aut[10] Varii[n] Thyestes.

13. Ac ne fortunam quidem vatum, et illud felix[1] contubernium,[o] comparare timuerim cum inquieta et anxia ora-

sive.—7 Ms. Vatic. 1862. *istud.*—8 Heumannus cum Acidal. *concedes.*—9 *Qui* abest a libris editis; et a Ryckio et Gronov. Brotierus reposuit e Mss. Vatic.—10 Ita libri omnes editi. Cum moneat Lipsius deesse antiquo illud, *aut Varii*, sane intelligendum est de Ms. Farnes. quo usus est. *Brotier.*

1 Ms. Vatic. 1862. *istud.* Gronovius autem vel hic lacunam esse, vel emen-

NOTÆ

præcessere ævum, quo floruerent Orpheus aut Linus. Vel, si arcana Deorum ipsorum introscrutari *altius velis*, ex testimonio veterum vatum, Apollo ipse inter Diis genitos reges mensæ assidebat.

[j] *Si hæc fabulosa nimis et composita*] Tacitus Agricola: 'Sive verum illud, sive ex ingenio principis fictum et compositum est.' Fabius: 'Nam illa quæ curam fatentur, ficta et composita etiam videri volunt.' Quid mirum si diversi auctores eodem ævo similiter loquantur?

Composita] Ficta, consulto adornata.

[k] *Quam qui Virgilii*] Plin. Epist. III. 7. de Silio Ital. In villis 'multum ubique librorum, multum statuarum, multum imaginum; quas non habebat modo, verum etiam venerabatur, Virgilii ante omnes: cujus natalem religiosius quam suum celebrabat, Neapoli maxime, ubi monumentum ejus adire ut templum solebat.'

[l] *Asinii*] Asinius est Pollio qui celeberrimus orator, tempore Augusti.

[m] *Messalæ*] Non hic frater Reguli, sed Messala Corvinus, qui Augusteo sæculo floruit. Infra c. 17. 'Nam Corvinus in medium usque Augusti principatum; Asinius pæne ad extremum duravit.'

[n] *Medea Ovidii, aut Varii*] Deest antiquo illud, *aut Varii*. Lipsius.

Aut Varii Thyestes] Recte: et sic editum puto. Nam comparat duos oratores, aut libros eorum cum duobus vatibus; Asinium et Messalam cum Ovidio et Vario.

[o] *Et illud felix contubernium*] Aut vitium hic aut lacuna. Cogitabam, *et illud secum contubernium:* ex Horatio, 'Tecum habita.' Explicat mox 'securum et secretum secessum.' Cicero ad Curionem: 'Tecum loquere; te adhibe in consilium: te audi: tibi obtempera.' *Gronov.*

Contubernium] Τὸ *contubernium* absolute positum pro domo et penatibus; neque importat præcise hic habitationem, vel secum, vel cum aliis.

torum vita.[p] Licet illos[2] certamina et pericula sua[3] ad Consulatus evexerint: malo securum et secretum[4] Virgilii secessum, in quo tamen[5] neque apud Divum Augustum gratia caruit, neque apud Populum Romanum notitia. Testes Augusti epistolæ,[q] testis ipse populus, qui, auditis in theatro versibus Virgilii, surrexit universus, et forte præsentem spectantemque Virgilium veneratus est[r] sic, quasi Augustum. Ne nostris quidem temporibus, Secundus Pomponius Afro Domitio vel dignitate vitæ, vel perpetuitate famæ, cesserit. Nam Crispus et Marcellus, ad quorum[s] exempla me vocas, quid habent[t] in hac sua[6] fortuna concu-

dandum, *et illud secum contubernium*, existimat.—2 Ms. Vatic. 1862. *istos.*—3 Locum hunc Lipsius e suo codice sanavit. Prius legebatur sic*: licet illos agitent certamina et pericula sua et controversiæ.*—4 Mss. Vatic. *et quietum.*—5 *In quo tamen* est a Rhen. prius erat *in quo tum.*—6 Libri omnes editi *in hac præsenti fortuna.* In Mss. Vatic. *in hac sua fortuna*, quod et Brotierus melius

NOTÆ

Intelligit *loca* illa *pura atque innocentia*, in quæ *secedit animus* poëtarum, *fruiturque sedibus sacris:* quæ certe loca præferenda solicitæ et anxiæ oratorum vitæ.

Et illud felix contubernium] Quod intelligendum ex his quæ supra: 'In nemora et lucos, id est, in solitudinem secedendum est:' et mox; 'sed secedit animus in loca pura atque innocentia, fruiturque sedibus sacris.' Dein inferius: 'Nec ullis aut gloria major....primum apud Deos, quorum proferre responsa, et interesse epulis ferebantur: deinde apud illos Diis genitos sacrosque reges,' &c.

p *Anxia oratorum vita*] Plin. Epist. III. 9. 'Jam illa quam ardua, quam molesta, tot reorum amicis secreto rogantibus negare, adversantibus palam obsistere! Referam unum aliquid ex iis, quæ dixi. Cum mihi quidam e judicibus ipsis pro reo gratiosissimo reclamarent, Non minus, inquam, hic innocens erit, si ego omnia dixero. Conjectabis ex hoc quantas contentiones, quantas etiam offensiones subierimus, duntaxat ad breve tempus. Nam fides in præsentia eos, quibus resistit, offendit; deinde ab illis ipsis suspicitur, laudaturque.'

q *Augusti epistolæ*] Quæ collectæ haud dubie in libros; et utinam nunc superessent! Harum fragmenta quædam laudant auctores.

r *Veneratus est*] Salutavit, honoravit: salutabant quippe principem in theatris, et princeps ipse salutabat populum Rom.

s *Ad quorum*] Quorum exemplis adversus me uteris.

t *Quid habent*] *Quid habent in hac* excelsa *fortuna*, quod tantopere cupiant aut ament? *an quod timent? an quod timentur?* Horum neutrum valde amari, immo vitari pro virili debet. An *quod, cum quotidie aliquid rogentur; hi, quibus* favorem et patrocinii operam *præstant*, eo ipso, quod opus

piscendum? an[7] quod timent? an quod timentur? quod, cum quotidie[8] aliquid rogentur, hi, quibus[9] præstant, indignantur?[u] quod alligati[10] adulatione, nec Imperantibus un-

judicat, et recepere Ernest. et Bipont.—7 Sic Bipont. cum Ryckio et Gron. Brotierus omisit *an*, cum Mss. Vatic.—8 Gronovius et Ryckius passim per hunc librum scribunt *cottidie* pro *quotidie*.—9 Lipsius vult *quib. non præstant*. Sed intelligo *quibus præstant officia*. Sic et Schult. qui putat addendum *minus*. Bipont. reddunt *quos antecellunt*. Schelius volebat *his quibus præstant*. Oberl. —10 In libris editis *cum adulat*. Sed præpositio adjecta est insolens: hinc Schulting. mutat in *omnium* vel *humili*; Heumann. in *cautissima*; Schulze in

NOTÆ

his habent, eo quod id valeant, ac præcellant, ipsis indignantur? Vel an ipsi felices quod his ipsis irascuntur, quibus operam exhibent? An, quod alligati et necessario constricti ac devincti cum adulatione, quasi vilia aulæ mancipia; nunquam tamen *imperantibus satis servi videntur*, nec nobis unquam, qui talia assentationum flagitia exhorremus, *satis liberi* censentur? *Quæ* tanta *hæc potentia* eorum est? tantum potestatis in aula habere servi seu liberti solent.

[u] *Hi, quibus præstant, indignantur*] Inepte et falso. Negationem adde, *hi quibus non præstant*. Etsi abesse, alterum membrum sentio periodo plenæ. *Lipsius*. Fallitur. Significat enim quod Florus de Cæsare IV. 2. 'Clementiam principis vicit invidia; gravisque erat liberis ipsa beneficiorum potentia.' Cicero pro Sylla: 'Quam multi summi homines et ornatissimi, et nostri et equestris ordinis, quorum pro salute se hic Syllæ obligavit! Quos ego nominarem: neque enim ipsi nolunt, et huic animo gratissimo adsunt: sed quia majus est beneficium, quam posse debet civis civi dare, ideo a vobis peto, ut quod potuit, tempori tribuatis: quod fecit, ipsi.' Cato apud Plutarchum: 'Nolo gratiam habere tyranno de his quæ male et injuste egerit. Injuste autem egerit, si me incolumem servet; quasi dominus sit eorum, quibus dominari ad ipsum nequaquam pertinet.'

Hi, quibus præstant, indignantur] Maternus ardenter incubuerat in carminum defensionem: 'Vix dum finierat Maternus concitatus et velut instinctus.' Unde mirum in modum extenuat et deducit illa: 'Quid erit tutius, quam eam exercere artem; qua semper armatus præsidium amicis, opem alienis, salutem periclitantibus....ultro feras?' Sicque contra urget: Homines, qui quotidie aliquid petunt a Crispo et a Marcello, ingratum et irritum id omne habent, quod ab iis accepere; quæ res certe acerbissima. Quid enim miserius, quam beneficiis inimicos sibi parare? usque adeo non ipsos patronos inter beatos recensere possis! *Salinerius*.

Scribe: *His quibus præstant*, importunam enim molestiam impudentiamque, qua extorquentur ab invitis beneficia: demonstrant quæ sequuntur: 'Me vero 'dulces,' ut Virgilius ait, 'Musæ' remotum a solicitudinibus et curis et necessitate quotidie aliquid contra animum faciendi.' Quippe 'qui gratias ingrate conferunt, cum etiam benefici videntur, injucunde et illepide de amicis bene merentur,' ut ait Isocrates.

Hi quibus] Certe utraque lectio, *hi*, et *his*, sensum commodum patitur.

quam satis servi[v] videntur, nec nobis satis liberi? Quæ hæc summa eorum[11] potentia est? tantum posse liberti solent. Me vero 'dulces,' ut Virgilius ait, 'Musæ,' remotum[12] a solicitudinibus et curis, et necessitate quotidie aliquid contra animum[w] faciendi, in illa sacra, illosque[13] fontes ferant: nec insanum ultra et lubricum forum[x] famamque pallentem[14][y] trepidus experiar. Non me fremitus salutantium, nec anhelans libertus[z] excitet: nec, incertus futuri,[a]

comi vel *Cæsarum*. Equidem delendam censeo. *Oberl.*—11 Sic bene Lipsius. Prius erat *rerum*. Idem.—12 Veteres Edd. *remotæ*. Emendavit Rhenanus.—13 Mss. Vatic. *ista....istos.*—14 Egregia dictio, a qua manum critici, me judice, abstineant. Sensus satis patet. Temere Schurzfl. substituit *fallentem:* Schulzius, Heumannum secutus, famæ non hic esse locum autumat, legitque *lubricum forum pallens ac trepidus experiar.* Mihi secus videtur. Quo enim *pallens* referatur, nisi ad *famam lubricam fori?* pallet orator, cum populo displicet, cum male rem egisse videtur. *Fama pallens*, metonymica dictio. *Oberl.*

NOTÆ

Sed puto melius: *hi* ipsi *quibus operam opemque præstant, indignantur.* Nam natura hominis maligna indigere se aliena ope indignatur, etiam cum in summo periculo juvatur. Forte etiam quia lente, nec nisi cum magno pretio, nec nisi post longam clientium vexationem et cruciatum, patrocinantes præstant, aut navant hanc operam: hinc ægreferunt etiam *hi*, qui sic juvantur. Et quia vetus ea lectio, præferenda est, præsertim cum sensum commodum parit.

[v] *Nec....unquam satis servi*] Sed contra mediam viam iniri jubet Plinius Epist. IX. 5. 'Egregie facis...ita a minoribus amari, ut simul a principibus diligare. Plerique autem dum verentur, ne gratiæ potentium nimium impertire videantur, sinisteritatis, atque etiam malignitatis famam consequuntur.' *Alligati* dicuntur, quia hi quasi vinculis perpetuis astricti, et quasi necessitate adacti ad serviendum: qui licet liberi venissent in aulam, tamen jam servi forent. Primum ultro ingrediuntur aulam et servitutem, saltem liberi ingredi videntur, aut sic videri volunt: at mox necessario serviunt dominantibus.

[w] *Contra animum*] Contra libitum et affectum: forte et, contra conscientiam.

[x] *Nec insanum ultra.....forum*] Plin. Epist. II. 3. 'Quo genere hominum [scholasticorum] nihil aut simplicius, aut sincerius, aut melius. Nos enim, qui in foro verisque litibus terimur, multum malitiæ, quamvis nolimus, addiscimus. Schola et auditorium, ut ficta causa, res inermis, innoxia est, nec minus felix, senibus præsertim. Nam quid in senectute felicius, quam quod dulcissimum est in juventa?'

[y] *Famamque pallentem*] Quia, scil. ex magna fama periculum, et sæpe exitium: hinc metus, hinc pallor.

[z] *Nec anhelans libertus*] Scil. proprius libertus, qui de se et salute domini valde solicitus urgeat, instet, et eum de repente excitet a somno: ut, imminente gravi discrimine, quod

testamentum pro pignore scribam:[b] nec plus habeam, quam quod possim, cui velim, relinquere, quandocumque fatalis et meus dies veniet:[15][c] statuarque tumulo, non mœstus[d] et atrox, sed hilaris et coronatus: et pro memoria mei[e] nec consulat quisquam, nec roget.[f]

14. Vixdum finierat Maternus, concitatus et velut instinctus, cum[1] Vipstanus[2][g] Messala cubiculum ejus ingressus

—15 Mss. Vatic. *veniat*. Legitima scribendi ratio postulat *venerit*. Ernest.
1 Mss. Vatic. *tum*.—2 Perperam veteres editiones, *Urbanius* vel *Urbanus*.

NOTÆ

præpotentibus sæpe contingit.

[a] *Nec incertus futuri*] Incertus scil. impendentis periculi; incertus, quid agitent delatores, quid liberti aut magistri dominationis, quid statuat de morte, aut post mortem princeps, an testamentum erit ratum, &c.

[b] *Testamentum pro pignore scribam*] Quod fecere multi divites et opulenti, et ipse Agricola c. 43. 'Satis constabat, lecto testamento Agricolæ, quo cohæredem optimæ uxori et piissimæ filiæ Domitianum scripsit, lætatum eum,' &c. Nempe scripserat *testamentum* vir bonus et optimus pater *pro pignore*, ut sic scil. opes suas ex parte, familiæ et liberis conservaret: ne, scil. totas eas auferret malus dominator, partem earum *pro pignore* relinquit, amittit: quia scil. plus habuit, quam quod posset, cui vellet, relinquere.

[c] *Quandocumque fatalis et meus dies veniet*] C. Severus: 'Fusique per herbam Hic meus est, dixere, dies.'

Quandocumque] Cum fato meo, et miti obitu scil. moriar.

[d] *Non mæstus*] Non tristis et iratus, non per dolorem et iram infensus Diis hominibusque, et præsertim dominantibus.

[e] *Et pro memoria mei*] Pro gloria nominis. An scil. retineam vocabulum post fata, an infamanda ac damnanda sit memoria nominis, an dejiciendæ et conflandæ imagines?

[f] *Nec consulat quisquam, nec roget*] Consulat vates, roget principem. Quid ita? quia crebrum, ut memoria damnaretur defunctorum, id est, tituli, imagines, honores. *Lipsius*.

Malim *consulat*, id est, referat ad senatum: quem his rebus interponebant ipsi principes. §. 3. Inst. de Jud. 'Cujus pœna animæ amissionem sustinet, et memoria rei etiam post mortem damnatur.' Lapis: M. Annæo. Lucano. Cordubensi. beneficio. Neronis. fama. servata. Artemidorus Œneirocrit. I. 5. 'Ita ut moriens nequidem suum retineat nomen. Hos enim solos ex defunctis non appellant propinqui in conviviis funerum, aut novendialibus cœnis.' *Gronovius*.

Nec consulat quisquam] Potuerunt forte consuli advocati et patroni de causa, de crimine: potuerunt etiam consuli vates, oracula, præcipue Chaldæi et Mathematici an decus servaretur; an *gloria post cineres*, quæ altera, et nova quasi vita fuit. Potuerunt consuli liberti aulæ potentissimi; potuit forte consuli et rogari ipse princeps, an servaretur *memoria*, an vim habiturum foret testamentum. Sed non puto fuisse consultos patres in talibus, nisi forte amicos

est, suspicatusque ex ipsa intentione[v] singulorum, altiorem[h] inter eos esse sermonem: Num parum tempestivus, inquit, interveni, secretum consilium et causæ alicujus meditationem tractantibus?

Minime, minime, inquit Secundus, atque adeo vellem maturius[w] intervenisses: delectasset enim te et Apri nostri accuratissimus sermo, cum Maternum, ut omne ingenium ac studium suum ad causas agendas converteret, exhortatus est, et Materni pro carminibus suis læta,[x] utque poëtas defendi decebat, audentior,[3] et poëtarum quam oratorum similior, oratio.

Me vero, inquit,[y] et sermo ipse infinita voluptate affecisset, atque id ipsum delectat, quod vos, viri optimi et tempo-

[v] *Summa attentione.* [w] *Prius, citius.*
[x] *Florida, amœna, luxurians.* [y] *Inquit Messala.*

Brotier. Gronovius habet *Vipsanius:* Brotierus *Vipstanius.*—3 Male in veteribus editionibus, *audenter.* In recentibus autem perperam omissa copula *et,*

NOTÆ

quosdam, qui famam et rumores aulæ, et imperitantium sensa subodorarentur ac renuntiarent. Nam quid tum senatus sub Nerone et malis principibus, nisi ludibrium, nisi vana imago prisci senatus? cujus nomine et prætextu illudebatur legibus, ipsis patribus, urbi, orbi et generi humano? Si quid recte aliquando agerent dominantes, ultro ipsi agebant nemine consulto, sed semper cum prætextu senatus occidebant illi, et grassabantur: quasi sic invidiam publicam in senatum rejecturi, et ut crimen a se amolirentur, aut saltem dividerent, et sic elevarent.

Nec consulat] Potuerunt tali casu consuli amici, parentes, et propinqui, qui potentiores essent apud principem, et melius nossent ejus cogitationes. Sic et potuerunt consuli liberti prævalidissimi et magistri dominationis, et ceteri, qui in gratia flagranti, et potuerunt rogari: sed præcipue post prædicta consulta potuit rogari princeps, cujus rei causa mittebantur epistolæ, etiam præsenti in urbe Cæsari; quarum mentio sæpe apud Tacitum.

[g] *Cum Vipstanus*] Frater Reguli de quo Tacitus Hist. III. 'Legioni tribunus Vipstanus Messala præerat claris majoribus, egregius ipse, et qui solus ad id bellum bonas artes attulisset.' Et IV. 'Magnam eo die pietatis eloquentiæque famam Vipstanus Messala adeptus est; nondum senatoria ætate, ausus pro fratre Regulo deprecari.'

[h] *Altiorem*] Altioris scil. sensus, et qui profundiorem cogitationem meditationemque postularet: nam statim addit; 'secretum consilium et causæ alicujus meditationem tractantibus.'

rum[j] nostrorum oratores,[4] non forensibus tantum negotiis et declamatorio studio[k] ingenia vestra exercetis, sed ejusmodi etiam disputationes[l] adjungitis,[5] quæ et ingenium alunt, et eruditionis[6] et literarum jucundissimum oblectamentum, cum vobis, qui illa disputatis, afferunt, tum etiam his, ad quorum aures pervenerint. Itaque Hercule non minus probari video in te, Secunde, quod, Julii Asiatici vitam componendo,[m] spem hominibus fecisti plurium[7] ejusmodi librorum, quam in Apro, quod nondum a scholasticis controversiis recessit, et otium suum mavult novorum rhetorum[n] more, quam veterum oratorum, consumere.

Tum Aper: Non desinis, Messala, vetera tantum et anti-

quæ in Mss. Vatic. et veteribus editionibus occurrit. *Brotier.*—4 Languere sensum judicant Urs. Mur. Acid. roborantque repetito *optimi*, adjecto ad *oratores*. Immo Schurzfl. mutat legitque *vos vere optimi t. n. o.* Parum tanto molimine opus esse puto. Vulgatum sat bene procedit. *Oberl.*—5 Ita libri editi. In Mss. Vatic. 1862. et 4498. *assumitis*. In Ms. Vatic. 1518. *et sumitis*. —6 In veteribus editionibus, *eruditiones*. Rhenanus emendaverat, *eruditionem*. Melius Rodolphus Agricola et Lipsius, *eruditionis*. Brotier.—7 Ita editiones veteres et recentiores. Male Beroaldus, *plurimum*. Unde Muretus emendabat, *plurimam*. Idem.

NOTÆ

[j] *Viri optimi et temporum*] Ursinus mallet *viri optimi et optimi temporum*, cum in vulgatis desit alterum *optimi*, a librario non repetitum. At non statim repeteret eandem vocem: ninil mutandum, nisi ex Mss. auctoritate.

[k] *Declamatorio studio*] Non intelligit declamationem, quæ umbratica sit, et in scholis tantum exercita. Veras pugnas intelligit, in foro scil. Attamen infra, *quam in Apro*, quod nondum a *scholasticis controversiis* recessit. Sicque studia tripliciter distingueret, in causas forenses, in libros, et scholasticas declamationes.

Declamatorio studio] Plin. Epist. II. 3. 'Legendi semper occasio est, audiendi non semper. Præterea multo magis, ut vulgo dicitur, vox afficit: nam licet acriora sint, quæ legas, altius tamen in animo sedent, quæ pronuntiatio, vultus, habitus, gestus etiam dicentis affigit.'

[l] *Disputationes*] E quarum numero ista hæc fuit.

[m] *Julii Asiatici vitam componendo*] Qui mos virtutem privatam consecrandi, obtinuit eo ævo ac floruit; egregio scil. exemplo, cum non possent Rempub. aut non auderent scribere, privatorum et amicorum vitam moresque et exempla eximia virtutum composuere. Nunquam ne tandem nos pudebit sterilis sæculi et desidiæ nostræ?

[n] *Novorum rhetorum*] Qui scil. perpetuo declamabant in scholis; cum contra veteres oratores causas agerent in senatu, in foro, &c.

qua mirari, nostrorum autem temporum studia irridere[o] atque contemnere? Nam hunc tuum sermonem sæpe excepi, cum, oblitus et tuæ et fratris tui eloquentiæ,[p] neminem hoc tempore oratorem[q] esse contenderes: atque id eo, credo, audacius, quod malignitatis[1][r] opinionem non verebaris,

1 Olim scribebatur *oratorem esse contendere antiquis eo credo audacius quod malignius his op.* quæ tamen ipsa fortassis mutila, et scribendum: *contenderes*

NOTÆ

[o] *Nostrorum temporum studia irridere*] Apud Plinium Epist. I. 5. Regulus periculum sic quærebat ipsi Plinio: 'Satrius Rufus, et cui est cum Cicerone æmulatio, et contentus non est eloquentia sæculi nostri ... Est enim,' inquit Plin. 'mihi cum Cicerone æmulatio, nec sum contentus eloquentia sæculi nostri. Nam stultissimum credo, ad imitandum non optima quæque proponere.'

[p] *Fratris tui eloquentiæ*] Quis hic Messalæ frater? Puto *Regulum* intelligi illum, qui cum Plinio vixit et floruit, lingua magis quam vita laudatus. Suspicor ex Tacito in Hist. 'Magnam eo die pietatis eloquentiæque famam Vipstanus Messala adeptus est: nondum senatoria ætate, ausus pro fratre Aquilio Regulo deprecari.' *Lipsius.*

Et fratris tui] Reguli scil. Hominem facunde describit Plinius Epist. IV. 7. 'Hanc ille vim, seu quo alio nomine vocanda est intentio, quicquid velis, obtinendi, si ad potiora vertisset, quantum boni efficere potuisset; quanquam minor vis bonis, quam malis inest, ac sicut ἀμαθία μὲν θράσος, λογισμὸς δὲ ὄκνον φέρει, ita recta ingenia debilitat verecundia, perversa confirmat audacia. Exemplo est Regulus, imbecillum latus, os confusum, hæsitans lingua, tardissima inventio, memoria nulla, nihil denique præter ingenium insanum, et tamen eo impudentia, ipsoque illo furore pervenit, ut a plurimis orator habeatur. Itaque Herennius Senecio mirifice Catonis illud de Oratore in hunc e contrario vertit: Orator est vir malus dicendi imperitus. Non me hercule Cato ipse tam bene verum oratorem, quam hic Regulum expressit.' Et ibid. de libro, quo puerum defunctum lugebat Regulus, 'est enim tam ineptus, ut risum magis possit exprimere, quam gemitum. Credas non de puero scriptum, sed a puero.'

[q] *Oratorem*] Existimo scrib. *contenderes parem antiquis*, vel *contenderes. Atque id eo credo audacius.* Lipsius. Puto delendam esse vocem, *antiquis.* Et pro *in iis*, lego, *judicis*, ut totus locus sic habeatur: *Cum neminem hoc tempore oratorem esse contenderes: eo credo audacius, quod maligni judicis opinionem non verebaris.* Acidalius.

Sic lego: *neminem hoc tempore cum antiquis contenderes:* id est, *comparares.* Vel saltem sensus sit, Ut neminem hoc tempore oratorem parem esse antiquis contenderes. Si non verba, certe verum sensum habemus. Et certe infra c. 24. idem fere habet: 'Neque enim defensores antiquorum exigimus; nec quenquam nostrorum, quanquam modo laudati sumus, his, quos insectatus est Aper, comparamus.' Forte ediderat, *neminem ... antiquis contenderes.*

[r] *Malignitatis*] Alii legunt *maligni:* id est, invidentis. Infra 28.

cum eam gloriam, quam tibi alii concedunt, ipse tibi denegares.

Neque illius,[s] inquit, sermonis mei pœnitentiam ago; neque aut Secundum, aut Maternum, aut teipsum, Aper, (quanquam interdum in contrarium disputes) aliter sentire credo. Ac velim impetratum ab aliquo vestrum, ut causas hujus infinitæ differentiæ scrutetur ac reddat, quas mecum ipse plerumque conquiro. Et, quod quibusdam solatio[2] est,[t] mihi auget quæstionem, quia video etiam Graiis[u] accidisse, ut longius absit Æschine et Demosthene Sacerdos iste[3] Nicetes,[v] et si quis alius Ephesum[w] vel Mitylenas[x]

parem antiquis: eo credo audacius. Aut si inseri vocem displicet: *contenderes. Atque id eo credo audacius.* Lipsius. Hoc verum puto: nec quicquam deesse. Mox pro *in iis* Acidalius legebat *judiciis.* Ernest. Vocem *antiquis* delendam censebat Acidalius. Lipsius bene correxit. Pro *malignius his* vel *maligni in iis* lego cum viro docto *malignitatis.* Oberl. Brotierus habet *ideo;* et ut Gronovius, Ryckius, et Bipont. *maligni in iis.* Veteres Edd. *malignus,* vel *malignius his.*—2 Sic Mss. et Edd. Acidalius corrigebat *solutio;* quod recepit Brotierus. Nec opus tamen. Vulgatum bene habet. *Oberl.*—3 Ita op-

NOTÆ

'Ut etiam si nostra judicia malignitas et invidia tardaverit, verum de vobis dicturi sint posteri.'

[s] *Neque illius*] In exemplari Italico ad hunc locum ascriptum fuit: 'Eadem verba sunt Petronii.' *Pithœus.*

[t] *Solatio est*] Lege, *solutio.* Acidalius.

Solatio est] Quod elevat et minuit aliis difficultatem, mihi eam *auget.* Quibusdam *solatio* fuit, quod Græcis idem olim accidisset, quod nunc contigit Romanis: exempla similium calamitatum afflictos consolari solent. Imminuta eloquentia et corrupta sensim apud Græcos olim, ut et mox apud Romanos, et forte etiam magis corrupta; ita ut longius etiam, et deformius abscessisset a Demosthene Sacerdos Nicetes, quam Afer, aut et alii oratores ipsius coætanei a Cicerone aut Asinio.

[u] *Graiis*] Id est, Græcis. Vide notas ad vitam Agricolæ c. 4.

[v] *Sacerdos iste Nicetes*] Nicetes Sacerdos declamator nobilis eo ævo. Plinius Epist. VI. 6. audisse eum fatetur. 'Erat non studiosorum tantum, verum etiam studiorum amantissimus, ac prope quotidie ad audiendos quos tunc ego frequentabam Quintilianum et Sacerdotem Nicetem ventitabat.' Extat Philostrati Lemnii de hoc Nicete in Vitis Sophistarum elogium. *Lipsius.*

Nicetes sacerdos] Floruit tamen Romæ orator iste, non solum Ephesi aut Mitylenis: ea, *et si quis alius, &c.* non referuntur ad ipsum Nicetem, sed ad alios oratores Græcos.

[w] *Ephesum*] Id est, Ephesi vel Mitylenarum scholas strepitu et plausu discipulorum quatit, iis scil. plausibus et clamoribus juvenum contentus.

Ephesum] Ephesus, urbs Ioniæ provinciæ ad mare Ægæum, in Asia minore: hodie *Ajalouc* vocatur a Turcis, et *Ephese* a Francis. Villa est Natoliæ ad Archipelagum, in Turcico im-

contentus[4] scholasticorum clamoribus[y] quatit, quam Afer,[z] aut Africanus, aut vos ipsi a Cicerone aut Asinio recessistis.

16. Magnam, inquit Secundus, et dignam tractatu quæstionem movisti: sed quis eam justius explicaverit,[1] quam tu, ad cujus summam[a] eruditionem et præstantissimum ingenium cura quoque et meditatio accessit?

Et Messala, Aperiam, inquit, cogitationes[2] meas, si illud[3] a vobis ante impetravero, ut vos quoque sermonem hunc nostrum adjuvetis.

Pro duobus, inquit Maternus, promitto: nam et ego et Secundus exequemur partes, quas intellexerimus, te non tam omisisse, quam nobis reliquisse. Aprum enim solere dissentire, et tu paulo ante dixisti, et ipse satis manifestus,[z]

[z] *Ipse satis ultro et aperte demonstrat se jam dudum accingi ad contrarias partes tuendas.*

time Lipsius. Pessime Veteres Edd. *Sacerdos iste enitet.* Brotier.—4 Sic veteres Edd. Brotierus, *contentis:* Freinshemius mallet *continuis.*

1 Mss. Vatic. *explicabit.*—2 Male Beroaldus, *cognitiones.* Brotier.—3 Ms.

NOTÆ

perio Asiatico. *Tillemonius.*

[x] *Mitylenas*] Mitylene, urbs Lesbus insulæ, prope Asiam minorem, et ad mare Ægeum: hodie *Metelin,* urbs insulæ cognominis, prope Natoliam, in Archipelago: paret Turcis. *Tillemon.*

[y] *Contentus scholasticorum clamoribus*] Legerim: *continuis scholasticorum clamoribus.* Freinshemius. Recte *contentus:* vel, quia declamator iste se continet intra urbes Græcas; aut, quia *contentus* istis *scholasticorum clamoribus,* forum non frequentat, aut quatit: qui umbratica pugna *contentus,* veram non attingit. Mirabantur quod tam egregius orator plausu intra Ephesum, et Græculis auditoribus *contentus* esset: sed magis mirum, quod nollet audire discipulos. Seneca de Latrone l. IX. contr. 2. 'Neque enim illi mos erat, quemcumque audire declamantem, declamabat ipse tantum, et aiebat se non esse magistrum, sed exemplum: nec ulli alii contigisse scio, quam apud Græcos Nicetæ, apud Romanos Latroni, ut discipuli non audiri desiderarent, sed contenti essent audire. Initio contumeliæ causa deridentibus, discipuli Latronis auditores vocabantur. Deinde in usu verbum esse cœpit, et promiscue poni pro discipulo auditor.' Et eod. lib. contr. ult. 'Nicetes egregie dixit in hoc eodem loco.'

[z] *Afer*] Intellige Domitium Afrum præstantissimum oratorem, sed tum recentem. *Rhenanus.*

[a] *Ad cujus summam*] Tria hæc, summa *eruditio,* optimum *ingenium,* et *cura,* seu studium ac meditatio, maxime necessaria, si quis prospere et juste eam quæstionem tractare velit.

jamdudum in contrarium accingi, nec æquo animo perferre hanc nostram pro antiquorum laude concordiam.

Non enim, inquit Aper, inauditum et indefensum sæculum nostrum patiar hac vestra conspiratione damnari.[a] Sed hoc primum interrogabo, quos vocetis *antiquos*,[b] quam oratorum ætatem signatione[4] ista determinetis?[c] Ego enim cum audio antiquos, quosdam veteres et olim natos intelligo; ac mihi versantur ante oculos Ulysses et Nestor, quorum ætas mille fere et CC.[5] annis sæculum nostrum antecedit: vos autem Demosthenem et Hyperidem profertis,[d] quos satis constat Philippi et Alexandri temporibus floruisse: ita tamen, ut utrique superstites essent. Ex quo apparet, non multo plures, quam CCCC.[e] annos interesse inter nostram et Demosthenis ætatem: quod spatium temporis, si ad infirmitatem corporum nostrorum referas, fortasse longum videatur; si ad naturam sæculorum et respectum immensi hujus ævi,[6] perquam breve et in proximo est. Nam si, ut[7] Cicero in Hortensio scribit, 'is est magnus et

[a] *Eodem parique sententiarum consensu opprimi.*

Vatic. 1862. *istud.*—4 Ita veteres editiones. Mss. Vatic. et Lipsius *significatione;* quod cum Bipont. reposuit Brotierus.—5 Sic omnes libri editi. Brotierus ex Mss. Vatic. exhibet *trecentis:* et Bipont. *CCC.*—6 Ita Mss. Vatic. Libri editi, *hujus immensi ævi;* quod paulo durius. *Brotier.*—7 Ita Mss. Vatic. In Ed. pr. *sicut.* Puteolanus emendavit *si sicut:* quod recepere Ryckius et

NOTÆ

[b] *Quos vocetis antiquos*] Sic Quintilian. l. VIII. 5. 'Ad quam usque nos vocatis vetustatem? Nam si ad illam extremam, multa Demosthenes quæ ante eum nemo. Quomodo potest Ciceronem probare, qui nihil putet ex Catone Gracchisque mutandum?'

[c] *Signatione ista determinetis*] Sic Rom. edit. Infra, 'genus hominum signasse contentus:' quæ vox Quintiliani est passim. Alii legunt *significatione.*

[d] *Profertis*] Ex Græcis oratoribus Demosthenem et Hyperidem, ut antiquos nobis profertis ac proponitis: scil. de eloquentia in universum disputat tam Græca quam Romana. Nam certe fere iisdem casibus et vicissitudinibus Romana facundia conflictata est.

[e] *Non multo plures quam CCCC.*] Sic omnino legendum, non *trecentos*, ut vulgo. Anno imperii Vespasiani sexto habitus hic sermo: hoc est, A. U. C. 828. Is incidit in annum quartum Olympiadis 213. At mortuus Demosthenes primo Olympiadis 214. Numerus rotundus a morte Demosthenis quadringenti anni, et ab ævo, quo floruit, *non multo plures*, ut ait. *Mercerus.* Et Cicero, qui ante centum et viginti annos obierat, l. II. de

verus annus, quo eadem positio cœli siderumque, quæ cum[8] maxime est,[f] rursum exsistet, isque annus horum, quos nos[9] vocamus,[g] annorum XII MDCCCCLIV.[10h] complectitur;' incipit Demosthenes vester, quem vos veterem et antiquum fingitis, non solum eodem[11] anno, quo nos, sed fere eodem mense[i] extitisse.

17. Sed transeo ad Latinos oratores, in quibus non Menenium,[j] ut puto, Agrippam, qui potest videri antiquus, nostrorum temporum disertis anteponere soletis: sed Ciceronem et Cæsarem et Cœlium et Calvum et Brutum et Asinium et Messalam: quos quidem cur antiquis temporibus potius ascribatis, quam nostris, non video: nam, ut de Cicerone ipso loquar, Hirtio nempe et Pansa Coss., ut Tiro libertus ejus scripsit, VII. Idus Decemb.[1k] occisus est, quo

Gronovius.—8 Emendabat Muretus *tum maxime.*—9 Ita bene Mss. Vatic. In veteribus Edd. omissum *quos:* in recentibus, quibus præivit Rhenanus, *nos.* [Sic et Ryckius et Gronov.] *Brotier.*—10 Male omnes libri editi, [cum Gronov. et Ryck.] *XIIMDCCCLIV.* Magnus enim annus, auctore Cicerone in Hortensio, complectebatur annos duodecim millia nongentós quinquaginta quatuor. *Idem.*—11 Sic bene Mss. Vatic. et editiones veteres. Postea omissum *eodem;* [ut a Gronov. et Ryckio.] Unde male conjiciebat Pithœus emendandum, *non solum quo nos, sed fere eodem die.* Brotier.

1 A Mss. et veteribus editionibus aberat, *Decemb.* Bene et ex historia

NOTÆ

Divin. 'Demosthenes quidem, qui abhinc annis prope trecentis fuit.'

[f] *Quæ cum maxime est*] Cicero de Natura Deorum secundo: 'Quarum [stellarum] ex disparibus motionibus magnum annum mathematici nominaverunt: qui tum efficitur, cum Solis et Lunæ et quinque errantium ad eandem inter se comparitionem, confectis omnium spatiis, est facta conversio.' *Schelius.*

[g] *Isque annus horum, quos nos vocamus*] Lego, *isque annus horum quos vocamus ann.* X. *complectitur.* Rhenanus.

[h] *XII M DCCCC LIV.*] Variat hic numerus in exemplaribus. Servii in illud I. Æneid. 'Triginta magnos.' Et l. III. 'Interea magnum:' itemque apud Censorinum in illustri volumine de die natali ad Q. Cerellium, Macrob. comment.: in somn. Scipionis, et Jul. Firmicum l. I. Mathes. *Pithœus.*

[i] *Non solum anno, quo nos, sed fere eodem mense*] Quin potius ex analogia, *non solum mense quo nos, sed fere eodem die.* Pithœus. Nihil muta.

[j] *Menenium*] Qui Apologo ventris usus olim non infacunde, ut ea tempora erant, nec infeliciter, ad reducendam in gratiam ac concordiam cum senatu et proceribus Rom. plebeculam, quæ secesserat.

[k] *VII. Idus Decemb.*] Ant. Augustinus legebat, *VII. Idus Octobris.* In

anno D. Augustus in locum Pansæ et Hirtii se et Q. Pedium Coss. suffecit. Statue VI.[2] et L. annos, quibus mox Divus Augustus Rempublicam rexit; adjice Tiberii tres et viginti et prope quadriennium Caii ac bis quaternos denos Claudii et Neronis annos atque ipsum Galbæ et Othonis et Vitellii unum[3] annum ac sextam jam[4] felicis hujus Principatus stationem,[l] qua Vespasianus Rempublicam fovet, C. et XX.[5] anni ab interitu Ciceronis in hunc diem colliguntur, unius hominis ætas. Nam ipse ego in Britannia[m] vidi senem, qui se fateretur 'ei[6] pugnæ interfuisse, qua Cæsarem, inferentem arma Britannis,[7] arcere littoribus et pellere aggressi sunt.' Ita si eum, qui armatus C. Cæsari restitit, vel captivitas, vel voluntas,[8] vel fatum aliquod in urbem pertraxisset, idem Cæsarem ipsum et Ciceronem audire potuit, et nostris quoque actionibus[9] [c] interesse. Proximo qui-

[c] *Orationibus, causis forensibus.*

supplevit Lipsius.—2 Sic bene Muretus. Male Mss. Vatic. *novem et quinquaginta annos.* Editiones veteres, VIII. *et* L. *annos.* Brotier.—3 Muretus delebat, *unum.*—4 Schelius legit *jam tam.* Schulting. *secutam jam;* quia sit insolens *stationem* pro anno poni. *Oberl.*—5 Sic bene Ms. Vatic. 1518. Ita et Puteolanus. Perperam Mss. Vatic. 1862. et 4498. ut et editio princeps, *centum et decem anni.* Brotier.—6 Ita bene Pithœus, Muretus, et editio Oxoniensis supra laudata. Perperam in omnibus Taciti editionibus, *et pugnæ.* Idem.—7 Brotierus, Ryckiusque et Gronovius exhibent *Britanniæ.* Bipont. *Britannis.* —8 Heumann. scribit *voluptas.*—9 Sic emendavit Lipsius. Prius erat *auctori-*

NOTÆ

vulgatis autem deest illud, *Octobris.* Ursinus.

In Farnesiano tantum erat, *Septimo Idus,* spatio tamen alteri voci relicto, quam non temere ex historia addidi. *Lipsius.* Scil. die 7. Decemb.

[l] *Ac sextam jam felicis hujus Principatus stationem*] Duo in hoc loco non vulgaria: primum, quod stationem, quæ pro ipso actu imperandi solet accipi, et totum tempus imperii sæpe designare, hic pro uno imperii anno accipiatur: deinde quod sextam stationem, seu sextum annum pro sex annis; ut, *adde sextum annum,* sit, adde sex annos. *Schelius.* Agitata quæstio hæc a vetustis oratoribus, sexto Flaviani principatus anno: sed composita et in ordinem redacta est multos post annos, puto, sub Domitiano, et cum jam interiissent Eprius et Crispus: nempe, cum primum vulnus orbitatis accepit Fabius.

[m] *In Britannia*] Ex hoc loco colligunt Aprum fuisse natione Gallum. Forte fuit Aper origine Gallus seu Gallicanus, non tamen Gallus proprie: sic ut et alii multi, quorum majores asciti jam olim erant in civitatem et curiam ex Gallia.

dem congiario ipsi vidistis plerosque senes, qui, se a D. quoque Augusto semel atque iterum accepisse congiarium,[n] narrabant: ex quo colligi potest, et Corvinum ab illis et Asinium audiri potuisse. Nam Corvinus in medium usque Augusti Principatum, Asinius pæne ad extremum, duravit. Nec[10] dividatis sæculum,[o] et antiquos ac veteres vocetis oratores, quos eorundem hominum aures agnoscere, ac velut conjungere et copulare potuerunt.

18. Hæc ideo prædixi, ut, si qua ex horum oratorum fama gloriaque[1] laus temporibus acquiritur, eandem docerem in medio sitam et propiorem nobis, quam Ser. Galbæ, C. Carboni, quosque alios antiquos merito vocaverimus.[2] Sunt enim horridi et impoliti[3] et rudes et informes, et quos utinam imitatus nulla parte[4] esset Calvus vester, aut Cœlius, aut ipse Cicero. Agere enim fortius jam et audentius volo, si illud ante prædixero, mutari[5] cum temporibus formas quoque[6] et genera dicendi. Sic[7] Catoni seni comparatus C. Gracchus plenior et uberior; sic Graccho politior et ornatior Crassus; sic utroque distinctior et urbanior et altior Cicero; Cicerone mitior Corvinus et dulcior et in verbis magis elaboratus.[d] Nec quæro, quis disertissimus: hoc interim probasse contentus sum, non esse unum eloquentiæ vultum,[e] sed in illis quoque, quos vocatis antiquos, plures

[d] *Castigatus, tersus.* [e] *Speciem, formam: scil. non esse unum dicendi genus.*

bus.—10 Acidalius corrigit *ne.*

1 Sic Lipsius. Prius legebatur *si qua et horum . . . ac laus.*—2 Sic Mss. Vatic. quod et a Brotiero probatum: qui tamen cum Ryckio et Gronovio antiquam lectionem retinet *vocaremus.*—3 Corbinelli emendabat *incompositi.*—4 Ita Mss. Vatic. Male veteres editiones, *utinam imitatus esset.* Lipsius et recentiores emendaverant, *imitatus non esset.* Muretus, *utinam ne in illa parte.*—5 Ita veteres editiones et recentiores. In mediis quibusdam, *mutare:* quod quidem Latinum est. Sic enim Livius, XXXIX. 51. 'Mores quidem populi Romani quantum mutaverint, vel hic dies argumento erit.' *Brotier.*—6 Ita Mss. Vatic. A libris editis abest, *quoque.* Mox cap. seq. *formam quoque ac speciem.* Idem.—7 Ita Mss. Vatic. In veteribus editionibus, *sicuti Ca-*

NOTÆ

[n] *Congiarium*] Abesse possit ea vox. *Congiarium* illud datum plebi sub Vespasiano.

[o] *Nec dividatis sæculum*] Nec dividatis in duas partes idem sæculum, nempe, et quo priscos oratores, *eo-*

species[p] deprehendi: nec statim deterius[f] esse, quod diversum est; vitio autem malignitatis humanæ vetera semper in laude, præsentia in fastidio esse. Num[8] dubitamus, inventos, qui præ[9] Catone Appium Cæcum[q] magis mirarentur? Satis constat, ne[10] Ciceroni quidem obtrectatores[r] defuisse, quibus inflatus et tumens, nec satis pressus,[s] sed[11] supra modum exultans et superfluens et parum Atticus[12 t] videre-

[f] *Nec statim deterius esse dicendi genus, quia dissimile est.*

toni. In recentioribus, *sicut.*—8 Hoc sic a Lipsio. Prius legebatur *Nam non dub.* Mur. volebat *numnam.* Acid. *num dubitabimus—cum satis constet.* —9 Sic Groslotius malebat. Ceteri Edd. *pro Catone.* Sed Bipont. legunt *Porcio Catone.*—10 Veteres editiones, *nec Ciceroni quidem.* Emendandum *ne* recte monuit Gronovius. *Brotier.*—11 Sic Mss. Vatic. *Sed* abest a libris editis: ut a Gronov. et Ryckio.—12 In veteribus editionibus et Mss. Vatic. *parum antiquus.* Sed perperam, ut patet ex c. 22. 'priores ejus orationes non carent vitiis antiquitatis.' Lipsius optime emendavit, *Atticus.* Male

NOTÆ

rundem hominum aures agnoscere, simulque et audire nostros, *ac velut* inter se *conjungere et copulare potuerunt.*

[p] *Plures species*] Quintil. XII. 10. 'Non una omnibus forma placuit, partim conditione vel temporum, vel locorum, partim judicio cujusque atque proposito.' Infra ibid. 'In oratione vero si species intueri velis, totidem pæne reperias ingeniorum, quot corporum formas. Sed fuere quædam genera dicendi conditione temporum horridiora, alioqui magnam jam ingenii vim præferentia. Hinc sunt Lælii, Africani, Catones, Gracchique, quos tu licet Polygnotos vel Calonas appelles: [pictores illi, 'quorum simplex color.'] Mediam illam formam teneant L. Crassus, Q. Hortensius. Tum deinde efflorescat non multum inter se distantium temporum oratorum ingens proventus. Hinc vim Cæsaris, indolem Cælii, subtilitatem Callidii, gravitatem Bruti, acumen Sulpitii, acerbitatem Cassii, diligentiam Pollionis, dignitatem Messalæ, sanctitatem Calvi reperiemus. In his etiam, quos ipsi vidimus, copiam Senecæ, vires Africani, maturitatem Afri, jucunditatem Crispi, sonum Trachalli, elegantiam Secundi; [puto, Julii.] At M. Tullium non illum habemus Euphranorem [qui pingendi fingendique mirus artifex] circa plurium artium species præstantem, sed in omnibus quæ in quoque laudantur eminentissimum.

[q] *Appium Cæcum*] Qui tamen longe infra Catonis eloquentiam peritis artis censebatur.

[r] *Ciceroni... obtrectatores*] Quintil. XII. 1. 'Quanquam neque ipsi Ciceroni Demosthenes videatur satis esse perfectus, quem dormitare interim dicit: nec Cicero Bruto Calvoque, qui certe compositionem illius etiam apud ipsum reprehendunt: nec Asinio utrique, qui vitia orationis ejus etiam inimice pluribus locis insequuntur.' Hinc agnosce Quintilianum.

[s] *Inflatus et tumens, nec satis pressus, &c.*] Statim ait Ciceronem a Calvo quidem male audivisse, 'tanquam solutum et enervem;' a Bruto autem,

tur. Legistis[13] utique et Calvi et Bruti ad Ciceronem[u] missas epistolas: ex quibus facile est deprehendere, Calvum quidem Ciceroni visum exsanguem et attritum,[g] Brutum autem otiosum atque disjunctum:[v] rursumque, Cicero-

[g] *Infirmum ac debilem.*

tentat Schurzfleischius, *parum nativus.* Brotier.—13 Sic Mss. Vatic. ac bene quidem; ut cap. sup. *dividatis seculum...vocetis oratores.* Male libri editi,

NOTÆ

ut ipsius verbis utar, 'tanquam fractum et elumbem.' Infra: 'Otiosus circa excessus dicitur.'

[t] *Parum Atticus*] Quod Ciceroni etiam vivo objectum, et in quibusdam ejus scriptis vere. *Lipsius.*

Parum Atticus] Scil. cum diu Marcus Cicero Atticis illis limatis et emunctis oratoribus operam dedisset, postea tamen et Rhodiis et Asiaticis oratoribus aures commodavit: quorum lenti illi quidem, atque remissi; ii vero inflati, vani atque jactantes: utrique vero minores Atticis, et quasi ab iis degenerantes existimarentur. *Politian.* præf. ad Quintil.

Parum Atticus] Quintil. l. XII. 10. Ciceronem 'tamen et suorum hominis temporum incessere audebant, ut tumidiorem, et Asianum et redundantem, et in repetitionibus nimium, et in salibus aliquando frigidum, et in compositione fractum, exultantem, ac pæne (quod procul absit) viro molliorem. Postea vero quam triumvirali proscriptione consumtus est, passim qui oderant, qui invidebant, qui æmulabantur, adulatores etiam præsentis potentiæ, non responsurum invaserunt ... præcipue vero presserunt eum, qui videri Atticorum imitatores concupierant, &c. Et antiqua quidem illa divisio inter Asianos atque Atticos fuit, cum hi pressi et integri, contra inflati illi et inanes haberentur: et in his nihil superflueret, illis judicium maxime ac modus deesset ... Mihi autem orationis differentiam fecisse et dicentium et audientium naturæ videntur, quod Attici limati quidem et emuncti nihil inane aut redundans ferebant: Asiana gens tumidior alioqui et jactantior, vaniore etiam dicendi gloria inflata est.' Et l. XII. 6. 'In Asiam navigavit Tullius, seque et aliis sine dubio eloquentiæ ac sapientiæ magistris, sed præcipue tamen Apollonio Moloni, quem Romæ quoque audierat, Rhodi rursus formandum, ac velut recoquendum dedit.'

[u] *Calvi et Bruti ad Ciceronem*] Ex iisdem Fabius hausit l. XII. 'Neque ipse Ciceroni Demosthenes videatur satis esse perfectus, nec Cicero Bruto Calvoque, qui certe compositionem ipsius etiam apud ipsum reprehendunt.' Adde sequentia. *Lipsius.*

[v] *Brutum autem otiosum, atque disjunctum*] Fortasse, *odiosum:* id est, affectatione quadam et asperitate dictionis molestum. Nam ex reliquiis epistolæ unius aut alterius, nihil minus quam otiosus Brutus, acer ubique et intentus. Disjunctum autem capio, quo sensu Senecam dixere, 'Arenam sine calce:' nec muto. *Lipsius.*

Itane vero? otiosus Brutus Ciceroni? Immo Cicero talis videbatur obtrectatoribus, et ipsi fortassis Bruto. 'Supra modum exultans,' inquit,

nem a Calvo quidem male audivisse, tanquam solutum et enervem: a Bruto autem, ut ipsius verbis utar, tanquam fractum[w] atque elumbem. Si me interroges, omnes mihi videntur verum dixisse. Sed mox ad singulos veniam; nunc[14] mihi cum universis negotium est.

legisti. Idem.—14 Sic bene Lipsius et recentiores. Perperam veteres editiones, *nec mihi.* Brotier.

NOTÆ

'et superfluens, et parum Atticus obtrectatoribus videbatur.' Quintilianus: 'Otiosi et supini si quid modo longius circumduxerint, jurant ita Ciceronem fuisse locutum.' Et infra, de eodem, noster: 'Otiosus circa excessus.' At Brutus intentus, gravis: Lipsius legit, *odiosus*, perperam. Scribit enim Cicero ad Att. de Bruto: 'Est enim oratio [ejus] scripta elegantissime sententiis et verbis, ut nihil possit ultra.' Præterea Attici isti, quorum sectam sequebatur Brutus, hoc præcipue agebant, ut ait in Bruto Cicero, 'ut nec inepte, nec odiose nec putide dicerent: nihilque habere molestiarum, nec ineptiarum, Atticorum erat.' Item: 'Atheniensium religioni cum serviret Orator, nullum verbum insolens, nullum odiosum ponere audebat.'

Lego, *concisum atque disjunctum.* Sic Cicero ait, 'concisum minutis numeris Thrasimachum Isocrati visum.' Quintilianus: 'Facit densitas sententiarum concisam quoque orationem: subsistit enim omnis sententia, ideoque post eam utique aliud est initium. Unde soluta fere oratio, et e singulis non membris, sed frustis collata.'

Brevitatis autem studiosi, qualis erat Brutus, evitare nequeunt, ne minutis numeris distinguatur et concidatur oratio: quod vitium προσπταίειν πολλάκις ποιεῖ τὸν ἀκροατήν. Inde et disjunctam esse Bruti orationem dicit. *Disjunctio* enim opponitur *conjunctioni.* 'Disjuncta est oratio, cum dure connexis aut demtis conjunctionibus,' ut ait Cicero de Oratore, 'dissolute quædam dicuntur.' Jubent autem veteres, brevitatis studiosos conjunctiones tollere, quamvis vetent dissoluta et disjuncta loqui. Est tamen hoc proximum vitium, quod ἀσύνδετα et διαλελυμένα evadant. Id igitur in Bruto notatur. Cicero in Oratore: 'Cum mutila quædam et hiantia locuti sunt, quæ vel sine magistro facere potuerunt, germanos se putant esse Thucydidas.' *Schelius.* Non videt invicem sibi obtrectasse oratores coætaneos, quod non factum recto judicio, aut ex vero, sed malignitate aut infirmitate ingenii humani. Quod et facile in tanta copia librorum et orationum, et tanta diversitate ingeniorum. Quid facilius, quam detrahere laudi etiam optimorum? quid promtius, quid magis obvium, ut est hominis indoles? Sed obtrectavit Brutus vere. Quidni veram et justam occasionem habuit quandoque? Et quid tam perfectum et absolutum, ut non id argui possit ex aliqua sui parte?

[w] *Fractum*] Solutum et enervem, fractum et elumbem pro eodem supponit auctor.

19. Nam, quatenus[1] antiquorum admiratores hunc velut terminum antiquitatis constituere solent, quem[2] usque ad Cassium Severum faciunt, quem primum affirmant flexisse ab illa vetere atque directa dicendi via:[3] non infirmitate ingenii, nec inscitia literarum transtulisse se ad id[4] dicendi genus contendo, sed judicio et intellectu.[x] Vidit namque, ut paulo ante dicebam, cum conditione temporum, ac diversitate aurium,[5] formam quoque ac speciem orationis esse mutandam.[6] Facile perferebat prior iste populus,[h] ut imperitus et rudis, impeditissimarum[7] [y] orationum spatia: atque id ipsum laudi[8] dabatur, si dicendo quis diem eximeret.[z] Ista[9]

[h] *Vetus scil. populus Rom. qui floruit olim stante prisca Repub. et libertate.*

1 Frustra tentat Schurzfleischius, *hactenus antiquorum*. *Quatenus* jam usurpatum vidimus supra Annal. III. 16. *Brotier.*—2 Puto emendandum, *hunc velut terminum antiquitatis constituere solent usque ad Cassium Severum, quem reum faciunt, quemque primum affirmant, &c.* Vulgata enim scriptura, *quem usque ad Cassium, &c.* est Puteolani. In editione principe, *constituere solent: qui usque ad Cassium quem reum faciunt: quem primum, &c.* In Mss. Vatic. *ad Cassium Severum quem reum faciunt, quem primum affirmant, &c.* Unde, *quem reum* videtur esse veteris scripturæ. Sed si retinetur, emendandum *quemque primum*, ne aures offendantur. In ipsa vulgata scriptura displicet *quem usque, ...quem primum.* Brotier.—3 Sic bene Mss. Vatic. Sic quoque placebat Mureto. Dure in libris editis *dicendi via directa.* [Sic autem Gronov. et Ryckius.] *Idem.*—4 Mss. Vatic. *illud.*—5 Sic Lipsius. Prius erat *conditionem temporum et diversitates auctorum.* Muretus et Ursinus dabant *ac diversitate auditorum:* non male, ut puto. *Oberl.*—6 Male veteres edd. *remutandum:* emendabat Corbinelli *ire mutandam.* Brotier.—7 Brotierus cum Ryckio et Gronov. et Bipont. *imperitissimarum.* Mureti est *impeditissimarum.*—8 In veteribus edd. et Mss. Vatic. 1862. et 1518. *id ipsum laudabat.*—9 Sic bene Schulting. Legebatur prius *ita:* [sic Gronov. Ryck. Brotier. et

NOTÆ

[x] *Sed judicio et intellectu*] Fortassis: *et delectu.* Cicero Bruto: ‘Quod idem facere censores in delectu dignitatis et judicio civium,’ &c. Pro Plancio: ‘Populus non delectu aliquo aut sapientia judicat.’ *Gronov.*

Et intellectu] Alii, *delectu.* Sed forte discrimen sit inter *intellectum* et *delectum. Intellectus* in ipso Cassio; at *delectus* non in ipsius præcise potestate fuit. Pendebat forte ex mutatione temporum, et ex auditoribus, quorum animis auribusque accommodanda oratio fuit, in quo judicium excelluit oratoris et intellectus. Vox *intellectus* Quintiliani est passim.

[y] *Et impeditissimarum*] Alii leg. *imperitissimarum.* Forte, *ineptissimarum.* Attamen vox *imperitissimarum* satis respondet his quæ præcedunt, ‘populus, ut imperitus et rudis.’

[z] *Eximeret*] Fortem diem aliis oratoribus, seu aliorum senatorum sententiis eximeret, auferret: diem scil. eximeret actioni, et hanc in alterum diem procrastinaret: quod maxime

vero[a] longa principiorum præparatio, et narrationis alte repetita series, et multarum divisionum ostentatio, et mille argumentorum gradus,[10] et quicquid aliud aridissimis Hermagoræ et Apollodori libris[b] præcipitur, in honore erat: et,[11] si quis, odoratus philosophiam, ex ea locum aliquem orationi suæ insereret, in cœlum laudibus ferebatur. Nec mirum. Erant enim hæc nova et incognita: et ipsorum quoque oratorum paucissimi[12] præcepta rhetorum, aut philosophorum placita, cognoverant. At Hercule pervulgatis jam omnibus, cum vix in corona[13] quisquam assistat,[c] quin[14]

Bipont.] Acidalius dabat *jam*. Oberl.—10 Sic Lipsius et recentiores. In vett. edd. *argumentorum genera*.—11 Sic Bipont. et Ryck. et Gronov. Brotierus e Mss. Vatic. dedit *quod si*.—12 Sic optime Rhenanus. In veteribus edd. *paucissima*.—13 Sic Lipsius et Bipont. Gronovius, Ryckius et Brotierus legunt *cortina*.—14 Sic Heumann. Schurzfl. et Schulzius, probante Brotiero; qui tamen cum Ryckio et Gronov. retinet *qui*.

NOTÆ

optabant oratores, qui nondum satis parati. Sic tempus et certas occasiones auferebant adversariis.

[a] *Ista vero*] Lege: *Jam vero*. Acidal. Alii, *ita vero*.

[b] *Hermagoræ et Apollodori libris*] Hermagoras Æolides, Carion cognominatus scripsit Rhetoricos libros sex de accurata oratione, de elocutione, de decore, de figuris. Docuit Romæ post Cæcilium sub Augusto. Fuerunt et alii illi cognomines, quos referre nihil attinet. *Apollodorus* Pergamenus, Cæsaris Augusti præceptor et familiaris, scripsit Rhetorica, et novæ hæreseos fuit auctor: ex Suida et Strabone. *Alciatus*.

[c] *Vix in cortina quisquam assistat*] Magis placeret *in corona*. Ursinus.

Alii, *corona* legunt: si illud rectum; non aliud ceperim, quam subselliorum juxta tribunal locum; in quo non advocati solum, sed scribæ, præcones, atque id genus operæ forenses consistebant. Severus in Ætna pro theatri incurva parte dixisse videtur: 'magni cortina theatri.' Vide etiam an non *assistere*, hic proprie de Asseclis aut Fautoribus, qui Oratori se adjungebant. Ita statim: 'Vulgus quoque assistentium et affluens et vagus auditor.' Distinguit ab auditore fortuito et incerto. *Lipsius*.

Scaliger Conjectaneis in Varronem *cortinam* interpretatur τρίποδα et λέβητα. Ea est proprie, inquit, in qua lana suffecta succos ebibit. Scribe: *cum vix in corona quisquam assistat, quin elementis studiorum, si non instructus, at certe, imbutus sit*. Rhenanus.

Cortina] Attamen Plin. Epist. VII. 17. 'Si latior scena, et corona diffusior.' Et Epist. II. 2. 'Hoc [pretio] ingens corona colligitur.'

In cortina] Quidni hic *cortina* dici potuit pro senatu, pro tribunalibus, unde oracula Themidis excipiuntur? ac forte magis placeat nonnullis, quam *corona*, quæ de quovis cœtu dici possit. Sic non satis magnifice pro suo genio de ara Themidis, et de jus-

elementis studiorum, etsi non instructus,[d] at certe imbutus sit, novis et exquisitis eloquentiæ itineribus opus est, per quæ orator fastidium aurium effugiat, utique apud eos judices, qui vi aut[15] potestate, non jure et legibus,[e] cognoscunt,[f] et[16] nec accipiunt tempora, sed constituunt,[g] nec expectandum[h] habent oratorem, dum illi libeat de ipso negotio dicere, sed sæpe ultro admonent atque alio transgredientem revocant et festinare se[i] testantur.

20. Quis nunc ferat[1] oratorem de infirmitate valetudinis suæ præfantem? qualia sunt fere principia[i] Corvini. Quis

[i] *Exordia orationum.*

15 In Mss. Vatic. 1518. et 4498. *et* pro *aut:* quod minime displicet Brotiero.—16 *Et* expungit Heumann.

1 Brotierus, duce Beroaldo, legit *feret.*

NOTÆ

titiæ adytis et penetralibus loqui videretur.

[d] *Etsi non instructus*] Sic fere Tac. lib. xv. de Egnatio Celere: 'Hic Græca doctrina ore tenus exercitus, animum bonis artibus non imbuerat.' Hoc loco *instructus* sit, doctus, et omni eruditione imbutus, ut supra habet cap. 2.: et *imbutus*, sit, utcumque informatus literis; qui scil. leviter tantum et primis labris eruditionem gustaverit. Sic infra: 'instructum et plenum his artibus animum.'

[e] *Non jure et legibus*] Plin. Epist. iv. 9. 'Et Cæpio, cum putaret licere senatui, sicut licet, et mitigare leges, et intendere, non sine ratione veniam dedit facto, vetito quidem, non tamen inusitato.'

[f] *Cognoscunt*] Judicant. *Nec accipiunt tempora*, ex legibus scil. aut institutis majorum, quæ advocatis et causidicis, reis et accusatoribus certum dicendi tempus concedebant; sicque simul et judicibus audiendi tempus præscripserant. At nunc *constituunt* ipsi judices pro nutu et arbitrio tempus advocatis et patronis; et jam fere est *pro* omni *lege voluntas.*

[g] *Nec accipiunt tempora, sed constituunt*] Plin. Epist. i. 20. 'Adsunt huic opinioni meæ leges, quæ longissima tempora largiuntur, nec brevitatem dicentibus, sed copiam; hoc est, diligentiam suadent; quam præstare, nisi in angustissimis causis, non potest brevitas.' Ibid. 'Non enim amputata oratio et abscissa, sed lata et magnifica et excelsa tonat, fulgurat, omnia denique perturbat ac miscet.' Infra: 'Si....detur electio, illam plenam orationem similem nivibus hybernis; id est, crebram, assiduam et largam, postremo divinam et cœlestem volo.'

[h] *Nec expectandum*] Nec oratorem expectare debent, dum illi libeat de ipsa sua causa dicere, ut olim stante Repub. et priscis legibus. Infra 36. 'Cum in aliquam invidiam, aut crimen vocati, sua voce respondendum haberent.'

[i] *Et festinare se*] Festinare se ad alia testantur, urgere negotia, &c.

quinque in Verrem libros expectaverit?[2] Quis de exceptione et formula perpetietur illa immensa volumina, quæ pro M. Tullio,[j] aut A. Cæcina legimus? Præcurrit[j] hoc tempore judex dicentem et, nisi aut cursu argumentorum, aut colore sententiarum, aut nitore et cultu descriptionum invitatus et corruptus est, aversatur dicentem.[3] Vulgus quoque assistentium[k] et affluens et vagus auditor[l] assuevit jam exigere lætitiam et pulchritudinem orationis; nec magis perfert[4] in judiciis tristem[l] et impexam antiquitatem, quam si quis in scena Roscii aut Turpionis[5] Ambivii[m] exprimere gestus velit. Jam vero juvenes, in[6] ipsa studiorum incude positi, qui profectus sui causa oratores sectantur, non solum audire, sed etiam referre domum aliquid illustre[n] et dignum

[j] *Occupat et prævenit animo judex ea quæ dicturus est causidicus, et fastidit, nisi nitore et amœnitate orationis retineatur.*
[l] *Squalidam, severam, incomtam, horridam.*

2 Sic correxit Puteolanus: editio princeps *expectavit*. Mss. Vatic. *expectabit*, quod recepit Brotierus: sic et Bipont.—3 Schelius, inepte repeti *dicentem* ratus, expungit. Schulz. probat. *Oberl.*—4 Sic bene Rhenanus. In editione principe *prefert:* Puteolanus *præfert*. Brotier.—5 Sic bene Lipsius. Male veteres editiones, *aut Turpionis, aut Ambivii*. Brotier. —6 Gronovius, Ryckius, Brotierus et Bipont. legunt *et in ipsa*. Præpositio *in* abest a veteribus editionibus. Schurzfleischius *et* omittendum putat: sic

NOTÆ

[j] *Pro M. Tullio*] Curius Fortunatianus l. II. Rhetor. Schol. *Pithœus.*

[k] *Vulgus quoque assistentium*] Quos sic distinguit a judicibus; nec intelligit hic, ut puto, asseclas et fautores, qui plausu composito ceteram multitudinem ad laudem et commendationem oratoris illicerent, famamque et existimationem eloquentiæ clamore et laude conciliarent, quamvis tum forte et nonnulli tales fautores dicenti assisterent. Intelligit tantum præcise turbam assistentium, quocumque animo, aut consilio assisterent dicenti.

[l] *Et vagus auditor*] Aliud agens populus, aut otiosus, ut in magnis civitatibus solet.

[m] *Turpionis Ambivii*] Unum eundemque hominem fuisse Terentianæ epigraphæ hunc et Cicero de senectute docent. Symmachus nominat Epist. I. 25. et X. 2. ‘Non idem honor in pronuntiandis fabulis P. Pollioni quam Ambivio fuit; neque par Æsopo et Ruscio (*sive, Roscio*) fama processit.’ Hæc verba sic lego: forte leg. et *Pellioni*, ut sit ille *Pellio* Plautinus. *Lipsius.*

[n] *Aliquid illustre*] Quod explicat statim: ‘sive sensus aliquis arguta et brevi sententia effulsit, sive locus exquisito, &c. Exigitur enim jam.... poëticus decor.’

memoria volunt: traduntque invicem ac sæpe in colonias ac provincias suas scribunt, sive sensus[7] aliquis arguta[o] et brevi sententia effulsit, sive locus exquisito et poëtico cultu enituit. Exigitur[8] enim jam ab oratore etiam poëticus decor, non Attii aut Pacuvii veterno inquinatus,[p] sed ex Horatii et Virgilii et Lucani sacrario prolatus.[q] Horum igitur auribus et judiciis obtemperans nostrorum oratorum ætas, pulchrior et ornatior extitit. Neque ideo minus efficaces sunt orationes nostræ, quia ad aures judicantium cum voluptate perveniunt. Quid enim,[9] si infirmiora horum temporum templa credas,[9] quia non rudi cæmento et informi-

et Heumann. et alii.—7 Sic corrigunt Muretus, Acidalius et Freinshemius. Similiter cap. 23. et 32. Brotierus cum Ryckio, Gronov. et Bipont. veterem lectionem retinent, *sive in suis.* Pejus est Schurzfl. *insciis.* Lipsius tentarat *in sensibus suis.* Oberl.—8 Male veteres edd. *exercetur.* Brotier.—9 Forsan legendum, *Quid enim an.* Heumann. dedit *Quis enim infirmiora...credat.* Oberl.

NOTÆ

[o] *Sive in suis aliquis arguta*] Lego, *sensus aliquis.* Nec te moveat, *sensum* et *sententiam*, velut diversa jungi. Diversa quippe sunt, ut ex aliis hujus libelli locis patet. Sic infra, 'in paucissimos sensus, et angustas sententias detrudant eloquentiam.' *Acidal.*

Scribo, *sive sensus aliquis. Sensus* hic non communiter accipitur, sed oratorie. Quintil. Orat. 8. 'Consuetudo tenuit, ut mente concepta sensus vocaremus; lumina autem præcipueque in clausulis posita, sententias.' *Freinshem.*

In suis] Id intelligi possit de condiscipulis. Nam apud Quintil. l. II. 11. 'Fit, ut dissoluta et ex diversis congesta oratio cohærere non possit, similisque commentariis puerorum sit; in quos ea, quæ, aliis declamantibus, laudata sunt, regerunt,' &c.

[p] *Non Attii aut Pacuvii veterno inquinatus*] Sidon. Apollin. Epist. I. 1. dixit, 'veternosum dicendi genus:' l. IX. 16. 'chartulis putribus, ac veternosis:' l. VIII. ep. ult. 'Veternosus legalium quæstionum ænigmatista.' *Pichena.*

[q] *Sacrario prolatus*] Quintil. l. I. 8. 'Denique credamus summis oratoribus, qui veterum poëmata, vel ad fidem causarum, vel ad ornamentum eloquentiæ assumunt. Nam præcipue quidem apud Ciceronem, frequenter tamen apud Asinium etiam, et ceteros qui sunt proximi, vidimus Ennii, Accii, Pacuvii, Lucillii, Terentii, Cæcilii, et aliorum inseri versus, summa non modo eruditionis gratia, sed etiam jucunditatis: cum poëticis voluptatibus aures a forensi asperitate respirent. Quibus accedit non mediocris utilitas, cum sententiis eorum, velut quibusdam testimoniis, quæ proposuere confirment.' Sic Dialogum refert, exscribit, et explicat Fabius.

bus tegulis exstruuntur, sed marmore nitent et auro radiantur?[10]

21. Equidem fatebor[1] vobis simpliciter, me in quibusdam antiquorum vix risum, in quibusdam autem vix somnum, tenere. Nec unum de populo Canutium[r] aut Arrium Furniumve nominabo,[2] quique aliis[s] in eodem valetudinario[t]

—10 Lat. Latinius bibl. t. II. p. 87. legit *radiant.* Sic et Schurzfl. Sed vid. Ovid. Pont. III. 4. 103. *Oberl.*

1 Vet. edd. habent *fateor.*—2 Locus misere corruptus. Brotierus, ut Ryckius edidit, legit, *de populo Canuti, aut Aride Furnio et Toranio, quique alios, &c.* In Mss. Vatic. *Canuti aut Atti de Furnio et Coranio.* Libri editi, *Canuti aut Aride Furnio et Toranio.* Tentabat Lipsius, *nec unius de populo Arii de Furnio, &c.* Gronovius, *vix somnum tenere. Nec unum de populo Canutium, aut Arrium Furniumve nominabo, quosque alios in eodem valetudinario hæc ossa et hæc macies pro-*

NOTÆ

[r] *Nec de populo Canuti*]. Scribe *Canutii.* P. Canutium intelligit. Cicero Bruto: ‘P. Canutius æqualis meus, homo extra nostrum ordinem meo judicio disertissimus.’ *Schelius.*

Rescribo: *Equidem fatebor vobis simpliciter, me in quibusdam antiquorum vix risum, in quibusdam vix somnum tenere. Nec unum de populo Canutium, aut Arrium Furniumve nominabo, quosque alios in eodem valetudinario hæc ossa, et hæc macies probant.* Lego igitur, *unum de populo,* id est, aliquem ex minutis oratoribus: qui apud vulgus valuerunt, non tamen magnis sunt inserti nominibus.

Arrium discimus ex Bruto Ciceronis: ‘Quod idem faciebat Q. Arrius, qui fuit M. Crassi quasi secundarum. Is omnibus exemplo debet esse, quantum in hac urbe polleat, multorum obedire tempori, multorumque, vel honori vel periculo servire. His enim rebus, infimo loco natus, et honores et pecuniam et gratiam consecutus, etiam in patronorum, sine doctrina, sine ingenio, numerum pervenerat.’

C. Furnium putamus esse, cujus ad Ciceronem meminit Cæsar l. IX. ad Attic. et cui scribit ipse Cicero fam. epist. x. 25. et 26. Ubi patronum nobilem, et sic disertorum numero fuisse, hæc verba produnt: ‘O mi Furni, quam tu causam tuam non nosti, qui alienas tam facile discas.’

Canuti] Canutius an ille, cujus mentio apud Suetonium de claris rhetoribus in Epidio? ‘C. Canutius objicientibus, quod in republica administranda potissimum Isaurici sectam sequeretur, Malle, respondit, Isaurici consularis esse discipulum, quam Epidii calumniatoris.’

Nec unum de populo] Sic forte legi possit: *Nec unum de populo memoraverim, ut Canutium, ut Arrium, Furnium, et Toranium, quique alias in eodem valetudinario hæc ossa et hanc maciem probant:* scil. *nec unum* de plebe oratorum nominabo. Nam oratores et disertos intelligit, non auditores, non *populum* audientem. Quod clare patet ex sequentibus statim, ‘Ipse mihi Calvus,’ &c. Viginti libris editis, vix uno aut altero satisfecit: in quibusdam veterum vix teneo risum, aut somnum.

[s] *Quique aliis*] Sæpe *alios.* For-

hæc ossa et hanc maciem probant.[u] Ipse mihi Calvus, cum unum et viginti, ut puto, libros reliquerit, vix in una aut altera oratiuncula satisfacit:[3] nec dissentire ceteros ab hoc meo judicio video: quotus enim quisque Calvi in Asitium[4][v] aut in Drusum legit? at Hercule in hominum studiosorum manibus versantur accusationes, quæ in Vatinium inscribuntur[5] ac præcipue secunda ex his oratio: est enim verbis ornata, et[6] sententiis auribusque judicum accommodata: ut scias, ipsum quoque Calvum intellexisse, quid melius esset, nec voluntatem, quin[7] sublimius et cultius diceret, sed ingenium ac vires, defuisse. Quid?[w] ex

bant. Schurzfleischius, *Nec unum de populo Canuti aut Arri, vel Furnii aut Toranii, quique alii sunt in eodem valetudinario hæc ossa et hanc maciem probare.* Alii aliter.—Mihi lectio a Gronovio proposita et a Schulzio paululum mutata satis placet, quam proinde expressi. Sic ad antiquam Puteolani propius accedit, quæ sic habet: *nec unum de populo. Canuti aut Aride Furnio et Troiano quique alios, &c.* Bipontini ita rem concinnant: *nec unum de populo. Canutii, aut Attii, vel Furnii, vel Curiones aliis in eod. val. hæc ossa et hanc maciem probant:* ubi Schulzio minus recte et T. Attius et Curio mediocres inter et vulgares oratores referri videntur. Is porro Excursu suo tertio aliorum quoque in hunc locum conjecturas exponit. Ceterum de *Canutio* vid. et Vell. II. 64. ubi 'continua rabie lacerasse Antonium' refert. *Oberl.*—3 Ita Mss. Vatic. et editiones veteres. Ernestus, *satisfecit.* Alii, *satisfecerit.*—4 Mallet Lipsius, *in Asinium.* Schurzfleischius, *in Fuscinium.* Nam, Charisio teste, l. II. 'Licinius Calvus in Fuscinium ambitus reum scripsit.' Totus vero hic locus forte ita refingendus. *Quotus enim quisque accusationes Calvi in Asitium* (aut *in Fuscinium*) *aut in Drusum legit? at hercule in hominum studiosorum manibus versantur, quæ in Vatinium inscribuntur, ac præcipue secunda ex his oratio.* Brotier.—5 Ita Lipsius et recentiores. In Mss. Vatic. et veteribus editionibus, *conscribuntur.* Unde mallet Schurzfleischius, *conscriptæ sunt.*—6 Copulam adjeci cum Heumann. et Schulzio. Abest in edd. *Oberl.*—7 Mss. Vatic.

NOTÆ

te sic fuit: *quique alios in eodem valetudinario, et hæc ossa et hanc maciem probant.* Nempe qui alios sui similes, parique morbo laborantes laudant.

Quique alios] Legunt, *quosque alios, &c. macies probat.* Alii, *quique alius,* vel *quique alii.*

[t] *In eodem valetudinario*] Proverbium de pluribus qui in eodem malo versantur. Seneca epist. 27. 'Non sum tam improbus, ut curationes æger obeam: sed tanquam in eodem valetudinario jaceam, de communi malo tecum colloquor.' *Pichena.*

[u] *Hæc ossa et hanc maciem probant*] Cicero Bruto: 'Attico genere dicendi se gaudere dicunt, sapienter id quidem; atque utinam imitarentur, nec ossa solum, sed etiam et sanguinem: gratum est tamen quod volunt.' *Schelius.*

[v] *In Asitium*] Anne *Asinium?*

[w] *Quid*] Lege, *quid?* vel *quid de Cælianis?* supple, dicam. Alii, *quid? ex Cælianis.* Sunt hæ orationes Cælii oratoris.

Cœlianis orationibus? nempe hæ placent, si non universæ, at partes earum,[8] [x] in quibus nitorem et altitudinem[y] horum temporum agnoscimus. Sordes autem[9] verborum et hians[10] compositio et inconditi sensus redolent antiquitatem: nec quenquam adeo antiquarium[m] puto, ut Cœlium ex ea parte

[m] *Antiquitatis amantem, scientem, admiratorem.*

ne voluntatem ei quo sublimius, &c. Acidal. *nec ei volunt.*—8 Mss. Vatic. *Si universa parte serum in quibus, &c.* Editiones veteres, *si in universa parte fectum.* Beroaldus et alii *factum.* Emendabat Modius, *hæ placent, si non universæ, per partes attamen.* Repono cum Acid. et Heum. *si non universæ, at partes earum.* Bip. sic: *si non universæ, partim earum,* ubi *partim* substantive accipitur. *Oberl.* Gronov. et Ryckius legunt *sive in universa parte factum.* —9 Ms. Vatic. 4498. *sordes autem illæ verborum.* In ed. pr. *sordes autem et verborum.*—10 *Hians compositio* est a Rhen.: prius erat *hiatus.*

NOTÆ

[x] *Nempe hæ placent sive in universa parte factum*] Fortassis: *Neque in universum: partes tantum.* Vel *si minus universæ, partes tamen.* Schelius.

Sive in universa parte factum] Liber Mss. *sive universa parte serum.* Placet, *si non universæ, per partes attamen.* Lipsius. Scribo: *si non universæ, at partes earum.* Acidalius.

Sive in universa] Lego: *sive in universum, sive ex parte tantum.* Forte, *non universæ, sed partes earum, in quibus nitorem, &c.* Non certe possunt placere *in universum* orationes, quæ habent *sordes verborum, &c.* et inconditos sensus. Sed partes tamen earum quædam placere possunt, in quibus *nitor....horum temporum* agnoscitur.

[y] *Altitudinem*] Forte sublimitatem splendoremque orationis ac magnificentiam intellexit. Infra cap. 24. ‘Eminentiorem illorum temporum eloquentiam fuisse.’ Sic Plin. Epist. IX. 33. ‘Incidi in materiam veram, sed simillimam fictæ, dignamque isto lætissimo, altissimo, planeque poëtico ingenio:’ de Delphino amante puerum, et subeunte illum ac perferente. Paulo ante hoc dial. de Calvo: ‘nec voluntatem quin sublimius et cultius diceret . . . defuisse.’

Quintil. lib. XI. 1. ‘Non enim solum illa lætiora, qualia a Cicerone dicuntur, ‘Saxa atque solitudines voci respondent:’ sed etiam ista, quanquam plena sanguinis, ‘Vos enim jam Albani tumuli atque luci, vos, inquam, imploro atque testor; vosque, Albanorum obrutæ aræ, sacrorum populi Rom. sociæ et æquales,’ non conveniant barbæ illi atque tristitiæ.’

Altitudinem] Cap. 31. ‘Dabunt, Academici pugnacitatem, Plato altitudinem.’ Quintil. lib. XII. 10. ‘Sed summam aggressus [Homerus] ut in Ulysse facundiam, magnitudinem illi junxit: cui orationem nivibus hybernis, copia verborum atque impetu parem tribuit. Cum hoc igitur nemo mortalium contendet: hunc ut Deum homines intuebuntur. Hanc vim et celeritatem in Pericle miratur Eupolis, hanc fulminibus Aristophanes comparat; hæc est vera dicendi facultas.’

laudet, qua antiquus est. Concedamus sane C. Cæsari, ut propter magnitudinem cogitationum[11 z] et occupationes[a] rerum minus in[12] eloquentia effecerit, quam Divinum ejus ingenium postulabat: tam Hercule, quam Brutum philosophiæ suæ relinquamus.[b] Nam, in orationibus[c] minorem esse fama sua, etiam admiratores ejus fatentur. Nec forte[13 d] quisquam aut Cæsaris pro Decio Samnite, aut Bruti pro Deiotaro Rege, ceterosque ejusdem lentitudinis ac teporis[14 e]

11 Vet. edd. habent *cognitionis*. Lips. emendavit.—12 Ita Mss. Vatic. et edd. vett. Beroald. omisit præpositionem. Unde Illustr. Huet. tentabat *eloquentia effulserit:* vel, *eloquentia sufficerit*. Brotier.—13 Acidalius laborat in eo quod sequitur, et scribit: *nisique et carmina*. Sed vitium hic erat. Edidit enim auctor: *nec fere* (vel *ferme*) *quisquam*. Gronov. Schurzfl. *nec forte quisq*. Recepit Schulze. Sequor. *Oberl.* Ryckius *nisi forte:* et sic Brotier. et Bipont.—14 Sic placebat et Pithœo. Schelius mallet *torporis*. Majus ulcus hic sanavit. E libro vetere dedit *lentitudinis;* ed. pr. et Put. habent *cujus-*

NOTÆ

[z] *Propter magnitudinem cogitationum*] Velleius lib. II. de eodem Cæsare: 'Magnitudine cogitationum, celeritate bellandi, patientia periculorum, Magno illi Alexandro simillimus.'

[a] *Occupationes*] Magnæ occupationes illæ Cæsaris, quæ majori ex parte adversus Rempub. et quæ nec humanæ ante fortunam putabantur, postea divinæ et *cœlestes* dictæ sub Tiberio: tales sunt ingeniorum, rerum, fatorumque vices.

[b] *Brutum philosophiæ suæ relinquamus*] Quintilianus: 'Egregius vero [in philosophia] multoque, quam in orationibus, præstantior Brutus, sufficit ponderi rerum. Scias eum sentire, quæ dicit.'

Quam Brutum] Sic capio: Concedamus id sane C. Cæsari, et permittamus occupationibus gravissimis, *tam hercule quam Brutum philosophiæ*, seu sapientiæ suæ *relinquimus*. Sic Bruti sapientia rudis, aut certe gravis, et eloquentiæ telis non periude munita aut exercita; quod et ante de Helvidio dixit cap. 5.

[c] *Nam in orationibus*] Forte sensus ille sit: Nam in orationibus minores esse fama sua etiam admiratores eorum fatentur. Antecedentia et subsequentia id evincere videntur. Nam statim et addit, de Cæsare scil. et Bruto, 'nisi forte quisquam aut Cæsaris [sup. orationem] pro Decio Samnite, aut Bruti pro Deiotaro Rege . . . legit.'

[d] *Nisi forte*] Legunt, *nec fere*, vel *ferme quisquam*. Sed sufficit vulgata lectio, *nisi forte:* nam infra idem pari sensu repetit, 'nisi qui et carmina eorundem,' &c.

Nisi forte] Sic sensus cohærebit. Concedamus sane C. Cæsari magnitudinem cogitationum suarum; Brutum philosophiæ suæ relinquamus: quæ causa, licet diversa utrique, fuit minus proficiendi in eloquentia, *nisi si forte* aliquis eos magnos oratores esse contendit; nisi si forte quisquam legit aut amat Cæsarem dicentem pro Decio, aut Brutum pro Deiotaro Rege. Sed quis hæc legit, nisi forte et qui satis ineptus est, ut et ipsorum carmina admiretur? At certe nemo fere novit eorum carmina, nemo talia legit.

[e] *Ejusdem lentitudinis ac teporis*] Si

libros legit, nisi qui et carmina[f] eorundem miratur:[15] fecerunt enim et carmina et in Bibliothecas retulerunt, non melius quam Cicero, at felicius, quia illos fecisse pauciores sciunt. Asinius quoque, quanquam propioribus temporibus natus sit, videtur mihi inter Menenios et Appios studuisse. Pacuvium certe et Attium non solum tragœdiis, sed etiam orationibus suis expressit: adeo durus et siccus est. Oratio autem, sicut corpus hominis, ea demum pulchra est, in qua non eminent venæ, nec ossa numerantur, sed temperatus[g] ac bonus sanguis implet membra et exsurgit toris,[h] ipsos-

dam Lentidius temporis, Ber. *lenti luminis.* Oberl.—15 Schurzfl. *sunt qui* . . . .

NOTÆ

quis malit, *teporis*, non repugno. Sequitur enim paulo post, 'lentus est, tarde commovetur, raro incalescit.' *Pithœus.* Recte, nisi forte placeat, *tenoris.* Lipsius.

Ego *torporis* malim. Neque enim *tepor* post *lentitudinem* vim habere videtur. Supra: 'Tarda et inerti structura in morem annalium componantur:' ut autem *tarditas* et *inertia structuræ*; ita et *lentitudo* et *torpor* libris tribuuntur. Cicero de legibus I. 'Nihil ad Cœlium, sed potius ad antiquorum languorem atque inscitiam.' *Schelius.*

[f] *Carmina*] Plin. Epist. v. 3. meminit eorum, quorum exemplo carmina scripsisse non puderet. 'Sed ego,' inquit, 'verear, ne me non satis deceat, quod decuit M. Tullium, C. Calvum, Asinium Pollionem, M. Messalam, Q. Hortensium, M. Brutum, L. Syllam, Q. Catulum, Q. Scævolam, Ser. Sulpicium, Varronem, Torquatum, immo Torquatos, C. Memmium, Lentulum, Gætulicum, Annæum Senecam, et Lucanum et proxime Verginium Rufum, et si non sufficiunt exempla privata, Divum Julium, Divum Augustum, Divum Nervam, Tib. Cæsarem? Neronem enim transeo, &c. sæpius a bonis fiunt. Inter quos vel præcipue numerandus P. Virgilius, Corn. Nepos, et prius Ennius Acciusque.'

[g] *Sed temperatus*] Forte is sensus sit: *Sed* qua *temperatus ac bonus sanguis implet membra, et exsurgit toris;* scil. qua per toros diffunditur, et *ipsos quoque nervos* suo *rubore tegit, et decore commendat.* Nam ut corpus hominis durum, aridum et exsuccum videtur; in quo scil. eminent venæ, et ossa numerantur; et quod licet robustum, non tamen pulchrum est; et contra illud placet, in quo temperatus ac bonus sanguis implet membra, et affluens late per toros exsurgit, et ipsos etiam nervos purpureo colore exornat, ac pulchritudine commendat; ita et oratio illa jejuna et sicca, quæ habet solummodo verba, et nuda quasi argumenta, quantumvis valida. Et ea longe magis placet quæ ornata, comta, ac profluens, et quæ nitore, decore, ac jucunda varietate splendescit. Similis fere comparatio infra, 'velut in rudi ædificio firmus sane paries et duraturus, sed non satis expolitus et splendens.'

[h] *Et exsurgit toris*] Bene, *exsurgit.* Ipse enim sanguis, quantum satis ac salubre est, se accumulans exsurgit toris factis. Celsus VII. 18. 'Præterquam, quod et tumoris aliquid est, pro venarum magnitudine, et

que[16] nervos[i] rubor[17] tegit et decor[18] commendat. Nolo Corvinum insequi, quia non per ipsum stetisse, quo minus lætitiam nitoremque nostrorum temporum exprimeret, videmus,[19] in quantum[j] judicio ejus vis aut animi aut ingenii suffecit.

22. Ad Ciceronem venio, cui eadem pugna cum æqualibus[n] suis fuit, quæ mihi vobiscum est. Illi enim antiquos mirabantur; ipse suorum temporum eloquentiam anteponebat: nec ulla re magis ejusdem ætatis oratores præcurrit,[o] quam judicio. Primus enim excoluit orationem, primus et verbis delectum adhibuit et compositioni artem, locos quoque[1] lætiores[2] attentavit[k] et quasdam sententias invenit;[3] utique in his orationibus, quas senior jam et juxta

[n] *Coætaneis.* [o] *Antevertit, præcelluit.*

mirentur. Sed bene habet vulg. *Oberl.*—16 Sic Mss. Vatic. In libris editis *ipsos quoque nervos.*—17 Sic bene Mss. Vatic. et Edd. recentiores. In veteribus *robur.* Unde quidam emendarunt *rubore.* Brotier.—18 Ms. Vatic. 1518. *decorum.* Non male Edd. vett. et recentiores *decor.* In mediis quibusdam *decore* [Quidam et recipiunt *tingit* e conject. Gronov.] *Idem.*—19 Edd. vett. cum Ryckio, Gronov. Bipont. et Brotier. *viderimus inquam, judicio ejus vis aut animi aut ingenii suffecerit.* Lego, *viderimus inquam, an judicio ejus vis animi aut ingenii suffecerit.* Lipsius. Mihi vitium in *viderimus* latere videtur. *Ernest.* Sic est. Emendavit optime Freinsh. cujus conjecturam recepi, idem Schulzius, qui aliorum commenta exhibet Excursu IV. In iis Acid. *et videmus, in quantum.* Ita fere et Schulting. Ursinus volebat: *viderimus, an judicium ejus vis animi aut ingenii defecerit.* Broterius: *utinam judicio ejus vis aut animi aut ingenii sufficeret.* Oberl.

1 Sic bene Mss. Vatic. In libris editis *locosque*: [et sic Gronov. et Ryck.] *Brotier.*—2 Sic Muretus emendabat. Edd. vett. *latiores.* Male Rhenanus *altiores.* In Ms. Vatic. 4498. *lectiores.* Idem.—3 Heumann. dedit *inseruit.*

NOTÆ

modo, et id prementi magis renititur, ac per ipsos venarum toros inæquale est.' *Gronovius.*

Toris] Plin. Epist. v. 8. 'Habent quidem oratio et historia multa communia, sed plura diversa, in his ipsis, quæ communia videntur. Narrat illa, narrat hæc. Sed aliter huic pleraque humilia et sordida, et ex medio petita. Illi omnia recondita, splendida, excelsa conveniunt. Hanc sæpius ossa, musculi, nervi; illam tori quidam et quasi jubæ decent.'

[i] *Ipsosque nervos*] Quintil. præf. lib. I. 'Plerumque nudæ illæ artes nimia subtilitatis affectione frangunt; atque concidunt, quicquid est in oratione generosius, et omnem succum ingenii bibunt, et ossa detegunt: quæ ut esse, et astringi nervis suis debent, sic corpore operienda sunt.'

[j] *Videmus, in quantum*] Alii legunt, *Viderimus, inquam:* Alii, *inquam an.* Alii, *et videmus an.* Forte, *viderimus in quantum:* scil. *viderimus,* pro videamus, nempe in ejus libris, quod facile, et

finem vitæ composuit, id est, postquam magis profecerat, usuque et experimentis didicerat, quod optimum dicendi[4] genus esset.[5] [l] Nam priores ejus orationes non carent vitiis antiquitatis; lentus est in principiis, longus in narrationibus, otiosus circa excessus, tarde commovetur, raro incalescit, pauci sensus apte[6] et cum quodam lumine terminantur: [m] nihil excerpere,[7] nihil referre possis: et, velut in rudi [n]

—4 Ursinus emendat, *discendi*.—5 Sic Ernest. In ceteris Edd. *est*. Schurzfleischius omnino omisit.—6 Sic bene Acidalius, Freinshemius et Schurzfleischius. Sic sæpe Tullius. In veteribus editionibus, *sensus opt. et cum*. Ms. Vatic. 4498. *optet*. Ms. Vatic. 1518. *opti*. Unde Davanzati videtur emendasse, *optime*. Ita enim vertit, 'pochi concetti termina ottimamente; e con certo splendore.' *Brotier*.—7 Sic optime Lipsius e Ms. Perperam

NOTÆ

ideo statim transit ad Ciceronem. Vel *viderimus*, pro videbimus alias, indistincte scil. et indefinite.

[k] *Locos quoque lætiores attentavit*] Recte: nam paulo infra ait: 'Nam et te Messala, video lætissima quæque antiquorum imitantem.' *Pichena*.

[l] *Quod optimum dicendi genus est*] Concinnitas orationis requirere videtur: 'quod optimum dicendi genus esset.' At sententiæ veritas vult, 'quod optimum discendi genus est.' Nam ut ait Plinius lib. XXVI. 'Usus efficacissimus rerum omnium magister.' *Acidalius*.

Quod optimum dicendi genus] Forte non malo sensu: *Postquam, &c. didicerat, quod optimum dicendi genus esset*. Sed vera sententia sit, si legas, *quod optimum discendi genus est*: quod certe non aliud est, quam didicisse *usu et experimento*. Quintil. lib. II. 17. 'Neque orator esse, qui non dicit, potest: et hos sero potius, quam nunquam didicisse, quis dixerit: quanquam Æchines ab initio sit versatus in literis, quas pater ejus etiam docebat: Demadem neque non didicisse certum sit, et continua dicendi exercitatio potuerit tantum, quantuscumque postea fuit, fecisse. Nam id potentissimum discendi genus est.'

Dicendi genus] Tò *dicendi* male referunt ad *τὸ usu et experimento*, quod sane de *discendi* modo intelligi possit; sed vox *dicendi* respicit ad ea quæ altius præcedunt, nempe, 'locosque lætiores attentavit, et quasdam sententias invenit.' Idque optimum dicendi genus, quod innuunt et sequentia: 'Nam priores ejus orationes non carent vitiis antiquitatis.'

Certe circa finem vitæ id usurpavit, et usu didicerat ille *optimum* hoc *dicendi genus*. Sed non præcise id *optimum dicendi genus*, quia usu et experimento didicisset; nam potuit absolute abuti tali usu in dicendo; et potuit esse malus usus, licet longus, ut fuit in aliis multis: neque enim omnes, qui longo usu eloquendi modum didicere, non propterea *optimum dicendi genus* assecuti sunt. Igitur felicibus 'experimentis ipse didicerat, quod optimum dicendi genus' esset. In qua re judicio antiquos superavit. Et vetus lectio retinenda Mss. Quicquid afferatur, mallem tamen hic *discendi*.

[m] *Lumine terminantur*] *Lumen* quid sit, disse ex notatis supra ad cap. 20. quo pertinent et *clausulæ*, de quibus mox. *Freinsh*.

[n] *Velut in rudi*] At ex rudi et firmo illo ædificio excerpi aliquid po-

ædificio, firmus sane paries et duraturus, sed non satis expolitus et splendens. Ego autem oratorem, sicut locupletem ac lautum[8] patremfamiliæ, non eo tantum volo tecto tegi, quod imbrem ac ventum arceat, sed etiam quod visum et oculos delectet: non ea solum instrui supellectile, quæ necessariis usibus sufficiat; sed sint in apparatu ejus et aurum et gemmæ, ut sumere in manus et aspicere sæpius libeat:[9] quædam vero procul arceantur, ut jam obliterata[o] et olentia:[10] nullum sit verbum velut rubigine infectum,[11] nulli sensus tarda et inerti structura, in morem Annalium, componantur; fugiat[12] fœdam et insulsam scurrilitatem, variet compositionem, nec omnes clausulas uno et eodem modo terminet.[13]

23. Nolo irridere 'rotam fortunæ[p] et jus Verrinum' et illud, tertio quoque sensu in omnibus[q] orationibus[1] pro

veteres editiones, *nihil ex tempore referre.* Idem.—8 Sic Lipsius, Ernest. et Bipont. In edd. Gronov. Ryck. et Brotier. *laudatum.*—9 Sic Bipont. ex conject. Rodolph. Ceteri Edd. *liceat.*—10 Acidal. volebat *exoleta.*—11 Sic Rhen. Olim legebatur *infestum.*—12 Mss. Vatic. 1862. et 4498. *fugitet.* Ms. Vatic. 1518. *fugiet.*—13 Mss. Vatic. et editiones veteres, *determinet.*

1 Sic bene Mss. Vatic. et editiones veteres. Perperam in aliis omissum,

NOTÆ

tuisse videtur. Fateor; sed quod rude, inelegans, et impolitum esset; at quod excerpere voluerunt, id illustre esse debuit, argutum, nitens, splendidum. Sic cap. 20. 'Referre domum aliquid illustre, . . . sive sensus aliquis arguta et brevi sententia effulsit.' Et infra: 'non ea solum instrui supellectile, [quæ necessaria est,] sed sit in apparatu ejus aurum et gemmæ,' &c.

[o] *Obliterata*] Quintil. lib. I. 6. 'Verba a vetustate repetita non solum magnos assertores habent, sed etiam afferunt orationi majestatem aliquam, non sine delectatione. Nam et auctoritatem antiquitatis habent; et quia intermissa sunt, gratiam novitati similem parant. Sed opus est modo, ut neque crebra sint hæc, neque manifesta; quia nihil est odiosius affectatione, nec utique ab ultimis et obliteratis repetita temporibus,' &c. Sueton. de Illustr. Grammat. 11. ubi de Ateio Philologo: 'Coluit postea familiarissime C. Sallustium; et, eo defuncto, Asinium Pollionem, &c. Miror Asinium Pollionem credidisse, antiqua eum verba et figuras solitum esse colligere Sallustio; cum sibi sciat nihil aliud suadere, quam ut noto civilique et proprio sermone utatur; vitetque maxime obscuritatem Sallustii, et audaciam in translationibus.'

[p] *Nolo irridere rotam fortunæ*] Locus notus ex oratione in Pisonem: 'Cumque ipse nudus in convivio saltaret, in quo ne tum quidem cum illum saltatorium versaret orbem; fortunæ rotam pertimescebat.' Quæ merito antiquis visa sunt ineptissima et levissima.

[q] *Tertio quoque sensu in omnibus*]

sententia positum, 'esse videatur.' Nam et hoc invitus[2] retuli,[r] et plura omisi, quæ tamen sola mirantur atque exprimunt[s] hi, qui se antiquos oratores vocant.[3] Neminem nominabo, genus hominum signasse[4 p] contentus: sed vobis utique versantur ante oculos,[5] qui Lucilium pro Horatio, et Lucretium pro Virgilio, legunt; quibus eloquentia tui[6] Aufidii Bassi, aut Servilii Noniani, ex comparatione Sisennæ aut Varronis, sordet; qui rhetorum nostrorum commentarios fastidiunt, oderunt, Calvi mirantur: quos, more prisco apud judicem fabulantes,[t] non auditores sequuntur, non populus audit, vix denique litigator perpetitur: adeo mœsti[q] et inculti illam ipsam, quam jactant, sanitatem[u]

[p] *Designasse, indicasse.* Hæc vox tota Quintiliani est. [q] *Squalidi, incomti.*

orationibus, ut recte vidit Muretus. *Brotier.*—2 Ita bene Puteolanus et deinde alii omnes. In Mss. Vatic. et editione principe, *invitatus*. *Hæc* quoque mallet Acidalius. *Idem.*—3 Mss. Vatic. et editiones veteres, *vocabant*. Bene Lipsius, *vocant*. Et sic passim in hoc dialogo. Schurzfleischius, *vocitant*. Brotier.—4 Ita libri omnes editi. In Mss. Vatic. *significasse*.—5 Mss. Vatic. *ante oculos isti, qui*.—6 Acidal. expungit *tui*. Schurzfl. mutat

NOTÆ

Certe aliud *sensus*, aliud *sententia*. Quintilianus: 'Consuetudo tenuit, ut mente concepta *sensus* vocaremus; lumina autem præcipueque in clausulis posita *sententias*.' Idem: 'Noveram quosdam, qui se pulchre expressisse genus illud cœlestis hujus in dicendo viri sibi viderentur; si in clausula posuissent, esse videtur.' Sic Fabium agnoscis.

In omnibus] *In omnibus orationibus.* Muretus. Forte sæpius ea clausula adhibita, quam in omnibus orationibus, forte passim, et omnibus fere locis ac clausulis. Puto, *omnibus*, de clausulis intelligi. Supra, 'nec clausulas uno et eodem modo terminet.'

[r] *Nam et hoc invitus retuli*] Rom. codex, *invitatus:* non male; quia lacessitum significat sese, ad hæc promenda, ab Messala. *Lipsius*. *Invitus*, quia scil. indignatur, hoc solum mirari istos in Cicerone quod palam vitiosum est.

[s] *Quæ tamen sola mirantur atque exprimunt*] Quintilianus: 'Utinam tam bona imitantes melius dicerent, quam mala pejus dicunt.'

[t] *Quos, more prisco apud judicem fabulantes*] Idem de Atticis illis, ut se dicebant, oratoribus suæ ætatis Cicero in Bruto: 'At cum isti Attici dicunt, non modo a corona (quod est ipsum miserabile) sed etiam ab advocatis relinquuntur.' *Schelius.*

[u] *Illam ipsam, quam jactant, sanitatem*] Non male in Ven. et Bas. *sanitatem, sed jejunio consequuntur.* Id est, consequuntur quidem *sanitatem*, scilicet puritatem orationis, sed structura inerti, ariditate et inopia verborum. *Pichena.*

Fabius lib. XII. 'Hi sunt, qui suæ imbecillitati, sanitatis appellationem,

non firmitate[7] sed jejunio consequuntur. Porro ne in corpore quidem valetudinem medici probant, quæ a nimia anxietate contingat:[8] [v] parum est, ægrum non esse: fortem et lætum et alacrem volo: prope[9] abest ab infirmitate, in quo sola sanitas laudatur. Vos vero,[10] disertissimi,[11] ut potestis, ut facitis, illustrate sæculum nostrum pulcherrimo genere dicendi. Nam et te, Messala, video lætissima[12] quæque[w] antiquorum imitantem: et vos, Materne ac Secunde, ita gravitate[13] sensuum[14] [x] nitorem et cultum verborum miscetis, ea electio inventionis, is ordo rerum et, quoties causa poscit, ubertas, ea, quotiens permittitur, brevitas, is compositionis decor, ea[15] sententiarum pleni-

in *Titi.*—7 Sic bene Schelius. In Mss. Vatic. 1862. et 4498. *infirmitate sed jejunio consequentur.* Editio princeps, *infirmitatem.* Puteolanus, *sanitatem sed jejunio consequuntur;* quod immerito probat Schurzfleischius. Lipsius, *infirmitate et jejunio:* [et sic Gronov. et Ryck.] Rodolphus, *non infirmitate, sed jejunio.* Brotier.—8 Mss. Vatic. *contingit* Absurde editiones veteres, *anxietati confixit.* In recentioribus emendatum fuerat, *anxietate contingat.* Idem.—9 Male vett. Edd. *proprie abest.* Brotier.—10 Edd. Vett. *vos ergo.*—11 Acidal. *dissert. viri.*—12 Rhenan. *lectissima.*—13 Sic Ernest. Ceteri habent *gravitati.*—14 Sic Mss. Vatic. Perperam omnes libri editi *summum nitorem.*—15 Ita Ms. Vatic. 1862. et 4498. et Edd. vett. Omisere *ea* recentiores cum

NOTÆ

quæ est maxime contraria, obtendunt.' *Schelius.* Sic intelligi debet: Adeo mœsti et inculti ut illam ipsam, quam jactant sanitatem, infirmitate et jejunio consequantur. Non tamen sic legi debuit: nam satis intelligitur vulgata lectio.

Sanitatem] Quintil. lib. XII. 10. 'Unde nunc quoque aridi, et exsucci et exsangues; (hi sunt enim, qui suæ imbecillitati sanitatis appellationem, quæ est maxime contraria, obtendant;) quia clariorem vim eloquentiæ, velut solem, ferre non possunt; umbra magni nominis delitescunt.'

[v] *Quæ animi anxietate contingat*] Quintil. lib. XII. 10. 'Neque enim vis summa dicendi est admiratione digna, si infelix usque ad ultimum solicitudo persequitur, ac oratorem macerat et coquit, ægre verba vertentem, et perpendendis coagmentandisque eis intabescentem. Nitidus ille et sublimis et locuples, circumfluentibus undique eloquentiæ copiis imperat: desinit in adversa niti, qui pervenit in summum.'

[w] *Lætissima quæque*] Alii, *lectissima;* sed frustra. Nam supra de Tullio, 'locosque lætiores attentavit;' et antea de Corvino, 'non per ipsum stetit, quominus lætitiam nitoremque nostrorum temporum exprimeret;' quod certe opponitur *mœstis* illis *et incultis*, de quibus agitur hic.

[x] *Sensuum*] Sic forte legendum pro vulg. *summum:* aut potius, *sententiarum.* Sic tamen et sensum habet τὸ *summum.*

tas,[16][y] sic exprimitis affectus, sic libertatem[z] temperatis, ut etiam, si nostra judicia malignitas et invidia[a] tardaverit, verum de vobis dicturi[17] sint posteri nostri.

24. Quæ cum Aper dixisset, Agnoscitisne, inquit Maternus, vim et ardorem Apri nostri? quo torrente, quo impetu sæculum nostrum defendit! quam copiose ac varie vexavit antiquos! quanto non solum ingenio ac spiritu,[r] sed etiam eruditione et arte, ab ipsis mutuatus est, per quæ mox ipsos incesseret! Tuum tamen Messala promissum immutasse[1] non debes:[2] neque enim defensores antiquorum exigimus, nec quenquam nostrum,[3][s] quanquam modo laudati sumus, his, quos insectatus est Aper, comparamus: ac ne ipse quidem ita sentit, sed more veteri, et alias[4][b] vestris[5][c] philosophis sæpe celebrato, sumsit sibi contradicendi partes. Exprome[6] nobis, non laudationem antiquorum: satis enim

[r] *Excelsa et animosa eloquentia.* [s] *Coætaneorum scil. oratorum.*

Ryckio et Gronov.—16 Sic Ms. Vatic. 1518. Brotierus dat *planitas:* et sic Ryck. et Gronov.—17 Edd. vett. *daturi*. Correxit Lipsius.

1 Perperam vett. Edd. *ita mutasse.* Brotier.—2 Mss. Vatic. 1862. et 4498. *non debet.*—3 Sic bene Acidal. Legebatur *nostrorum:* et ita Brotier. Ryck. et Gronov.—4 Sic Gronovius et Ryckius. Lipsius correxit *alias a vestris.* Brotierus e Mss. Vatic. *et a vestris.*—5 Ms. Vatic. 1862. *et a nostris.* —6 Sic bene Mss. Vatic. Corrupte ed. pr. *exprimo.* Unde Puteolanus,

NOTÆ

[y] *Sententiarum planitas*] Id est, quæ non eminent extra corpus orationis. Fabius: 'Quæ crebris parvisque conatibus se attollunt inæqualia tantum et velut confragosa, nec admirationem consequuntur eminentium, et planorum gratiam perdunt.' *Schelius.*

Sententiarum] Leg. *ea sententiarum planitas:* id est, æqualitas.

[z] *Libertatem*] Scil. in dicendo *libertatem* retinetis vestra modestia. Infra 26. 'Ut lascivia verborum, et levitate sententiarum, et licentia compositionis, histrionales modos exprimant.'

[a] *Et invidia*] Plin. Epist. I. 16. 'At hoc pravum malignumque est, non admirari hominem admiratione dignissimum; quia videre, alloqui, audire, complecti, nec laudare tantum, verum etiam amare contingit.'

[b] *Et alias*] Recte *alias:* nam etsi Aper philosophiæ studio fuerit deditus, hoc tamen satis intelligitur, cum dicit, *vestris philosophis, &c. Alias,* id est, olim, ut Socrati, Platoni, et aliis. Vel *alias* sit, alioqui, aut aliis occasionibus.

[c] *Vestris*] *Vestris philosophis sæpe celebrato;* sic dictum phrasi Græca, pro *a vestris.*

illos fama sua laudat; sed causas, cur in tantum ab eloquentia eorum recesserimus; cum præsertim[7] centum et xx. annos ab interitu Ciceronis in hunc diem effici ratio[8] temporum collegerit.

25. Tum Messala: Sequar a te præscriptam formam, Materne. Neque enim diu contradicendum est Apro, qui primum,[1] ut opinor, nominis controversiam movit,[2] tanquam parum proprie antiqui vocarentur,[d] quos satis constat ante[3] centum annos fuisse. Mihi autem de vocabulo pugna non est: sive illos antiquos, sive majores, sive quo alio mavult nomine, appellet: dummodo in confesso sit, eminentiorem illorum temporum eloquentiam fuisse. Ne illi quidem parti sermonis ejus repugno sic, quo minus[e] fatear,[4] plures for-

Gronovius et Ryckius *exprime.*—7 Excidisse videtur *tantum.* Ernest.—8 Idem vult *ratione.*

1 Heumann. dedit *primus.*—2 Sic bene Lipsius e Ms. In vett. Edd. *non movit:* et hiatus est inter *non* et *movit.*—3 Muretus *intra cent.*—4 Bene Bip. *repugno sic, quo minus fatear:* recipio. Ingeniose quoque Schulze sic, *qua omnino fatetur,* ubi *omnino* pro nimirum. Heum. *quatenus fatetur.* Alia dabit Schulze. *Oberl.* Brotierus legit, *repugno, si quominus fatetur.* Sic Ryck. et

NOTÆ

[d] *Parum proprie antiqui vocarentur*] Quasi non proprie, aut satis vere, appellarentur *antiqui* Cicero et alii coætanei ipsius; qui tamen 'ante centum annos vixere.' Et possit hic dici de oratoribus, quod habet Tacitus de historicis supra Agric. c. 10. 'Formam totius Britanniæ Livius veterum, Fabius Rusticus recentium eloquentissimi auctores,' &c. Livius autem ante centum annos vixit, paulo tamen junior ipso Cicerone; et tamen jam ille inter antiquos auctores recensebatur. Certe qui viderant Rempub. et libertatem, jam majores et veteres, jam *antiqui* appellati sunt; præcipue comparati cum sæculo Nervæ et Trajani. Et jam alia Respub. jam alia ætas, jam alii, ut ita dicam, mortales erant.

[e] *Si cominus fatetur*] Tollendum aut mutandum illud *fatetur.* Non enim fassus erat Aper plures formas dicendi etiam iisdem sæculis extitisse, sed probaverat. Probamus, quod pro nobis facit; fatemur, quod contra nos est, et quodam modo extorquetur. Verba Apri fuerant: 'Nec quæro quis disertissimus: hoc interim probasse contentus sum, non esse unum eloquentiæ vultum, sed in illis quoque, quos vocatis antiquos, plures species deprehendi, nec statim deterius esse, quod diversum est.' Fortassis, *Si cominus spectentur.* Schelius.

Si cominus] Cod. Ven. *Si quo minus.* Legunt, *communius.* Alii, *quin omnes fatemur.* Forte, *si quidem nunc.* Et id Aper fatetur, simul et probat, nec sufficeret fateri, nisi et id probasset.

mas dicendi etiam iisdem sæculis, nedum diversis, extitisse. Sed, quo modo inter Atticos oratores primæ Demostheni tribuuntur, proximum autem locum Æschines et Hyperides et Lysias et Lycurgus obtinent, omnium autem consensu hæc oratorum ætas maxime probatur; sic apud nos Cicero quidem ceteros eorundem temporum disertos antecessit, Calvus autem et Asinius et Cæsar, et Cœlius et Brutus suo[5] jure et prioribus, et sequentibus, anteponuntur: nec refert, quod inter se specie differant,[f] cum genere consentiant. Astrictior[6] Calvus,[g] numerosior Asinius,[h] splendidior Cæsar,[i] amarior Cœlius,[j] gravior Brutus, vehementior

Gronov. nisi illi quidem habent *cominus* pro *quominus*.—5 Sic bene Lipsius et recentiores. In Mss. *sic vere*. Vett. edd. *sic jure*.—6 Sic optime Acidal. In ed. pr. *aut strictior*. Puteol. *at strictior*: et ita Ryck. et Gronov. *Brotier*.

NOTÆ

[f] *Specie differant*] Quod statim explicat, 'strictior Calvus, numerosior Asinius,' &c.

[g] *At strictior Calvus*] Lego una voce, *ad strictior*. Acidalius.

Astrictior] Id explicat c. 31. 'Sunt apud quos astrictum, et collectum, et singula statim argumenta concludens dicendi genus plus fidei meretur.... Alios fusa et æqualis, et ex communibus ducta sensibus oratio magis delectat.'

[h] *Numerosior Asinius*] Asinium Pollionem circa compositionem diligentem valde fuisse ex eo patet; quod Quintilianus adducit exordium quoddam ejus adeo Celso probatum, ut optimam in eo compositionem et legem principiorum esse duxerit. Cum tamen hic dicatur videri inter Menenios et Appios studuisse: Pacuvium certe et Attium, non solum tragœdiis, sed etiam orationibus suis expressisse: adeo durum et siccum esse: et apud Quintilianum videri Cicerone sæculo priorem, et apud Senecam epistola centesima: 'Compositio Pollionis Asinii salebrosa et exiliens, et ubi minime expectes, relictura; denique apud Ciceronem omnia desinunt, apud Pollionem cadunt.' Dubitabam, an talis scriptor, quantumvis diligens, *numerosus* recte diceretur, an potius *morosus*? 'Summa enim in eo,' ut ait Fabius, 'diligentia, adeo ut quibusdam etiam nimia videretur.' Seneca Pater, 'Strictum ejus, et asperum, et nimis ratum in dicendo judicium.' *Schelius*.

Numerosior] Velint, *morosior*. Attamen videtur auctor hic loqui de istis oratoribus per oppositionem, et comparat illorum stylum, seu compositionem inter se, ut sit *astrictior Calvus*; at *numerosior* et fusior *Asinius*; illustrior splendidiorque Cæsar; asperior et durior Cœlius; gravior et maturior Brutus; vehementior et plenior Cicero.

[i] *Splendidior Cæsar*] Cicero Bruto: 'Splendidam quandam minimeque veteratoriam, dicendi tenet rationem voce, motu, forma etiam magnifica et generosa quodammodo.'

[j] *Amarior Cœlius*] Quintilianus de eodem: 'in accusando multa urbani-

et plenior et valentior Cicero; omnes tamen eandem sanitatem[7] [k] eloquentiæ ferunt:[l] ut, si omnium pariter libros in manum sumseris, scias,[8] quamvis in diversis ingeniis, esse quandam judicii ac voluntatis similitudinem[m] et cogitationem.[9] Nam, quod invicem se obtrectaverunt, (et supersunt[10] aliqua epistolis eorum inserta, ex quibus mutua malignitas detegitur,)[n] non est oratorum vitium, sed hominum.

—7 Vett. edd. *sanctitatem.* Correxit Rhenanus.—8 Sic bene Lipsius e Ms. in quo erat *sciam.* In vett. edd. verbum plane deest. *Brotier.*—9 Bene Beroaldus, *cognationem.* In veteribus editionibus, *cogitationem.* Recentiores quoque emendavere, *voluntatis.* Antea legebatur, *voluminis.* Idem.—10 Brotier. e Mss. Vatic. exhibet *sunt.* In ed. pr. *et super aliqua.* Unde Puteol.

NOTÆ

tas.' Plinius Epist. VI. 8. 'Vide, attendas, ne in bilem aut amaritudinem vertat injuria.' *Schelius.*

Amarior] Quintil. VIII. 5. 'Est et amarum quoddam, quod fere in contumelia est positum, quale est Cassii. Quid facies, cum in bona tua invasero? hoc est, cum te docuero nescire maledicere.'

[k] *Sanitatem*] Hoc est quod antea explicat, 'lætum et alacrem volo . . . Illustrate sæculum nostrum pulcherrimo genere dicendi . . . . lætissima quæque antiquorum imitantem . . . nitorem et cultum verborum . . . compositionis decor;' et cetera, quæ addit. Nec sanitatem anxiam desiderat, sed pulchritudinem, decorem, lætitiam, amœnitatem, &c.

Sanitatem] Forte possit legi, *sanctitatem;* ut fuit in vett. libris. Nam Quintil. I. 8. 'Sanctitas certe [e veteribus auctoribus], et, ut sic dicam, virilitas ab his petenda; quando nos in omnia deliciarum genera vitiaque, dicendi quoque ratione defluximus.' Idem l. II. 5. 'Suaserim et antiquos legere; ex quibus si assumatur solida ac virilis ingenii vis, deterso rudis sæculi squalore, tum noster hic cultus clarius enitescet; et novos, quibus et ipsis multa virtus adest. Nec enim nos tarditatis natura damnavit: sed dicendi mutavimus genus, et ultra nobis quam oportebat indulsimus. Ita non tam ingenio illi nos superarunt, quam proposito. Multa ergo licebit eligere: sed curandum erit, ne iis quibus permista sunt, inquinemur.'

[l] *Ferunt*] Pro *præferunt*, simplex pro compos. sic passim Quintilianus.

[m] *Judicii ac voluntatis similitudinem*] Quintilianus: 'Mirabilem in illo recti generis voluntatem.' Cicero oratore: 'Quæ dicendi oratio, quæ voluntas.' *Schelius.*

Judicii] Fuit *judicii* similis ac *voluntatis* cognatio in eo, quod *eandem sanitatem*, scil. incorruptæ eloquentiæ præferrent omnes; et cum dissiderent ab invicem, et sibi obtrectarent, hoc non vitium fuit eloquentiæ, aut oratoriæ artis, sed malignitatis, aut certe infirmitatis humanæ. Quæ Quintiliani sententia est, qui totus ubique agnoscitur, licet in Instit. orat. jam gravis et maturus ætate ac sermone videatur.

[n] *Detegitur*] Forte, *colligitur;* alii velint, *deprehenditur.* Forte, *intelligitur.*

Nam et Calvum et Asinium et ipsum Ciceronem credo solitos et invidere et livere, et ceteris humanæ infirmitatis vitiis affici: solum inter hos arbitror Brutum non malignitate,[o] nec invidia, sed simpliciter et ingenue, judicium animi sui detexisse. An invideret[11] Ciceroni, qui mihi videtur ne Cæsari quidem invidisse?[p] Quod ad Ser. Galbam[q] et C. Lælium attinet, et si quos alios antiquorum agitare[r] non destitit;[12] non exigit defensorem, cum fatear, quædam eloquentiæ eorum, ut nascenti adhuc, nec satis adultæ, defuisse.

26. Ceterum si, omisso optimo illo et perfectissimo genere eloquentiæ, eligenda sit forma dicendi, malim Hercule C. Gracchi impetum,[s] aut L. Crassi maturitatem, quam calamistros Mæcenatis, aut tinnitus Gallionis:[t] adeo me-

et supersunt aliqua.—11 Mss. Vatic. 1862. et 4498. *an ille Ciceroni invideret.* Ms. Vatic. 1518. *invidere.*—12 Sic edd. vett. et recentiores. Emendavit Beroaldus *desistit:* quem sequitur Brotierus.

NOTÆ

[o] *Non malignitate*] Non pravitate animi aut invidia, ulli mortalium obtrectavit Brutus, sed simpliciter et libere proferebat quid sentiret, quid existimaret de unoquoque civium atque oratorum. An invideret Brutus Ciceroni eloquentiam, qui ne quidem invidit Cæsari fortunam, victoriam, imperium? 'Judicium animi citra damnum affectus proferebat.'

[p] *Ne Cæsari quidem invidisse*] Non certe invidebat; immo sorti hominis et flagitio indoluit, quod Rempub. opprimeret, seque piaculari scelere illigaret. Unus Brutus amavit, simplici et aperto pectore, Rempub. libertatem, salutemque civium: alii, aliis privatisque rationibus; ipse unus, amore boni publici, ad arma incitabatur. Neque Cassius perinde sincerus. Non vidit Philippicos campos Cato, neque totam Cæsaris victoriam: scil. eodem genio, quo Brutus tyrannum videre oculis non sustinuit.

[q] *Quod ad Ser. Galbam*] Isti antiqui oratores, et inter antiquos, istos vexavit Aper, aut vexare potuit. *Et si quos alios antiquorum* disertorum *agitare non destitit,* hoc *non exigit defensorem, cum fateur* ipse, quædam eorum eloquentiæ tum primum nascenti defuisse.

[r] *Si quos alios ... agitare*] Quintilianus: 'Potioribus Senecam præferri non sinebam, quos ille incessere non destiterat.' *Schelius.* Forte, *et si quem alius antiquorum;* vel *si quis alius antiquos agitare, &c.*

[s] *Malim Hercule C. Gracchi impetum*] Comparat antiquiores, ut Gracchum et Catonem majorem, cum his qui post Augusti sæculum vixere; et præfert Gracchum corruptæ et fractæ deliciis eloquentiæ Mæcenatis, quam ideo assimilat *calamistris,* ac *fucatis,* floridisque et *meretriciis vestibus.*

[t] *Tinnitus Gallionis*] Quintilianus:

lius[1] est, oratorem vel hirta toga induere, quam fucatis et meretriciis vestibus insignire. Neque enim oratorius iste, immo, Hercule, ne virilis quidem cultus[u] est, quo plerique temporum nostrorum actores[2] ita utuntur, ut lascivia verborum[v] et levitate sententiarum[w] et licentia compositionis histrionales modos exprimant: quodque vix auditu fas esse debeat,[3] laudis et gloriæ et ingenii loco[x] plerique jactant, 'cantari saltarique[y] commentarios suos.' Unde oritur illa fœda et præpostera, sed tamen frequens, quibusdam[z] exclamatio, ut 'oratores nostri tenere[4] dicere,[a] histriones di-

1 Ita Mss. Vatic. In editione principe, *adeo melius in*. Puteolanus, *adeo melius*. Pichena emendaverat, *adeo malim*.—2 Ita bene Lipsius e Ms. *temporum nostrorum*. Male veteres editiones, *ipsorum nostrorum*. Præterea in Ms. Vatic. *auctores* pro *actores*. Brotier.—3 Mallet Muretus, *debebat*.—4

NOTÆ

'Nam timidos, et corruptos, et tinnulos, et quocumque alio cacozeliæ genere peccantes, certum habeo, non virium, sed infirmitatis vitio laborare; ut corpora non robore, sed valetudine inflantur.'

[u] *Hercule, ne virilis quidem cultus*] Quintilianus l. VIII. 'Ornatus virilis fortis et sanctus sit.' Idem lib. XI. 'Quæ lenis et quadrata, sed virilis tamen compositio.'

[v] *Lascivia verborum*] Quintilianus: 'Alios recens hæc lascivia deliciæque et omnia ad voluptatem multitudinis imperitæ composita delectant.'

[w] *Levitate sententiarum*] Petronius: 'Sententiarum vanissimum strepitum.'

[x] *Ingenii loco*] Fuere, qui in ostentatione ingenii omnem eloquentiam positam ducerent; et tamen longe minor laus, esse *ingeniosum*, quam *disertum*. Fabius de iis, qui solas petunt sententias: 'Itaque ingeniosi vocentur, ut libet; dum tamen constet, contumeliose sic laudari disertum.' Martialis: 'Cum sexaginta numeret Casselius annos, Ingeniosus homo est; quando disertus erit?' *Schelius.*

Ingenii] Facundiæ et eloquentiæ loco id ostentant: quasi eloquentia aut ingenium esset, 'plerique jactant, cantari saltarique commentarios suos.' Licentia compositionis histrionales modos exprimunt; idque tribuunt laudi et gloriæ suæ; hoc et velut ingenii ac facundiæ summam dotem prædicant, si orationes suæ cantentur saltenturque, velut in scena.

[y] *Cantari saltarique*] Quintil. I. 10. 'Profitendum puto, non hanc a me præcipi, quæ nunc in scenis effœminata et impudicis modis fracta, non ex parte minima, si quid in nobis virilis roboris manebat, excidit: sed qua laudes fortium canebantur, quaque et ipsi fortes canebant; nec psalteria et spadicas, etiam virginibus probis recusanda: sed cognitionem rationis quæ ad movendos leniendosque affectus plurimum valet.'

[z] *Quibusdam*] Olim, *sicut his clam et excl.*

[a] *Ut oratores nostri tenere dicere*]

serte saltare,'[b] dicantur. Equidem non negaverim, Cassium[c] Severum, quem solum Aper noster nominare ausus est, si his comparetur, qui postea fuerunt, posse oratorem vocari, quanquam in magna parte librorum[d] suorum plus vis[5] habeat, quam sanguinis.[e] Primus enim, contemto[6] ordine

Ita optime Lipsius. In veteribus editionibus, *temere*.—5 Frustra tentat Gronovius, *plus iræ*. Ridicule Schurzfleischius, *plus puris*. Brotier.—6 Male

NOTÆ

Plinius id illustrat Epist. II. 14. ' Pudet referre, quæ, quam fracta pronuntiatione dicantur: quibus, quam teneris clamoribus excipiantur. Plausus tantum, ac potius sola cymbala et tympana illis cantibus desunt.' *Lipsius*. Licet quandoque laudabilis sit oratio tenera, mollis, et flexibilis, teneritudo tamen magis saltantis, quam dicentis laus est. Sicut oratoris est, diserte dicere; sic histrionis, tenere saltare. Cicer. in Pisonem: 'Samothraciam te primum, inde Tharsum cum his teneris saltatoribus, et cum Antobalo Athamante, et Timocle, formosis fratribus, contulisti.' Ideo, qui *virilem* et masculam orationem affectabant, currentibus etiam numeris, quo eos inhiberent, objiciebant; quo scil. teneram delicatamque modulandi voluptatem refugerent, ut de Pollione memorat Quintilianus. *Schelius*.

Tenere dicere] Plin. Epist. III. 18. 'Animadverti enim severissima quæque vel maxime satisfacere. Memini quidem me non multis recitasse, quod omnibus scripsi; nihilominus tamen, tanquam sit eadem omnium futura sententia, hac severitate aurium lætor. Ac sicut olim theatra male musicos canere docuerunt, ita nunc in spem adducor, posse fieri, ut eadem theatra bene canere musicos doceant.'

[b] *Diserte saltare*] Quia scil. exprimebant mimi vario saltu gestuque, clare et facunde, quod oratores tenera delicata et infracta variis modis facundia exequebantur.

[c] *Cassium*] Cassii hujus meminit Tac. I. 72. et IV. 21.

[d] *Librorum*] Scil. vocantur orationes, postquam editæ sunt, *libri*. Nam eas relegebant, retractabant, ac sæpe augebant et ornabant, postquam declamassent: nec solum auribus, sed et ingenio et oculis legentium operam dabant. Sic etiam posteris consulebant.

[e] *Plus vis ... quam sanguinis*] Fabius de eodem: 'Ingenii plurimum est in eo, et acerbitas mira, et urbanitas, et vis summa; sed plus stomacho quam consilio dedit.' *Schelius*.

Plus vis habeat quam sanguinis] Lege: *plus iræ habeat quam sanguinis*. Tac. Ann. I. 'Cassii Severi libidine, qua viros fœminasque illustres procacibus scriptis diffamaverat.' Lib. IV. 'Relatum et de Cassio Severo; qui sordidæ originis, maleficæ vitæ, sed orandi validus, per immodicas inimicitias, ut judicio jurati senatus Cretam amoveretur, effecerat; atque illic eadem actitando, recentia veteraque odia advertit.' *Gronovius*.

Vis hic et *ira* fere idem est; *vis*, id est, impetus, violentiæ, sævitiæ. Quæ certe vis, in Cassio, fuit atrocitas ingenii, ob quam in insulam amotus est. Et tamen infra, 'ipsarum virium robore,' de eodem Cassio.

Plus vis ... quam sanguinis] Emi-

rerum, omissa modestia ac pudore verborum, ipsis etiam, quibus utitur,[7] armis incompositus et studio feriendi plerumque dejectus,[8] non pugnat, sed rixatur. Ceterum, ut dixi, sequentibus comparatus, et varietate eruditionis et lepore urbanitatis et ipsarum virium robore, multum ceteros[f] superat: quorum neminem Aper nominare et velut in aciem educere sustinuit. Ego autem expectabam, ut, incusato Asinio et Cœlio et Calvo, aliud nobis[9] agmen[g] produceret, plurisque vel certe totidem nominaret, ex quibus alium Ciceroni, alium Cæsari, singulis demum singulos, opponeremus. Nunc, detrectasse nominatim antiquos oratores contentus, neminem sequentium laudare ausus est, nisi in publicum[h] et in commune: veritus, credo, ne multos offenderet, si paucos excerpsisset:[10] ' quotus enim quisque scholasticorum[i] non hac sua[11] persuasione fruitur, ut[12] se non

' *Excepisset.*

veteres editiones, *contento.* Idem.—7 Sic bene Rhenanus. In veteribus editionibus, *utimur.* Brotier.—8 Sic vett. edd. Lipsius dedit *detectus:* quem sequitur Brotierus cum Ryck. et Gronov. Bipont. dant *dejectus;* sed conjectant *defectus.*—9 Sic Lipsius e Ms. Broterius aliique *novum.*—10 Pithœus *excepisset.*—11 Schurzfl. *τὸ sua* deleri vult, vel legi *suavi.*—12 Recte idem,

NOTÆ

nent scil. venæ, nervi, et ossa sustinent corpus; sed sanguis non implet toros et membra; non rubore ac decore artus commendat: id est, non habet *lætitiam* aut *nitorem* oratio illius.

[f] *Ceteros*] Coætaneos scil. et sequentis ævi oratores.

[g] *Aliud nobis agmen*] Quoad seriem et sensum, non male *novum agmen:* scil. *agmen* recentiorum, et nostri temporis oratorum; *ex quibus* scil. postquam mire laudavit eloquentiam nostri ævi, et eloquentes, *alium Ciceroni, alium Cæsari,* et sic de aliis, *opponeremus.* Cum incusasset sprevissetque Asinium, et Cœlium, et Calvum, præ oratoribus nostrorum temporum; tum etiam debuit *novum agmen* producere talium disertorum nostri ævi, quos priorum temporum oratoribus, Ciceroni, Cæsari, et aliis opponere possemus. At obtrectasse his antiquis oratoribus *nominatim* contentus, neminem posteriorum oratorum laudavit, nisi in commune: nullum nominavit seorsim, aut distinxit; forte *ne multos offenderet,* si paucos laudasset, si paucos e multorum numero excerpsisset.

[h] *In publicum*] Scil. in universum omnes, et velut *in agmen,* non singulos. Infra, ' non verebor nominare singulos.'

[i] *Scholasticorum*] Omnis generis literatos, sed præcipue hic declamatores intelligit.

Scholasticorum] Sic literatores et

quidem ante Ciceronem numeret, sed plane post Gabinianum?[j]

27. At ego non verebor nominare singulos, quo facilius, propositis exemplis, appareat, quibus gradibus fracta sit et deminuta eloquentia.

Appropera, inquit Maternus, et potius[k] exsolve promissum. Neque enim hoc colligi desideramus, disertiores esse antiquos, quod apud me quidem in confesso est, sed causas exquirimus, quas te solitum tractare,[l] paulo ante dix-

credo, sic sequentia constituit, *ut, si se non ante C. numeret, at pl. p. G.* Sufficit tamen inserere *non*, quod excidisse manifestum est, vel *non quidem*. Legebatur sic: *ut se ante Cic.* Idem. Veterem lectionem retinent Brotierus, Ryckius, et Gronovius.

NOTÆ

literati, ac declamatores Rhetoresque appellati: nam et Grammatici declamarunt olim. Distinguunt tamen, *et literatum* absolute doctum, *literatorem* vero mediocriter eruditum putant, teste Suet. de Ill. Grammaticis 4. Sic vocatur Tranquillus apud Plin. Epist. II. 24. 'Scholasticis porro, ut hic est, sufficit abunde tantum soli; ut relevare caput, reficere oculos, reptare per limitem .... omnesque viticulas suas nosse et numerare arbusculas possint.'

j *Plane post Gabinianum*] Petronius: 'Rogo,' inquit, 'Magister, quid putes inter Ciceronem et Publicum interesse? Ego alterum puto disertiorem fuisse, alterum honestiorem.' *Schelius.*

Post Gabinianum] Rhetor fuit Vespasiani ævo, de quo Eusebii Chronicon: 'Gabinianus celeberrimi nominis Rhetor in Gallia docuit.' Ita liber, qui apud me Mss. probus vetusque. Vulgo *Gabinius*. Lipsius.

Post Gabinianum] Forte Rhetor iste vocabulo Gabinius, seu *Gabinianus*, se sui ævi, aut suæ Galliæ, *Ciceronem* appellabat, quasi pro jure suo. Unde jocus et irrisus in similes, qui se Ciceroni præferrent; et qui, scil. exin Cicerones Gabiniani appellarentur. Igitur se putant ante Ciceronem, sed certe isti re vera neque vel sunt ipsi post Ciceronem, sed post et longe infra Gabinianum.

k *Potius*] Forte, *protinus*. Alii, *ocyus*.

l *Quas te solitum tractare, &c.*] Legerim, *solitum tractare paulo ante dixisti, sane mitiore eloquentia, et temporum nostrorum* (scilicet eloquentiam) *imitatus, &c.* Acidalius.

In quodam libro est: *Paulo ante dixisti.* Scribe: *Quas te solitum tractare paulo ante dixisti, plane mitior, et eloquentiæ temporum nostrorum non iratus, antequam te Aper offenderet, majores tuos lacessendo.* Non enim miratus fuerat Messala eloquentiam ævi illius, sed Secundum et Aprum, viros optimos et temporum istorum oratores appellaverat; nec minus probari dixerat in Secundo, quod Julii Asiatici vitam composuisset, quam in Apro, quod nondum a scholasticis controversiis recessisset; et otium suum novorum Rhetorum more, quam veterum oratorum consumere mallet.

Quæ quamvis satis mitia et benigna, adeo tamen non erant mirantis

isti, plane mitior et eloquentiæ temporum nostrorum non iratus,[1] antequam te Aper offenderet, majores tuos lacessendo.

Non sum, inquit, offensus Apri nostri[2 x] disputatione; nec vos offendi decebit, si quid forte aures vestras perstringet:[3] cum sciatis, hanc esse ejusmodi sermonum legem, judicium animi, citra damnum[4] affectus,[u] proferre.

Perge, inquit Maternus, et, cum[5] de antiquis loquaris, utere[6] antiqua libertate, a[7] qua vel magis degeneravimus, quam ab eloquentia.

28. Et Messala: Non reconditas,[v] Materne, causas requiris: nec aut tibi ipsi, aut huic Secundo, vel huic Apro ignotas, etiamsi[1] mihi partes assignatis proferendi in medium, quæ omnes sentimus.[2] Quis enim ignorat, et eloquentiam

[u] *Amicitiæ; illæsa, scil. amicitia ac benevolentia, quod animo sentias proferre, licet alii aliud censeant.*

[v] *Non occultas aut vobis incognitas causas requiritis*, etiamsi mihi *uni*, &c.

1 Olim legebatur *miratus: iratus antequam, &c.* Cum Bipont. Heum. et Schulzio recipio emendationem Schelii, qui recte τὸ *miratus* delet: sequens *iratus* delebat Rhen. Acidalius dabat *temp. nostr.* (eloquentiam) *imitatus.* Schurzfl. et Schultingii conjecturæ a vestigiis vett. editionum nimium recedunt. V. Schulze. *Oberl.* Brotierus delet *iratus;* sic et Gronovius Ryckiusque.—2 Veteres quidam libri *a prima disputat.* Ryckius cum Gronov. et Brotier. *Aprina disputat.* Gronovii *Apri nostri disputat.* recepere Bipont. et Schultze.—3 Edd. vett. *perstringit.*—4 Pithœus in suo libro legit *citra demum affectus:* inde dabat *citra dementiam,* et provocabat ad Cic. Tusc. III. 5. *Oberl.* —5 Sic bene Lipsius e Ms. A vett. edd. absunt *et cum.* Brotier.—6 Sic edd. vett. In Gryphii irrepsit *vertere,* inde Schurzfl. volebat *loquere vetere et antiqua libertate.* Oberl.—7 In Mss. Vatic. et edd. vett. deest præpositio.

1 Sic Lipsius e Ms. in quo *etenim jam si mihi.* Vett. edd. *et jam mihi.*—2 Sic ed. pr. In Put. et Ber. *sentimus* omissum est. Lipsius restituit.—

NOTÆ

novam facundiam, ut Aper longe secus acceperit: 'Non desinis,' inquit, 'Messala, vetera tantum et antiqua mirari; nostrorum autem temporum studia irridere atque contemnere,' &c. Cui deinde Messala, 'se, ne Aprum quidem aliter sentire credere, ac velle se impetratum ab aliquo eorum, ut causas hujus infinitæ differentiæ scrutetur, ac reddat, quas secum ipse plerumque conquirat.' *Schel.*

Miratus] Lipsius ex quodam libro addit, *dixisti.* Sed hujus verbi vis latet in τῷ *miratus:* pro quo reponebam, *narrabas.* Gronovius. Certe deest aliquid. Sic capio: Quas te solitum tractare paulo ante dixisti, plane mitiore, seu lætiore eloquentia, temporum, scil. nostrorum dicendi formam miratus.

[x] *Apri nostri*] Alii, *Aprina.*

et ceteras artes descivisse ab ista[3] vetere gloria, non inopia[m] hominum, sed desidia juventutis et negligentia parentum et inscientia præcipientium[n] et oblivione moris antiqui? quæ mala, primum in urbe nata, mox per Italiam fusa, jam in provincias manant: quanquam nostra nobis[4] notiora sunt. Ego[5] de urbe et his propriis ac vernaculis vitiis loquar, quæ natos statim excipiunt et per singulos ætatis gradus cumulantur: si prius de severitate ac disciplina majorum,[o] circa educandos formandosque liberos, pauca prædixero. Jam primum, suus cuique filius, ex casta parente natus, non in cella emtæ nutricis,[p] sed gremio ac sinu matris[q] educabatur; cujus præcipua laus erat, tueri domum et

3 Muretus mallet *illa*.—4 Sic satis feliciter Segrais mutat et distinguit: *Quoniam nostra nobis notiora sunt, ego de urbe, &c.* Veteres editiones, *vestra vobis.* In Mss. Vatic. et Beroaldus, *nostra vobis.* Recentiores, *nostra nobis.* Brotier.—5 Acidal. *ergo;* quod recepit Heumann.

NOTÆ

[m] *Non inopia*] Non inopia hominum idoneorum. Non quod desint homines qui id possint, aut forte etiam velint. Sed mos hic sæculi invasit homines, ut malint esse desides; ut neque jam in id incumbant juvenes, aut parentes; unde et inopia *stipendii, inscitia* magistrorum, dein et oblivio moris antiqui.

[n] *Inscientia præcipientium*] Quint. I. 1. 'An Philippus, Macedonum Rex, Alexandro filio suo prima literarum elementa tradi ab Aristotele summo ejus ætatis philosopho voluisset; aut ille suscepisset hoc officium, si non studiorum initia a perfectissimo quoque tractari, pertinere ad summam credidisset?'

[o] *De severitate ac disciplina majorum*] Quam severitatem revocabat pro virili portione Plinius Epist. II. 2. 'Adhuc illum [filium] pueritiæ ratio intra contubernium tuum tenuit: præceptores domi habuit, ubi est erroribus modica, vel nulla materia. Jam studia ejus extra limen proferenda sunt; jam circumspiciendus Rhetor Latinus, cujus scholæ severitas, pudor inprimis, castitas constet. Adest enim adolescenti nostro cum ceteris naturæ fortunæque dotibus eximia corporis pulchritudo; cui in hoc lubrico ætatis, non præceptor modo, sed custos etiam rectorque quærendus est.'

[p] *Nutricis*] Quintil. I. 1. 'Ante omnia, ne sit vitiosus sermo nutricibus; quas, si fieri posset, sapientes Chrysippus optavit: certe quantum res pateretur, optimas eligi voluit Et morum quidem in his haud dubie prior ratio est: recte tamen etiam loquantur. Has primum audiet puer; harum verba effingere imitando conabitur.' Jam in hac educatione juvenum agnosce plane ordinem ipsum eundem, quem tenuit, et observari præcipit Fabius in Institut. oratoriis.

[q] *Sed gremio ac sinu matris*] Taci-

inservire liberis. Eligebatur autem aliqua major natu propinqua, cujus probatis spectatisque moribus omnis cujuspiam[6] familiæ soboles committeretur,[r] coram qua neque dicere fas erat, quod turpe dictu, neque facere, quod inhonestum factu videretur. Ac[7] non studia modo curasque,[8] [s] sed remissiones etiam lususque puerorum, sanctitate quadam ac verecundia temperabat. Sic Corneliam[t] Gracchorum, sic Aureliam Cæsaris, sic Atiam Augusti matrem præfuisse educationibus ac produxisse[u] principes liberos accepimus: quæ disciplina ac severitas eo pertinebat, ut sincera et integra, et nullis pravitatibus detorta, uniuscujus-

6 Sic Rhenan. Prius erat *cujusdam.* Brotierus e Mss. Vatic. dat. *ejusdem.*—7 Pro *ac* Muretus *hæc.*—8 Sic bene Mss. et editiones veteres et recentiores. Beroaldus, *morasque.* Alii, *moresque.* Brotier.

NOTÆ

tus Agricola: 'Mater Julia Procilla fuit raræ castitatis: in hujus sinu indulgentiaque educatus.' Conjungit cum sinu indulgentiam: quæ tamen pro amore materno in bonam partem hic est accipienda, ut sæpe. Cicero Verrina: 'Qui simili sensu et indulgentia filiorum commoventur.' Quamvis enim naturalis ille parentum in liberos amor modum excedat sæpe, et vitiis eorum indulgeat; tamen laudi, non vitio dari solet, quamvis reipsa sit quandoque vitiosa: mollis enim educatio *indulgentia* vocabatur, ut ait Quintilianus: 'Mollis ista educatio, quam indulgentiam vocamus.' *Schelius.*

[r] *Cujus, &c. familiæ soboles committeretur*] Sic 'committere se sanctitati' Pompeii, dicit apud Velleium Mithridates: 'Prior filius Tigranes, sed discors patris pervenit ad Pompeium; mox ipse supplex et præsens se regnumque ditioni ejus permisit, præfatus neminem alium neque Romanum, neque ullius gentis virum futurum fuisse, cujus se sanctitati commissurus foret, quam Cn. Pompeium.' Hic lege: *sanctitati.* Ab hac enim celebratur Pompeius. Velleius de eo: 'Innocentia eximius, sanctitate præcipuus, eloquentia medius.' *Schelius.*

Omnis cujuspiam, &c.] In vett. *cujusdam.* Forte, *omnis cujusquam.* Sic Tac. *omnia quæque.*

[s] *Ac non studia modo curasque*] Sic Farnes. Alius liber: 'Ac non studia solum moresque,' quod fere idem est.

[t] *Corneliam*] Sic et Quintilianus I. 1. 'In parentibus vero quam plurimum esse eruditionis optaverim. Verum nec de patribus tantum loquor. Nam Gracchorum eloquentiæ multum contulisse accepimus Corneliam matrem; cujus doctissimus sermo in posteros quoque est epistolis traditus.' Hinc Fabium agnoscis tandem: quid clarius?

[u] *Produxisse*] An intelligit genuisse, vel an sic educasse *liberos,* ut tandem *principes* in civitate existerent? vel an simpliciter educasse et aluisse *liberos* primores, id est, procerum seu

que natura, toto[v] statim pectore arriperet artes honestas, et, sive ad rem militarem, sive ad juris scientiam, sive ad eloquentiæ studium inclinasset, id solum ageret, id universum hauriret.

29. A nunc natus infans delegatur Græculæ alicui ancillæ, cui adjungitur unus aut alter ex omnibus servis, plerumque vilissimus,[1] nec cuiquam serio ministerio[2] accommodatus. Horum fabulis[w] et erroribus[3] teneri statim et rudes animi imbuuntur:[x] nec quisquam in tota domo pensi habet, quid coram infante domino aut dicat, aut faciat: quando[4] etiam ipsi parentes nec probitati, neque modestiæ, parvulos assuefaciunt, sed lasciviæ et dicacitati;[5] per quæ paulatim impudentia irrepit et sui alienique contemtus.[6] Jam[7] vero propria et peculiaria hujus urbis vitia[y] pæne in utero matris

1 Beroaldus *utilissimus*.—2 Vet. Edd. *minister*. Lipsius emendavit.—3 Schurzfl. volebat *terroribus*.—4 Ita libri omnes editi. In Mss. Vatic. *quin etiam*.—5 Vetus *bibacitati*. Omnes libri editi *libertati*. Egregie Bipont. *dicacitati;* quod recipio cum Schulzio. *Oberl.*—6 Corrupte veteres editiones, *sui contentus;* et inter utramque vocem lacuna est.—7 Edd. vett. *ideo*

NOTÆ

principum filios? *produxisse*, forte pro, *eduxisse*.

[v] *Toto*] Id est, cujus nullam partem sibi seponeret ac vindicaret pravitas animi aut libido ulla; ita ut tota naturæ vis in virtutem prorsus incumberet, et ad quamcumque artem egregiam *inclinasset;* id solum ageret, et id totum atque universum toto animo et penitus hauriret.

[w] *Fabulis*] Quæ scil. aniles fabulæ, et servilis ingenii deliramenta, teneros mollesque animos statim variis *erroribus*, forte et flagitiis illiciunt irretiuntque; a quibus non facile resipiscunt juvenes.

[x] *Rudes animi imbuuntur*] Quintil. l. I. 1. 'Nec minus error eorum nocet moribus. Si quidem Leonides Alexandri pædagogus, ut a Babylonio Diogene traditur, quibusdam eum vitiis imbuit; quæ robustum quoque et jam maximum regem ab illa institutione puerili sunt prosecuta.'

[y] *Hujus urbis vitia*] Quint. l. I. 2. 'Utinam liberorum nostrorum mores non ipsi perderemus. Infantiam statim deliciis solvimus. Mollis illa educatio, quam indulgentiam vocamus, nervos omnes et mentis et corporis frangit. Quid non adultus concupiscet, qui in purpuris repit? Nondum prima verba exprimit, et jam coccum intelligit, jam conchylium poscit. Ante palatum eorum, quam os instituimus. In lecticis crescunt: si terram attigerint, e manibus utrimque sustinentium pendent. Gaudemus, si quid licentius dixerint: verba ne Alexandrinis quidem permittenda, deliciis, risu, et osculo excipimus. Nec mirum: nos docuimus, ex nobis audierunt: nostras amicas, nostros concubinos vident. Omne

concipi mihi videntur, histrionalis[8] favor et gladiatorum[z] equorumque studia:[a] quibus occupatus et obsessus animus quantulum loci bonis artibus relinquit? quotum quemque inveneris, qui domi quicquam aliud loquatur? quos alios adolescentulorum sermones excipimus, si quando auditoria intravimus? Ne[9] præceptores quidem ullas crebriores cum auditoribus suis fabulas habent: colligunt enim discipulos, non severitate disciplinæ, nec ingenii experimento, sed ambitione salutantium[10b] et[11] illecebris adulationis. Transeo

vero. Lipsii est *jam vero.*—8 Ed. pr. lepide *historialis.* Oberl.—9 Sic bene Gronovius. Mss. et libri editi, *nec.* Hac in re sæpissime peccarunt librarii. *Brotier.*—10 Acidal. et Schelius malunt *salutationum.*—11 Edd. vett. *sed*

NOTÆ

convivium obscœnis canticis strepit: pudenda dictu spectantur: fit ex his consuetudo, deinde natura. Discunt hæc miseri, antequam sciant vitia esse: inde soluti ac fluentes, non accipiunt e scholis mala ista, sed in scholas afferunt.'

[z] *Histrionalis favor et gladiatorum*] Quanta hominum turba ad theatra et amphitheatra confluxerit; quanta insania spectacula secuti sint, passim apud veteres licet observare. Seneca: 'In qua tribus eodem tempore theatris viæ postulantur.' Non tantum, inquit, non sufficiunt sedes turbæ hominum spectanti: sed ne viæ quidem, in quibus stant.

[a] *Equorumque studia*] Suetonius Nerone: 'Equorum studio vel præcipue ab ineunte ætate flagravit; plurimusque illi sermo, quanquam vetaretur, de Circensibus erat: et quondam tractum Prasinum agitatorem inter condiscipulos querens, objurgante magistro, de Hectore se loqui ementitus est.'

[b] *Ambitione salutantium*] Malim, *salutationum.* Petronius: 'Nimirum in his exercitationibus doctores peccant; qui necesse habent cum insanientibus furere; nam nisi dixerint, quæ adolescentuli probent, ut ait Cicero, soli in scholis relinquentur.' Et statim: 'Quid ergo est? Parentes objurgatione digni sunt, qui nolunt liberos suos severa lege proficere. Primum enim sicut omnia, spes quoque suas ambitione donant.'

Ambitione] Scil. ambitione sua et favore erga salutantes; aut contra ambitione salutantium illiciuntur ad recipiendos juvenes, non disciplina, neque, spectatis aut exploratis prius ingeniis, discipulos temere contrahunt; eos *colligunt*, non eligunt.

Ambitione salutantium] Sic forte miscenda vitia parentum et magistrorum; ita ut parentes liberorum ineptorum solicitent optimos magistros; scil. *ambitione salutantes;* magistri vero minores ambiant patres *illecebris adulationis.* Vel, id vitium forte totum cadit in præceptores, qui omni modo expugnant parentes, ut sibi dare velint liberos educandos. *Ambitione salutantium,* id est, pari ambitione ac salutantes, et similibus adulationum illecebris.

prima discentium elementa, in quibus et ipsis parum elaboratur: nec in auctoribus cognoscendis,[c] nec evolvenda antiquitate, nec in notitia[12] vel rerum, vel hominum, vel temporum satis operæ insumitur.

30. Sed expetuntur,[1] [d] quos *rhetoras* vocant: quorum[2] professio quando primum in hanc urbem introducta sit, quamque nullam apud majores nostros auctoritatem habuerit,[3] statim dicturus,[4] [e] referam necesse est animum ad eam

---

illec. Lipsius mutavit.—12 Sic Pichena. Prius erat *in notitiam.*

1 Ita bene Lipsius et recentiores. In veteribus editionibus, *expectantur.* Brotier.—2 Editiones veteres, *ut quorum.*—3 Male libri editi, *habuit;* ut jam monuit Gronovius.—4 Brotierus et Ryckius scribunt *statim docuero:* et ita

NOTÆ

[c] *Nec in auctoribus cognoscendis*] Cicero: ‘Brutum totum cognovisse Demosthenem.’ Fabius: ‘Auctores maximi sic diligentius cognoscuntur.’ Et tu cognosce Fabium.

Cognoscendis] Evolvendis, dein et excerpendis, unde manat provenitque fructus longe amplior. Sic notos, sic familiares et amicos auctores habemus, non ut hospites tantum experimur, aut pertransimus, et statim obliviscimur.

In auctoribus cognoscendis] Quintil. l. II. 5. ‘Quidam illos minores [auctores] quia facilior eorum intellectus videbatur, probaverunt: alii floridius genus, ut ad alenda primarum ætatum ingenia magis accommodatum. Ego optimos quidem et statim et semper, sed tamen eorum candidissimum quemque, et maxime expositum velim: ut Livium a pueris magis quam Sallustium, et hic historiæ majoris est auctor: ad quem tamen intelligendum jam profectu opus sit. Cicero, ut mihi quidem videtur, et jucundus incipientibus quoque, et apertus est satis: nec prodesse tantum, sed etiam amari potest, tum (quemadmodum Livius præcipit) ut quisque erit Ciceroni simillimus. Duo autem genera maxime cavenda pueris puto: unum, ne quis eos nimius admirator, in Gracchorum, Catonisque, et aliorum similium lectione durescere velit. Fient enim horridi atque jejuni... Alterum, quod huic diversum est, ne recentis hujus lasciviæ flosculis capti, voluptate quadam prava deliniantur, ut prædulce illud genus et puerilibus ingeniis hoc gratius, quo propius est, adament. Firmis autem judiciis, jamque extra periculum positis, suaserim et antiquos legere,’ &c.

[d] *Expetuntur*] Sæpe *expectantur:* et sic in vett. edd. Sed *expectantur* et *expetuntur*, fere eodem sensu. *Expectantur*, scil. rhetores a juvenibus, qui desides ultro et inertes, volunt facile discere et sine ullo labore: *expectant* scil. dum notitiam historiamque omnis ævi et omnium rerum hominumque ac temporum ipsis exhibeat præsentem ac facilem vanus declamator: quasi vero ars excellentissima, et omnium artium regina, possit haberi, sine cura, sine studio, aut meditatione propria!

[e] *Statim de curiis*] Ita et vetus.

disciplinam, qua usos esse eos oratores accepimus, quorum infinitus labor et quotidiana meditatio et in omni genere studiorum exercitationes[5] ipsorum etiam continentur libris. Notus est vobis[6] [f] utique Ciceronis liber, qui *Brutus* inscribitur; in cujus extrema parte, (nam prior commemorationem veterum oratorum habet,) sua initia, suos gradus, suæ eloquentiæ velut quandam educationem refert: se apud Q. Mucium jus civile didicisse; apud Philonem Academicum, apud Diodotum Stoicum omnes[7] philosophiæ partes penitus hausisse: neque his doctoribus contentum, quorum ei copia in urbe contigerat, Achaiam[g] quoque et Asiam peragrasse, ut omnem omnium artium varietatem complecteretur. Itaque Hercule in libris Ciceronis deprehendere licet, non geometriæ, non musicæ, non grammaticæ, non denique ullius ingenuæ artis[h] scientiam ei defuisse. Ille dialecticæ subtilitatem, ille moralis partis utilitatem,[8] ille[9] rerum[10]

Rodolphus Agricola, et recentiores. Corrupte in veteribus editionibus, *statim decuriis.* Pithœus, *statim audictis.* Mallet Gronovius, *statim dicturus, referam, &c.* Sic et edidere Bipont.—5 Ita Puteolanus et ceteri omnes. In editione principe, *exercitationis.* Mss. Vatic. *in omni genere assiduæ exercitationes.*—6 Sic Rhenan. Mss. Vatic. et edd. vet. *nobis;* quod et Brotierus servat.—7 Ita Mss. Vatic. In libris editis *omnis.*—8 *Utilitatem* Acidal. displicet. Schurzfl. vocem delet, et *moralis artis* accusandi casu poni arbitrabatur. *Oberl.*—9 Pithœus *mille:* perperam.—10 Sigrasius conjicit *siderum*

NOTÆ

Suspicabar, *statim decursis his*: ἐλλειπτικῶς dicam, videlicet, aut promam. Sed placet magis, *statim docuero.* Lipsius.

Lego: *auctoritatem habuerit, statim dicam prius referam necesse est animum ad eam disciplinam, &c.* Dicit c. 35. sed breviter: 'quos paulo ante Ciceronis tempora extitisse, nec placuisse majoribus nostris ex eo manifestum est; quod, M. Crasso et Domitio censoribus, cludere, ut ait Cicero, ludum impudentiæ jussi sunt.' *Acidalius.* Lego, *habuerit, statim dicturus, referam, &c.* Gronovius.

De curiis] Alii, *docuero:* forte *dicere decuerit;* vel, *disseruero.*

[f] *Notus est vobis*] Forte melius, *nobis,* ut in vett.: nam paulo ante, 'eam disciplinam, qua usos esse eos oratores accepimus:' et consequenter *notus est nobis utique liber, &c.*

[g] *Achaiam*] Achaia, regio minor Peloponnesi provinciæ ad Corinthiacum sinum, in Græcia: hodie pars major *Clarenzæ* tractus, in Morea, provincia præfecturæ Romeliæ sub Turcico imperio Europæo. *Tillemonius.*

[h] *Non ullius ingenuæ artis*] Quint. l. I. 10. 'Oratorem, qui debet esse sapiens, non geometres faciet, aut musicus, quæque his alia subjungam; sed hæ quoque artes, ut sit consum-

motus causasque, cognovit.[i] Ita enim est, optimi viri, ita[11] ex multa eruditione, ex pluribus artibus[12] et omnium rerum scientia exundat et exuberat illa admirabilis eloquentia: neque oratoris vis et facultas, sicut ceterarum rerum, angustis et brevibus terminis cluditur; sed is est orator, qui de omni quæstione pulchre et ornate et ad persuadendum apte dicere, pro dignitate rerum, ad utilitatem[j] temporum, cum voluptate audientium possit.

31. Hæc sibi illi veteres persuadebant.[1] Ad hæc efficienda[2] intelligebant opus esse, non ut[3] rhetorum in scholis declamarent, nec ut fictis, nec ullo modo ad veritatem accedentibus controversiis linguam modo et vocem exercerent; sed ut his artibus pectus implerent, in quibus de bonis ac malis, de honesto ac turpi, de justo et injusto disputatur. Hæc enim est oratori[4] subjecta ad dicendum materia. Nam in judiciis fere de æquitate, in deliberationibus de hones-

motus.—11 Alterum *ita* delet Henm.—12 Ita Rhenan. Vett. edd. *partibus.*

1 Mss. Vatic. *persuaserant.*—2 Mss. Vatic. 1862. et 4498. *ad hoc efficiendum.*—3 Mss. Vatic. *in rhetorum.* Forte scriptum olim, *ut in rhetorum.* Brotier.—4 Sic

NOTÆ

matus, juvabunt... nos mirabimur, si oratio, qua nihil præstantius homini dedit providentia, *pluribus* artibus eget: quæ etiam, cum se non ostendunt in dicendo, nec proferunt, vim tamen occultam suggerunt, et tacite quoque sentiuntur.'

[i] *Ille rerum motus causasque, cognovit*] Quintil. l. XII. 11. 'Vereor tamen, ne aut magna nimium videar exigere, qui eundem virum bonum esse, et dicendi peritum velim; aut multa, qui tot artibus in pueritia discendis, morum quoque præcepta, et scientiam juris civilis, præter ea quæ de eloquentia tradebantur, adjecerim: quique hæc operi nostro necessaria esse crediderim, velut pondus rei perhorrescant, ac desperent ante experimentum. Sed hi primum renuntient sibi, quanta sit humani ingenii vis; quam potens efficiendi, quæ velit; cum maria transire, siderum cursus numerosque cognoscere, mundum ipsum pæne dimetiri, minores, sed difficiliores artes potuerint. Tum cogitent, quantam rem petant, quamque nullus sit, hoc proposito præmio, labor recusandus. Quod si mente conceperint, huic quoque parti facilius accedent, ut ipsum iter neque impervium, neque saltem durum putent.' Hinc et Fabium agnosces.

[j] *Ad utilitatem*] Hoc est, ex utilitate temporum, seu Reipub. Nam *tempora*, mores, status civitatis ac Reipub. et dominantium ingenia et imperia; unde salus rerum pro eodem sunt. Sicque ibi decorum seu *honestum* in oratione, et *utile*, simulque et *jucundum* requirit.

tate[5] [k] dicimus,[6] ita ut plerumque hæc ipsa invicem misceantur: de quibus copiose et varie et ornate nemo dicere potest, nisi qui cognorit naturam humanam et vim virtutum pravitatemque vitiorum et intellectum[7] eorum, quæ nec in virtutibus, neque in vitiis numerantur. Ex his fontibus etiam illa profluunt, ut facilius iram judicis vel instiget,[l] vel leniat, qui scit, quid ira:[8] promtius ad miserationem impellat, qui scit, quid sit[9] misericordia, et quibus animi motibus concitetur. In his artibus exercitationibusque versatus orator, sive apud infestos, sive apud cupidos, sive apud invidentes, sive apud tristes, sive apud timentes dicendum habuerit, tenebit habenas[10] animorum: et prout cujusque natura postulabit, adhibebit manum et temperabit orationem, parato omni instrumento et ad omnem usum reposito.

Lipsius. Prius erat *oratoris*.—5 Urs. et Mur. intrudunt *in delib. de utilitate, in laudationibus de hon.* Sed incassum. *Oberl.*—6 Mss. Vatic. *disscrimus*.—7 Schelius *delectum*, quod recepit Heumann.—8 Male editiones veteres, *quid iræ promtius, et miserationem impellat.* Brotier.—9 *Sit* durissimum est, et videtur redundare. *Idem.*—10 Ita Puteolan. ceterique omnes. In Mss. Vatic. et ed. pr. *venas animorum:* et forte non ab aurigis, sed a medicis ducta comparatio. *Brotier.*

NOTÆ

[k] *In deliberationibus de honestate*] Forte male omisit tertium causarum genus: nec sane *in deliberationibus* potissimum de honestate agitur. Muretus ergo sic legebat: *Nam in judiciis fere de æquitate, in deliberationibus de utilitate, in laudationibus de honestate dicimus.* Acidal. Hoc bene advertunt, nisi forte τῷ *æquitate* auctor comprehenderit utrumque simul, et quod justum et quod utile est. Respondet his, quæ præcesserant, 'de bonis ac malis, de honesto ac turpi, de justo et injusto.' At τῷ *æquitate*, complexus est bona ac mala, justum et injustum, et τῷ *honestate*, *honestum* ac *turpe*. Forte scripsit, *in deliberationibus de utilitate et honestate* dicimus.

[l] *Ut facilius iram judicis vel instiget*] Etiam ad παθητικὰ necessariam esse interiorem philosophiæ cognitionem: quæ quidem, si judices essent sapientes, supervacanea *et a re aliena* essent; sed *propter auditoris malitiam seu pervicaciam* regnant pæne in oratione. 'Quod si mihi des,' ait Quintilianus, 'concilium judicum sapientum, perquam multa recidam ex orationibus, non Ciceronis modo, sed etiam ejus, qui est strictior multo, Demosthenis. Neque enim affectus omnino movendi erunt, nec aures delectatione mulcendæ, cum etiam procemia supervacua esse apud tales, Aristoteles existimet.' *Schelius.*

Ut facilius] Scil. quibus artibus, quibus modis incitet iram, aut flectat judices ad miserationem. Nempe scit, quid sit, et unde *ira;* et qua scil. arte impellatur aut leniatur;

Sunt, apud quos astrictum et collectum,[m] et singula statim argumenta concludens dicendi genus, plus fidei meretur: apud hos dedisse operam dialecticæ proficiet. Alios fusa et æqualis, et ex communibus[11] ducta sensibus, oratio magis delectat: ad hos permovendos mutuabimur[12] aliquid a Peripateticis: hi aptos et in omnem[n] disputationem paratos

—11 Edd. vett. *omnibus*. Lipsius emendavit.—12 Sic Rhenan. Legebatur *mu-*

NOTÆ

scit, quid sit miseratio, &c. et qui, et unde nascatur.

[m] *Collectum*] Compressum scil. et intra pauca et firma verba validosque sensus restrictum; in quibus scil. nihil redundet, nihil diffluat. Sic fortius concludit, verumque ac fidem sic certius et tenacius astruit. Nam ut sunt verba, ut sunt sensus stricti ac firmi, ita et sermo arctius stringit, illigat, evincitque animos judicum; et sic validius ac constantius trahit in partes.

[n] *A Peripateticis: hi aptos et in omnem*] Valde mihi placeat cum Rodolpho Agricola, hæc omnia sic scribi et distingui: *a Peripateticis: aptos et in omnem disciplinam paratos jam locos dabunt Academici, Stoici pugnacitatem.* Lipsius.

Loci nulla ratione auferendi Peripateticis, vel et propter topica, quibus 'disciplinam inveniendorum argumentorum, ut sine ullo errore ad eam rationem via perveniremus ab Aristotele inventa contineri,' tradit Cicero in libro, quem sic ipse inscripsit. Idem in Oratore: 'In hac Aristoteles adolescentes, non ad philosophorum morem tenuiter disserendi, sed ad copiam rhetorum in utramque partem, ut ornatius et uberius dici possit, exercuit: idemque locos, (sic enim appellat) quasi argumentorum notas, tradidit, unde omnis in utramque partem traheretur oratio.'

Nec *pugnacitatem* involari sibi æquo animo ferunt ipsi Academici. Fabius lib. XII. 2. 'Academiam quidam utilissimam credunt, quod mos in utramque partem disserendi ad exercitationem forensium causarum proxime accedat.' Cicer. I. de Oratore 18. 'Carneades vero multo uberius de iisdem rebus loquebatur; non quo aperiret sententiam suam, (hic enim mos erat patrius Academiæ, adversari semper omnibus in disputando,' &c.)

A Peripateticis] Quintil. lib. XII. 2. 'Periclem . . . Anaxagoræ physici constat auditorem fuisse: et Demosthenem, principem omnium Græciæ oratorum, dedisse operam Platoni. Nam M. Tullius non tantum se debere scholis rhetorum, quantum Academiæ spatiis, frequenter ipse testatus est. Neque tanta in eo unquam fuisset ubertas, si ingenium suum consepto fori, non ipsius rerum naturæ finibus, terminasset. Verum ex hoc alia mihi quæstio exoritur, quæ secta conferre plurimum eloquentiæ possit: quanquam ea non inter multas potest esse contentio. Nam inprimis nos Epicurus a se ipse dimittit, qui fugere omnem disciplinam navigatione quam velocissima jubet. Neque vero Aristippus, summum in voluptate corporis bonum ponens, ad hunc nos labo-

jam locos dabunt;[13] Academici pugnacitatem, Plato altitudinem, Xenophon jucunditatem: ne Epicuri quidem et Metrodori honestas quasdam exclamationes assumere, hisque, prout res poscit,[14] uti, alienum erit oratori. Neque enim sapientem informamus, neque Stoicorum civitatem, sed eum, qui non quasdam artes haurire,[15] sed omnes liberaliter,[16] debet.° Ideoque et juris civilis scientiam veteres oratores comprehendebant, et grammatica, musica et geo-

tuabimus.—13 Sic Bipont. et omnes fere libri editi cum Gronov. et Ryckio. At Brotierus e Mss. Vatic. ita locum refinxit: *ad hos permovendos mutuabimur a Peripateticis aptos, et in omnem disputationem paratos jam locos. Dabunt Acad. &c.*—14 Brotierus sine libris corrigit *poscet.* Idque jam monuerat Huetius.—15 Sic Lipsius malebat, vel *adire.* Brotierus cum Ryck. et Gronov. *audire:* et sic Bipont.—16 Lipsius, *liberales.* Schurzfl. *adire, sed om-*

NOTÆ

rem adhortetur: Pyrrho quidem quas in hoc opere partes habere potest, cui judices esse, apud quos verba faciat, et reum, pro quo loquatur, et senatum, in quo sit dicenda sententia, non liquebit? Academiam quidam utilissimam credunt, quod mos in utramque partem disserendi, ad exercitationem forensium causarum proxime accedat. Adjiciunt loco probationis, quod ea præstantissimos in eloquentia viros ediderit. Peripatetici studio quoque se quodam oratorio jactant. Nam theses dicere, exercitationis gratia, fere est ab his institutum. Stoici, sicut copiam nitoremque eloquentiæ fere præceptoribus suis defuisse concedant necesse est, ita nullos aut probare acrius, aut concludere subtilius contendunt.'

° *Qui non quasdam artes haurire, sed omnes liberaliter debet*] Sic malo, vel *adire,* pro vulg. *audire;* et *liberales.* Lipsius.

Recipio, *haurire,* et sic scribo: *qui non quasdam artes libare, sed omnes haurire liberaliter debet.* Ante hæc verba, suspecta mihi proxima vox *civitatem.* Acidalius. Forte: *qui non quasdam artes haurire, sed omnes libare debet.* Comparat sapientem seu stoicum cum oratore. Stoici sapientes unam artem, sapientiam scil. penitus animo hauriebant; at orator non sic paucas quasdam artes, aut unam solummodo scientiam penitus haurire debet, sed omnes artes liberales attingere, ut iis uti possit dicturus, non tanquam magister artis, ut alios docturus. Alioqui si penitus hauriat v. g. philosophiam, jam non orator, sed sapiens, seu stoicus ex. c. foret. Adverte ad sequentia: 'juris civilis scientiam comprehendebant' oratores, at 'geometria, musica, &c. imbuebantur.' Jus civile, ut necessarium, animo penitus hauriebant; ceteras vero artes leviter attingebant, et quasi libabant tantum.

Quintilianus lib. II. 'Interim nolo se juvenes satis instructos, si quem ex his, qui breves plerumque circumferuntur, artis libellum edidicerint, et velut decretis Technicorum tutos putent. Multo labore, assiduo studio, varia exercitatione, pluribus experimentis, altissima prudentia, præsentissimo consilio constat ars dicendi.'

metria imbuebantur. Incidunt enim causæ, plurimæ quidem ac pæne omnes, quibus juris notitia desideratur: pleræque[17] autem, in quibus hæ quoque scientiæ[18] requiruntur.

32. Nec quisquam respondeat: 'sufficit,[1] ut ad tempus simplex quiddam et uniforme[2] doceamur.' Primum enim[3] aliter utimur propriis, aliter commodatis: longeque interesse manifestum est, possideat quis, quæ profert, an mutuetur.[4] Deinde ipsa multarum artium scientia etiam aliud agentes nos ornat,[p] atque, ubi minime credas, eminet et excellit: idque non doctus modo et prudens auditor, sed etiam populus intelligit ac statim ita laude prosequitur, ut legitime studuisse, ut per omnes eloquentiæ numeros isse, ut denique oratorem etiam fateatur: quem non posse aliter existere, nec extitisse unquam, confirmo, nisi eum, qui, tanquam in aciem omnibus armis instructus,[5] sic in forum omnibus artibus armatus, exierit: quod adeo negligitur ab horum temporum disertis, ut in actionibus eorum fæx[6] quoque quotidiani sermonis,[q] fœda ac pudenda vitia, deprehendantur; ut ignorent leges, non teneant Senatus consulta, jus civitatis ultro derideant: sapientiæ vero studium et præcepta prudentium penitus reformident: in paucissimos sensus et angustas sententias detrudant eloquentiam, velut expulsam Regno suo:[r] ut, quæ olim omnium artium domina[7] pulcher-

---

nes liberaliter audire. Schult. *audire, sed per omnes liberales ire*, ut mox c. seq. *Oberl.*—17 Sic Rhen. prius erat *plerisque.*—18 Idem *hæ quoque scientiæ:* olim *hæc quoque scientia.*

1 Sic Puteol. cum Ryck. et Gronov. et Bipont. Ed. pr. *sufficeret.* Brotierus e Pithœo *sufficere.*—2 Ita editio princeps, et recentiores. Puteolanus ac Beroaldus, *et informe.*—3 Sic Rhenan. legebatur *autem.*—4 Pithœus mallet, *mutuemur.*—5 Egregia in his est Rhenani opera. Vet. editt. omnia turbant. Ibi legitur *aut legit ... et ut denique ... instructus sit: in forum ... ab horum ipsorum disertis ... vix q. quot. serm.* Hoc *vix* tamen tuetur Lat. Latinius. Schulzius cum Heumanno expungit, et hic *fœda*, ille *vitia* transponit. Acidalius *fæx* retinet, sed legit *fœdo ac pudendo vitio deprehendatur:* vel *vix* aut *fæx* in *fere* mutari jubet. Paulo ante Schulze legit cum Schurzfl. *oratorem esse eum fateatur.* Oberl.—6 In Mss. Vatic. *vis quoque.*—7 Ed. pr. pro *domina*

NOTÆ

[p] *Etiam aliud agentes nos ornat*] Quintilianus: 'Unde nos non id agentes furtim decor ille discentibus traditus prosequatur.' *Schelius.*

[q] *Fæx quoque quotidiani sermonis*] Castigavi, *fæx quoque quotidiani sermonis.* Rhenanus. Si *fæx* retinendum, velim scribi: *fœdo ac pudendo vitio deprehendatur.* Acidal.

[r] *Velut expulsam regno suo*] Cicero

rimo comitatu pectora implebat, nunc circumcisa et amputata, sine apparatu, sine honore, pæne dixerim sine ingenuitate, quasi una ex sordidissimis artificiis, discatur. Ergo[8] hanc primam et præcipuam causam arbitror, cur tantum ab eloquentia antiquorum oratorum recesserimus. Si testes desiderantur: quos potiores nominabo, quam apud Græcos Demosthenem? quem studiosissimum Platonis auditorem fuisse, memoriæ proditum est. Et Cicero, his, ut opinor, refert[9] verbis, 'quicquid in eloquentia effecerit, id[10] se non rhetorum,[11] sed Academiæ[s] spatiis[12] consecutum.' Sunt aliæ causæ, magnæ et graves, quas a[13] vobis aperiri æquum est, quoniam quidem ego jam meum munus explevi, et, quod mihi[14] in consuetudine est, satis multos offendi: qui si forte hoc audirent,[15] certum habeo dicturos, me, dum juris et philosophiæ scientiam, tanquam oratori necessariam, laudo, ineptiis meis plausisse.[16]

33. Et Maternus, Mihi quidem, inquit, susceptum a te munus adeo peregisse nondum videris, ut inchoasse tantum, et velut vestigia ac lineamenta quædam ostendisse, videaris. Nam, quibus instrui veteres oratores soliti sint, dixisti, differentiamque nostræ desidiæ et inscientiæ adversus acerrima et fœcundissima eorum studia demonstrasti: cetera expecto, ut, quemadmodum ex te didici, quid aut illi scirent,[1] aut nos nesciamus,[2] ita hoc quoque cognoscam, quibus exercitatio-

habet *dicunt*.—8 Broterius e Ms. Vat. dedit *Ego*. Non bene. Est enim clausula disputationis ac demonstrationis. *Ernest*. Bipont. præferunt *Ego*. —9 Ita Mss. Vatic. *Refert* deest in libris editis.—10 Muretus pro *id se* emendabat *ait se*.—11 Vellet Acidalius, *non in rhetorum*.—12 Sic Lipsius: prius legebatur *spatia*: Beroaldus *spatio*.—13 E Mss. Vatic. præpositio abest. —14 Vett. Edd. omittunt *mihi*. Restituit Lipsius.—15 Brot. *audierint*: Heumann. *audient*.—16 Sic emendavit Beroaldus. Legebatur *placuisse*.

1 Mallet Schurzfleischius *scierint*.—2 Structura sententiæ postulat *nesci-*

NOTÆ

de Oratore I. 'A philosophis oratorem excludi ab omni doctrina rerumque majorum scientia, ac tantum in judicia et conciunculas, tanquam in aliquod pistrinum, detrudi.' Lib. III. 'Quantis ex angustiis oratorem educere ausus es, et in majorum suorum egno collocare.'

[s] *Academiæ*] Non longe fuit a muris Athenarum urbis, et versus septentrionem, privati olim hominis ager, postea gymnasium: hodie in ruinis jacet prope Atinam recentiorem, et a Græcis hodiernis dicitur *schola Platonis*. Tillemonius.

nibus juvenes, jam[3] forum ingressuri,[4] confirmare et alere ingenia sua soliti sint: neque enim arte et scientia, sed longe magis facultate eloquentiam contineri, nec tu, puto, abnues, et hi significare vultu videntur.

Deinde, cum Aper[5] et Secundus idem annuissent, Messala, quasi rursus incipiens: Quoniam initia et semina veteris eloquentiæ satis demonstrasse videor, docendo quibus artibus antiqui oratores institui erudirique soliti sint; persequar nunc exercitationes[6] eorum. Quanquam ipsis artibus inest exercitatio, nec quisquam percipere tot reconditas, aut tam[7] varias, res potest, nisi ut[8] scientiæ meditatio, meditationi facultas, facultati vis[9] eloquentiæ accedat: per quæ colligitur, eandem esse rationem[t] et percipiendi, quæ proferas, et proferendi, quæ perceperis. Sed, si cui obscuriora hæc videntur, isque scientiam ab exercitatione separat,[u] id certe concedet, instructum et plenum his artibus animum

remus. Ernest.—3 Bipont. *jam et forum.* Mihi *et* delendum videtur. Sic et Schulze. *Oberl.*—4 Sic Ms. Vatic. 1862. Brotierus ceterique Editores dant *ingressi.*—5 Brotierus a Mss. Vatic. *Aper quoque et.*—6 Ita Mss. Vatic. Libri editi *exercitationem:* sic Ryck. et Gronov.—7 Heumann. *ac tam.*—8 *Ut* Acidalius deleri volebat. Huetius, *nisi et.*—9 Acidal. *usus* pro *vis.*

NOTÆ

[t] *Eandem esse rationem*] Nempe exercitationem et meditationem continuam: qua scil. confirmentur et alantur ingenia. Nam discendis *artibus inest exercitatio*, et tot res diversas percipere non potest juvenis, quin scientiæ illi quam percipit, accedat meditatio, meditationi facilitas, et facilitati eloquentia. Discendo artes, meditamur, ex meditatione dicendi facultas oritur, ex facultate vero dicendi vis eloquentiæ erumpit. Sic *eadem ratio* est, idemque ordo et methodus discendi quæ pronunties, nempe meditando atque exercendo, et pronuntiandi quæ didiceris ac perceperis: scil. meditatione aliarum artium et cognitionum, veluti præluditur altissimæ exercitationi et nobilissimæ reginæ artium eloquentiæ.

[u] *Scientiam ab exercitatione separat*] Quia forte potest fieri, ut non concipiat, eandem esse rationem utriusque meditationis: potest fieri, ut artibus multis et variis eruditus aliquis, parum sit exercitatus dicendo, aut etiam meditando; ea scil. ratione, qua percipere et proferre apte possit quæ meditatus fuerit. Attamen qui his multis artibus plenum et instructum pectus habet, jam certe longe paratior veniet ad exercitationes oratorias.

longe paratiorem[10] ad eas exercitationes venturum, quæ propriæ curæ[11] oratorum videntur.[v]

34. Ergo apud majores nostros juvenis ille, qui foro et eloquentiæ parabatur, imbutus jam domestica disciplina, refertus honestis studiis, deducebatur a patre, vel a propinquis, ad eum oratorem,[w] qui principem in civitate locum obtinebat:[1] hunc sectari, hunc prosequi, hujus omnibus dictionibus[x] interesse, sive in judiciis, sive in concionibus, assuescebat, ita ut altercationes quoque excipere et jurgiis[2] interesse,[3] utque sic dixerim, pugnare in prælio disceret: magnus ex hoc usus, multum constantiæ. Plurimum judicii juvenibus statim contingebat, in media luce studentibus, atque inter ipsa discrimina, ubi nemo impune stulte aliquid aut contrarie dicit, quo minus et judex respuat et adversarius exprobret, ipsi denique advocati aspernentur. Igitur vera statim et incorrupta[y] eloquentia imbuebantur:

10 Sic Lipsius. Prius *paratum*.—11 Editio princeps, *circa oratorium:* Puteolanus, et ceteri omnes, *circa oratoriam.* Mallet Lipsius, *circo oratorio.* Schelius, *circo*, vel *curæ oratorum.* Forte redundat, *circa;* et olim scriptum, *propriæ oratorum videntur.* Brotierus. *Curæ oratorum* Bipont. et Schulz. *circa oratoriam* Brotier.

1 Ita Mss. Vatic. Libri editi, *principem locum in civitate tenebat:* et sic Ryckius et Gronov.—2 Sic bene Lipsius e Ms. Farnes. restituit multa in veteribus editionibus omissa; ubi tantum, *dictionibus interesse, utque sic dixerim, &c.* Brotierus.—3 Vix crediderim a diligentissimo et accuratissimo scriptore dictum fuisse, *dictionibus interesse .... jurgiis interesse.* Existimaverim potius olim scriptum fuisse, *jurgiis immisceri*, et librariorum vitio, *in-*

NOTÆ

[v] *Quæ propriæ curæ oratorum videntur*] Rodolphus, *propriæ esse oratorum videntur.* Ego, *propriæ circo oratorio videntur.* Quia scil. de exercitationibus loquitur, eleganter *circum* adjungit, qui pugnis et exercitiis destinatus. *Lipsius.*

Malim, *circo oratorum.* Sic infra: 'Est aliquis oratorum campus per quem nisi liberi et soluti ferantur, debilitatur ac frangitur eloquentia.' *Schelius.* Forte non male, *circuli oratorum:* et sic vocat Quintilianus.

Quæ propriæ] Forte, *quæ propriæ artis oratoriæ videntur.* Vel, *quæ proprie circa artem oratoriam versantur.*

[w] *Ad eum oratorem*] Quintilianus: 'Juvenis, qui rationem inveniendi eloquendique diligenter exceperit, et exercitationem quoque modicam fuerit consecutus, oratorem sibi aliquem, quod apud majores fieri solebat, deligat, quem sequatur, judiciis intersit quamplurimis, sit certaminis, cui destinatur, frequens spectator.'

[x] *Dictionibus*] *Actionibus.* Attamen aliquod discrimen sit. Vox *dictionibus* Fabium clare demonstrat.

[y] *Incorrupta*] Non fracta, non corrupta deliciis seu vitiis nostri sæculi.

et, quanquam unum sequerentur, tamen omnes ejusdem ætatis patronos in plurimis et causis et judiciis cognoscebant: habebantque ipsius populi[4] diversissimarum aurium copiam, ex qua facile deprehenderent,[5] quid in quoque vel probaretur, vel displiceret. Ita[z] nec[6] præceptor deerat, optimus quidem et electissimus, qui faciem eloquentiæ,[a] non imaginem præstaret: nec adversarii et æmuli ferro, non rudibus,[7] dimicantes:[b] sed auditorium semper plenum, semper novum, ex invidis et faventibus, ut nec bene[c] dicta dissimularentur. Scitis enim, magnam illam et duraturam eloquentiæ famam non minus in diversis subselliis[d] parari, quam suis: quin immo constantius surgere ibi, fidelius corroborari. Atque Hercule sub ejusmodi præceptoribus[8]

teresse a superioribus repetitum. *Brotier.*—4 Mallet Rodolphus Agricola, *populi et diversissimarum aurium.* Lipsius, *populi, id est, diversissimarum aurium.* Retineri potest vulgata scriptura. *Idem.*—5 Ita Mss. Vatic. In editione principe, *deprehendentur.* Unde Puteolanus emendaverat, *deprehendebatur.*—6 Acidal. *Jam vero nec.*—7 Sic bene Lipsius. Hæc enim a gladiatoribus sumta. In Mss. et veteribus editionibus, *sudibus.*—8 Ita Mss. Vatic. Sic quoque volebat Gronovius. Libri editi, *præceptionibus:* et sic edidere Gro-

NOTÆ

Sana, sancta et virilis illa olim eloquentia.

[z] *Ita*] Intelligit de eo ipso oratore optimo, *qui* scil. *principem locum in civitate tenebat;* quem juvenis sectabatur, prosequebatur, &c.

[a] *Faciem eloquentiæ*] Id est, veram et vero prælio certantem ac vincentem eloquentiam, non vanum simulacrum eloquentiæ, non scenam scholarum, aut declamationum umbratilium; quod statim explicat: nec deerant 'adversarii et æmuli, ferro, non sudibus dimicantes,' non rudibus batuentes.

[b] *Non sudibus dimicantes*] Leg. *sudibus.* Nam hæc a gladiatoribus sumta. *Lipsius. Sudes* tamen et *rudes* varie a veteribus confunduntur. *Schelius.* Nihil mutandum puto.

[c] *Ut nec bene*] Alii, *ut nec male, nec bene.* Sed sic satis locus intelligitur: nam si bene dicta non silentur, a fortiori nec male dicta.

[d] *In diversis subselliis*] Nempe in variis, *in plurimis causis et judiciis,* et in publicis scil. *subselliis* eloquentia paratur melius, *quam in suis,* quam in domesticis sedibus, aut in scholis; in quibus scil. meditatur actionem, et prius se exercet orator. Nam ibi *diversissimarum aurium* auditores, respuendo, exprobrando, arguendo, etiam fautores ipsi docent quid vitandum, quid potius agendum, quid cavendum sit, quid probetur, quid minus placeat, &c. *Constantius surgit* ibi orator, et eloquentia ipsa *fidelius* firmiusque corroboratur, ut in aperto scil. veri prælii campo et circo. Tum vera eloquentiæ facies, tunc verum, tum magnum et ingens spectaculum.

juvenis ille, de quo loquimur, oratorum discipulus, fori auditor, sectator judiciorum, eruditus et assuefactus alienis experimentis, cui, quotidie audienti, notæ leges, non novi judicum vultus, frequens in oculis consuetudo concionum, sæpe cognitæ populi aures, sive accusationem susceperat, sive defensionem, solus statim et unus cuicumque[9] causæ par erat. Nonodecimo ætatis[e] anno L. Crassus C. Carbonem, uno et vicesimo Cæsar Dolabellam,[f] altero et vicesimo Asinius Pollio C. Catonem, non multo[10] ætate[11] antecedens Calvus Vatininum iis orationibus insecuti sunt, quas hodieque[12] cum admiratione legimus.

35. At nunc adolescentuli nostri deducuntur in scenas[1] scholasticorum,[g] qui *rhetores* vocantur: quos paulo ante

novius et Ryckius.—9 Ita Lipsius e Ms. In veteribus editionibus, *unicuique causæ*.—10 Ita libri omnes editi. In Mss. Vatic. *multum*.—11 Sic Rhenanus. Prius erat *ætatem*.—12 *hodieque*. Omissa in veteribus editionibus copula. In Ms. Vatic. 1862. *hodie quoque*.

1 Male editiones veteres, *in scena*. Scenas autem scholasticorum appellat, loca in quibus, velut per lusum, fucata et personata eloquentia exercebatur.

NOTÆ

[e] *Ætatis*] Quintil. lib. XII. 6. 'Agendi autem initium sine dubio secundum vires cujusque sumendum est: neque ego annos definiam, cum Demosthenem puerum admodum actiones pupillares habuisse manifestum sit: Calvus, Cæsar, Pollio, multum ante quæstoriam omnes ætatem gravissima judicia susceperint: prætextatos egisse quosdam sit traditum: Cæsar Augustus duodecim natus annos aviam pro rostris laudaverit.'

[f] *Uno et vicesimo anno Cæsar Dolabellam*] Suetonius ait in Julio c. 5. composita seditione civili. Constat autem bellum Lepidi confectum esse, M. Æmilio et D. Bruto Coss. quo anno Cæsar ad IV. Idus Quintiles quartum et vigesimum natalem celebravit.

Igitur vel vigesimo tertio anno desinente, vel vigesimo quarto incipiente, Dolabellam accusaverit. Suetonii meo animo verior est sententia. Nam Dolabella hic est ille, qui ex consulatu profectus in Macedoniam, devictis Thracibus, anno eo, quo Lepidus pulsus fugatusque est, triumphavit. Adi ad Fastos et M. Tullium in ea contra Pisonem.

More autem fecit Cæsar adolescentium ejus ætatis, qui se foro præparabant, cum militiæ forensis hoc rudimentum edidit. Vide Apuleii apologiam, et quæ ibi nuper annotavimus. *Casaubonus*. Corrigimus igitur? an, ut sæpe, dissensus est? Ego hoc malo. *Lipsius*.

[g] *In scenas scholasticorum*] Apposite appellat *scenas* loca, in quibus fucata illa et personata eloquentia exercetur velut per lusum. *Lipsius*.

In scenas] Quintil. lib. XII. 2. 'Nam ut de nostris potissimum stu-

Ciceronis tempora extitisse, nec placuisse majoribus nostris, ex eo manifestum est, quod L. Crasso[2] et Domitio Censoribus, 'cludere,' ut ait Cicero,[h] 'ludum impudentiæ' jussi sunt. Sed, ut dicere institueram,[n] deducuntur[3] in scholas, in quibus, non facile dixerim, utrumne locus ipse, an condiscipuli, an genus studiorum plus mali ingeniis afferant. Nam in loco nihil reverentiæ,[i] sed[4] in quem nemo, nisi æque imperitus[5] intrat. In condiscipulis nihil profectus, cum

[n] *Inceperam.*

Quod recte annotavit Lipsius. *Brotier.*—2 Perperam libri editi, *Marco Crasso.* Error scioli alicujus, qui Crassum censorem eundem fuisse ac Marcum Crassum, Romanorum ditissimum, credidit. Forte olim scriptum, *Crasso et Domitio censoribus*, non addito prænomine. *Idem.*—3 Ita Mss. Vatic. Non ita bene libri editi *deducimur.* [Sic autem Gronov. et Ryck.] *Brotier.*—4 *Sed* omissum vult Ernestus.—5 Ita Mss. Vatic. In libris editis, pertur-

NOTÆ

diis dicam, quid attinet tam multis annis, quam in more est plurimorum, (ut de his, a quibus magna in hoc pars ætatis absumitur, taceam,) declamitare in schola, et tantum laboris in rebus falsis consumere; cum satis sit modico tempore imaginem veri discriminis, et dicendi leges comperisse.'

In scena] Sic in vett. Forte *in scenam* fuit.

[h] *Ut ait Cicero*] Locus est lib. III. de oratore ex persona L. Crassi. 'Hoc,' inquit, 'cum unum traderetur et impudentiæ ludus esset, putavi esse censoris, ne longius id serperet, providere, quanquam non hæc ita statuo atque decerno, ut desperem eam tradi ac perpoliri; sed hominibus opus est eruditis,' &c.

Constat vero ad Ciceronem præturam usque Græce declamasse: Latine vero seniorem quoque, et quidem cum Hirtio et Pansa Coss. quos discipulos et *grandes prætextatos* vocabat: quin et *cum prætura fungeretur*, scholam quoque M. Antonii Gniphonis frequentasse, qui tum Rhetoricam ita docebat in urbe, 'ut quotidie præcepta eloquentiæ traderet, declamaret vero non nisi nundinis;' hunc vero, cum *in Gallia natus* fuerit, et quidem *ingenuus*, inter nostros Rhetores recenseri par fuit.

Ciceronis ipsius de se testimonia sunt hæc, in Bruto: 'Commentabar declamitans (sic enim nunc loquuntur) sæpe cum M. Pisone et cum Q. Pompeio, aut cum aliquo quotidie. Idque multum faciebam Latine, sed Græce sæpius.' *Pithœus.*

[i] *Nihil reverentiæ*] Contra de Junio Avito Plin. Epist. VIII. 23. 'Ita me diligebat, ita verebatur, ut me formatore morum, me quasi magistro uteretur. Rarum hoc in adolescentibus nostris. Nam quotus quisque vel ætati alterius, vel auctoritati, ut minor, cedit? Statim sapiunt, statim sciunt omnia, neminem verentur, imitantur neminem, atque ipsi sibi exempla sunt. Sed non Avitus, cujus hæc præcipua prudentia, quod alios prudentiores arbitrabatur. Hæc præcipua eruditio, quod discere volebat.'

pueri inter pueros, et adolescentuli inter adolescentulos, pari securitate et[6] dicant et audiantur. Ipsæ vero exercitationes magna ex parte contrariæ. Nempe enim duo genera materiarum apud rhetores tractantur, suasoriæ et controversiæ. Ex iis suasoriæ quidem,[j] tanquam plane leviores et minus prudentiæ exigentes, pueris delegantur; controversiæ robustioribus assignantur, quales, per[7] fidem, et quam incredibiliter compositæ! Sequitur autem, ut materiæ abhorrenti a veritate declamatio quoque[8] adhibeatur.[k] Sic fit, ut tyrannicidarum præmia, aut vitiatarum electiones,[l] aut pestilentiæ remedia,[m] aut incesta matrum, aut quicquid in schola quotidie agitur, in foro[a] vel raro[n] vel nunquam ingentibus verbis persequantur: cum ad veros judices ventum est,[o] * *[9] rem cogitare, nihil humile, nihil abjectum[p] eloqui poterat.

[a] *Sic fit ut* in foro *talia, aut nunquam, aut raro* ingentibus verbis, *ut prius in schola, persequantur.*

bato ordine *imperitus æque.* [Sic Gronov. et Ryck.] *Brotier.*—6 Sic bene Mss. Vatic. A libris editis copula deest; ut a Gronov. et Ryck.—7 Groslotius corrigebat *super fidem.* Lips. suspicatus erat leg. *per fidium,* dedit tamen *per fidem.* Prius legebatur *perfidiæ.* Bip. conjectant *præter fidem,* synonymice. *Oberl.*—8 Pithœus, *declamatio quoque similis adhibeatur.*—9 Deesse quid editor ed. pr. non senserat, nam nulla ibi lacuna, nec in Puteolani, sed Beroaldus animadvertit. Extrema sermonis Messalæ, integra Julii Secundi oratio et initium sermonis Materni desiderari videntur Broterio, qui ex ingenio supplere tentavit. *Oberl.*

NOTÆ

[j] *Suasoriæ quidem etsi*] Τὸ *etsi* redundat meo judicio. *Freinshemius.* Nihil mutandum.

[k] *Declamatio quoque adhibeatur*] Forte, *declamatio quoque par*, vel *similis*, vel *talis*, *adhibeatur*. Acidalius.

[l] *Vitiatarum electiones*] Recte. Respicit ad legem scholasticam, quæ raptarum dicitur, 'Rapta raptoris mortem, vel nuptias optet.' *Pithœus.*

[m] *Pestilentiæ remedia*] Petronius hæc talia in Satyrico exagitat, et diserte, 'responsa in pestilentiam data.' Quintil. XI. 10. 'Sint ergo et ipsæ materiæ, quæ fingentur quam simillimæ veritati: nam magos, et pestilentiæ responsa, aliaque magis adhuc fabulosa, frustra inter sponsiones et inter dicta quæremus.'

[n] *Quicquid in schola.... in foro vel raro, &c.*] Petronius: 'Nunc pueri in schola ludunt, juvenes ridentur in foro: et quod utroque turpius est, quod quisquam perperam discit, in senectute confiteri non vult.'

[o] *Cum ad veros judices ventum est*] Qui sequitur sermo, non jam Messalæ est, sed Materni. Itaque multa hoc loco desiderantur. *Pithœus.* Liber vetus præfert, et spatio grandi

36. Magna eloquentia, sicut flamma, materia alitur et motibus excitatur et urendo clarescit. Eadem ratio in nostra quoque civitate antiquorum eloquentiam provexit.[1] Nam, etsi horum quoque temporum oratores[2] ea consecuti sunt,[q] quæ composita et quieta et beata Republica tribui[3] fas[4] erat, tamen ista[5] perturbatione ac licentia plura[6] sibi assequi videbantur, cum mixtis omnibus,[b] et moderatore uno carentibus, tantum quisque orator saperet, quantum erranti populo persuaderi[7] poterat. Hinc leges assiduæ[8] et[9] populare[r] nomen, hinc conciones Magistratuum,[10] pæne per-

[b] *Confusis, motis, perturbatisque omnibus.*

1 Ed. vet. exhibet *pervexit.*—2 Schurzfl. *rhetores*, et provocat ad initium dialogi, et ad c. 14.—3 Male vett. Edd. *imbui.* Lipsius correxit. *Brotier.*—4 Schulting. legi jubet *fas non erat.*—5 Mss. Vatic. *illa.*—6 Male vett. Edd. *pleraque.* Lipsius correxit. *Brotier.*—7 Heumann. vult *persuadere.*—8 Idem ex ingenio dedit *leg. agrariæ.*—9 Ita bene Mss. et Edd. vett. In Lipsianis aliisque [cum Ryck. et Gronov.] male omissa copula. *Brotier.*—10 Sic

NOTÆ

interposito usque ad ea verba, *rem cogitare*, adjicit, *hic multum deficit.* Et clarum: quia sermo sequens, non Messalæ amplius, sed Materni. *Lipsius.*

Ad veros judices ventum est] Quintilian. XII. 6. 'Quantumlibet secreta studia contulerint, est tamen proprius quidam fori profectus: alia lux, alia veri discriminis facies; plusque, si separes, usus sine doctrina, quam citra usum doctrina valeat. Ideoque nonnulli senes in schola facti, stupent novitate, cum in judicia venerunt, et omnia suis exercitationibus similia desiderant. At illic et judex tacet, et adversarius obstrepit, et nihil temere dictum perit, et si quid tibi ipse sumas, probandum est: laboratam congestamque dierum ac noctium studio actionem aqua deficit: et omisso magna semper flandi tumore, in quibusdam causis loquendum est, quod illi diserti minime sciunt.'

[p] *Nihil humile, nihil abjectum*] Cic. de fin. l. v. 'Omnium ceterarum rerum obliti, nihil abjectum, nihil humile cogitant.'

Nihil humile] Forte de quodam oratore Græco loquebatur hic Maternus. Nam statim opponit: 'in nostra quoque civitate;' Roma scil. *Ea ratio*, ea causa *antiquorum*, Latinorum scil. oratorum, *eloquentiam provexit:* alebatur, ea, scil. magnis *motibus*, contentionibus patrum et plebis, seditionibus tribunorum, &c.

[q] *Ea consecuti sunt*] Eas dignitates pop. Romani, eos honores, præturas, scil. consulatus, sacerdotia, &c. Unde et opes.

[r] *Populare*] *Populares* vocabant eos qui populi partes foverent: id civile postea dictum de principibus, qui se supra leges, aut cives non ferrent, qui scil. principatum ac libertatem optimo temperamento miscerent.

noctantium[s] in rostris,[t] hinc accusationes potentium reorum et assignatæ etiam domibus inimicitiæ, hinc procerum factiones et assidua Senatus adversus plebem certamina: quæ singula etsi distrahebant Rempublicam, exercebant tamen illorum temporum eloquentiam et magnis[11] cumulare præmiis videbantur: quia quanto quisque plus dicendo poterat, tanto facilius honores assequebatur, tanto magis, in ipsis honoribus, collegas suos anteibat,[u] tanto plus apud prin-

bene Lipsius. In vett. edd. *migrantium*. Idem.—11 Sic Lipsius. Prius erat

NOTÆ

[s] *Pœne pernoctantium*] Eadem figura *nocturni advocati* dicuntur a Petronio et Seneca in libro de brevitate vitæ: 'Quos a basilica,' inquit, 'immissi demum canes ejiciunt.' *Pithœus.*

[t] *Rostris*] Rostra, suggestus erat e rostris navium Antiatium, erant duplicia, vetera et nova. *Vetera* fuerunt ante Curiam Hostiliam in foro Romano, et in Octava regione Romæ antiquæ. *Nova* ad Palatii radices. Ferebantur autem in rostris leges, conciones habebantur, &c. *Tillemon.*

[u] *Anteibat*] Scil. aut quia hi diserti majores superioresque magistratus obtinerent, aut maturius et juniores eligerentur, aut certe quia in iisdem honoribus, ædilitate v. g. prætura, aut consulatu priores designarentur, et major honos fuit sic eligi. Nam qui primus consul designatus erat, ille primo mense fasces et lictores habuit, et major consul vocabatur; et quasi repulsæ, quasi contumeliæ instar fuit ultimo loco designari, præsertim in iis dignitatibus, quæ multos magistratus potestate pares habuere, quales fuerunt tribuni pleb. et ædiles. Sueton. Vesp. 2. 'Ædilitatis ac mox præturæ candidatus, etiam non s ne repulsa, sextoque loco vix adeptus est.' Quanta gloria præcelluerit prioris electio consulis describit eleganter Ausonius in gratiarum actione pro consulatu ad Gratiarum imperatorem: 'Cum prior renuntiatus sim, satis est tuum tenere judicium. Interpretes valete meritorum. Neque autem ego, sacratissime imperator, in tenui beneficio gradum nuncupationis amplector. Num est hæc gloria ignota Ciceroni? Prætorem me, inquit, populus Rom. primum fecit, consulem priorem. Ex ipsa ejus sententia intelligitur, commendabilius ei videri uni, quam pluribus, esse præpositum. Nulla enim est quidem contumelia secundi, sed ex duobus gloria magna prælati. Alexandri Macedonis hoc fertur, cum legisset illos Homericos versus, quibus, Hectore provocante, e novem ducibus, qui omnes pugnare cupiebant, unum deligi placeret .... Occiderem, inquit, illum qui me tertium nominasset. O magnanimitatem fortissimi viri. Nominari inter novem tertius recusabat, ubi certe pluribus antecelleret, quam subesset. Quanta hic verecundia gravaretur posterior de duobus! Est enim in hoc numero arduæ plena dignationis electio, cum universis mortalibus duo qui fiant consules, præferuntur. Qui alteri præponitur, non uni, sed omnibus an-

cipes[v] gratiæ, plus auctoritatis apud Patres, plus notitiæ ac nominis apud plebem parabat:[12] hi clientelis etiam exterarum[w] nationum redundabant: hos ituri in provincias[x] Magistratus reverebantur, hos reversi[13] colebant: hos et Præturæ et Consulatus vocare ultro videbantur: hi ne privati quidem sine potestate erant; cum et populum et Senatum consilio et auctoritate regerent: quin immo sibi ipsi persuaserant, neminem sine eloquentia aut assequi posse in civitate, aut tueri conspicuum et eminentem locum. Nec mirum cum etiam inviti ad populum producerentur: cum parum esset, in Senatu breviter censere, nisi quis[14] ingenio et eloquentia sententiam suam tueretur:[15] cum, in aliquam invidiam aut crimen vocati, sua voce respondendum haberent, cum testimonia quoque in judiciis[16][y] non absentes, nec

magis.—12 Sic merito Lipsius e conjectura. Veteres Edd. *probabat.*—13 Sic Lipsius: prius erat *reversuri.* Idem et sequentia emendavit, ubi legebatur, *hi et P. et Consulatui vacare.*—14 Sic Lipsius. Vulg. *qui*, quod et Gronovius et Ryckius servant. *Nisi quis* probat Brotier, et Heumann.—15 Ernestus conjecit *qui, nisi ing. et el. s. s. tuerentur:* quod in textum suum Schulzius recepit.—16 Olim legebatur *in publicis.* Rodolphus *in publicis judiciis.* Sufficerit fortasse pro *publicis* legere *judiciis.* Ernest. Bip. *in publicis causis.* Recepit Schulze. Mihi *publicis* videtur ortum ex *judiciis:* hoc repono. *Oberl.* Brotie-

NOTÆ

tefertur.' Scil. in tacita conceptione votorum Græci cupiebant sorte eligi, vel Ajacem, vel Diomedem, vel Agamemnonem. Sic Rex *tertius* nominatus erat.

[v] *Apud principes*] Id est, apud primores civitatis, consulares, patricios, &c. Nam nemo unus eo ævo princeps proprie aut dominus rerum fuit: populus imperabat.

[w] *Exterarum*] Socios tamen intelligit. Neque enim Germani aut Parthi v. g. se clientes oratorum Romanorum faterentur. Hic intelligit præcipue de nationibus, quæ sociis regibus parerent, aut aliis etiam fœdere devinctis.

[x] *Ituri in provincias*] Quia scil. absentes, aut etiam redeuntes accusari poterant, sævitiæ, libidinum, repetundarum, &c. Quandoque et propter solam atrocitatem morum relegati in insulas summi illi proconsules.

[y] *In judiciis*] Alii, *in publicis.* Alii *in publicis judiciis.* Sed nonne omnia judicia *publica* et publice exercentur? Forte nihil desit: *in publicis*, supple, causis, in rebus forte quæ ad Rempub. spectarent. Aut forte *in publicis*, scil. locis, ut in senatu, apud prætorem, aut centumviros. Nam tribuni v. g. forte et ædiles multa levioris momenti cognoscebant *intra domum.* Quod mox tamen prohibitum est sub Nerone, teste Tacito. Vel potius *publica* hæc judicia opponit his quæ habet infra, c. 37. 'Multum interest, utrumne de furto, aut formu-

per tabellam dare, sed coram et præsentes dicere cogerentur. Ita, ad summa eloquentiæ præmia, magna etiam necessitas accedebat: et quomodo[17] [z] disertum haberi, pulchrum et gloriosum: sic contra mutum et elinguem videri, deforme habebantur.

37. Ergo[1] non minus rubore,[a] quam præmiis stimulabantur:[2] ne clientulorum[3] loco potius, quam patronorum, numerarentur: ne traditæ a majoribus necessitudines ad alios transirent:[4] ne tanquam inertes, et non suffecturi honoribus, aut non impetrarent, aut impetratos male tuerentur. Nescio, an venerint in manus vestras[5] [b] hæc vetera, quæ in antiquo-

rus, *in publicis*; et sic edidere Gronovius et Ryckius.—17 Brotier. cum Ryckio et Gronovio legit *accedebat, et commoda. Disertum, &c.* At Brotiero hæc *et commoda* redundare videntur, et conjicit *nec modo.* Mihi Acid. rem acu tetigisse videtur, quem cum Bip. et Schulzio sequor. *Commoda* ex *comodo* pro *quomodo* ortum. Dureau de Lamalle legit *et non modo disertum* etc. *Oberl.*

1 *Ergo* restituit Lipsius, omissum a Puteol. Beroald. et Rhenan.—2 Ita bene Rhenanus. Male Edd. vett. *stipulabantur.* Brotier.—3 Sic Gronov. Ryck. et Bipont. Brotierus præfert editque *clientelarum.* Ed. pr. et vett. Edd. *clientularum.*—4 Perperam in Mss. et Edd. vett. *transissent.* Mutavit Lipsius: omnes sequuntur. *Brotier.*—5 Male Edd. vett. *nostras.* Idem.—

NOTÆ

la, et interdicto dicendum habeas, an de ambitu comitiorum, expilatis sociis, et civibus trucidatis.' Hæc scil. ad Rempub. spectant, illa ad privatos. Sic et Fabius: quo clare fœtum hunc sibi vindicat.

[z] *Necessitas accedebat: et commoda*] Muretus hæc ita transponebat, *ad summa eloquentiæ præmia et commoda, magna etiam, &c.* Ego sic lego: *ita ad summa eloquentiæ præmia magna etiam necessitas accedebat: et quomodo disertum haberi, &c.* Acidalius.

Inepte hic commodorum mentio fit, cum jam præmiorum meminerit Lego: *Necessitas accedebat, et non modo disertum haberi pulchrum et gloriosum, sed contra mutum et elinguem videri deforme habebatur.* Confirmat hoc quod sequitur: 'Ergo non minus rubore quam præmiis stimulabantur.' *Schelius.*

Et commoda] Hæc forte sit explicatio vocis *præmia.* Vel id transpositum, ut recte notavit Muretus.

[a] *Rubore*] *Rubor*, pudor certe et flagitii instar fuit, *elinguem* et infacundum videri eo ævo.

[b] *In manus vestras*] An scil. legeritis illos libros. Hoc forte dicit, quia novi isti libri, et nuper a Muciano collecti, quamvis tamen res olim gestas continerent. Quæ scil. exemplaria descripta, manebant adhuc dispersa in *antiquorum*, et præcipue senatorum bibliothecis. Hoc vult igitur: An legeritis hæc vetera, puto, acta urbis, acta senatus, acta populi Romani, forte et epistolas veterum consulum, et edicta prætorum, et res

NOTÆ

gestas toto orbe, procerum, et ipsorum principum. Ipsa forte et senatusconsulta ac plebiscita, quibus fœdera civitatum, provinciarum, et jura sociorum et immunitates continebantur; quorum, scil. multa supererant exemplaria passim in bibliothecis, ex quibus ea colligebat Mucianus. Nam senatorum quisque sibi et suæ familiæ conficiebat commentarios, ex quibus ipsi et posteri nossent Rempub. et gentis decus. Idque gravissimi momenti fuit, tum ad cives, cum ad socios regendos, et cum sententiam proferrent ipsi patres in senatu de his quæ ad Rempub. pertinerent. An præstantissimum opus confecerit ter consul ille Mucianus, jussu Vespasiani, an sua sponte, et amore studiorum, non satis compertum. Ut ut sit, suis ipsis, et hisce commentariis bene meritus est ipse de literis et de Repub. Nam quid his utilius ad historiam rerum, et morum, atque temporum cognoscendam? Et forte his libris non solum acta senatus, aut populi Rom. non solum senatusconsulta collecta simul atque ordinata, sed et sententiæ ipsæ, juxta quas constituta erant hæc decreta, elegantissimis senatorum aut consularium orationibus testatæ, erant his annexæ: quod ex sequentibus verbis colligi possit, scil. 'Cn. Pompeium et M. Crassum, non viribus modo et armis, sed ingenio quoque et oratione valuisse.' Quæ quidem decreta omnia, cum in utramque partem agitata essent a patribus, a consularibus ac nobilissimis et facundissimis oratoribus, et quidem Reipub. ac temporum suorum peritissimis, sic quantæ auctoritatis, quantæ eloquentiæ, quam vastæ et immensæ doctrinæ opus illud fuerit, docti judicent. Ita pariter et plebiscita haud dubie testata tribunorum orationibus, aut consulum ipsis intercedentium: dignum certe opus, ter consule Muciano et eruditissimo viro suæ ætatis! O doctrinæ ac prudentiæ fontem limpidissimum et inexhaustum, si ad nos usque profluere potuisset. Vide quantæ molis et momenti fuerint *tria* ista *millia tabularum ærearum*, quæ scil. dicatæ et appensæ in Capitolio simul conflagrarunt bello Vitelliano. Vide quantæ molis ac ponderis fuerint *undecim actorum libri*, et *tria epistolarum* volumina, quæ pars tantum fuit priscorum monumentorum nam adhuc contrahebat et conquirebat prisca exemplaria Mucianus: forte adhuc plura restabant componenda et edenda. O magnum *instrumentum imperii*, doctrinæ, morum, legum, temporum! O egregium exemplum juvenum, qui capesserent Rempub. quippe ex his intelligi possit, quantum *non viribus modo et armis*, sed ingenio quoque et eloquentia floruerint olim Pompeii, Crassi, Lentuli, Metelli, Luculli, Curiones, et alii proceres: nec quenquam floruisse fama, opibus, aut honoribus, qui studia et eloquentiam contemserit. Haud dubie hoc opus idem est cum eo de quo Sueton. Vespas. 8. 'Ærearumque tabularum tria millia,' (quibus scil. incisa erant fœdera, jura, immunitates cujusque nationis ac civitatis) 'quæ simul conflagraverant,' cum Capitolio, scil. quod etiam instaurabat princeps, 'restituenda suscepit, undique investigatis exemplaribus. Instrumentum imperii pulcherrimum ac vetustissimum confecit, quo continebantur pæne ab exordio urbis senatusconsulta, ac plebiscita, de societate, et fœdere, ac privilegio cuicumque concessis.' Si eadem hæc res sit, id fecerit Mucianus haud dubie consilio et jussu principis. Hæc Suetonii prorsus pertinere ad *imperii* et domi-

rum[6] bibliothecis adhuc manent, et cum[7] maxime a Muciano contrahuntur:[8] ac jam undecim, ut opinor, Actorum libris et tribus Epistolarum composita et edita sunt. Ex his intelligi potest, Cn. Pompeium et M. Crassum, non viribus modo et armis, sed ingenio quoque et oratione, valuisse: Lentulos et Metellos et Lucullos et Curiones, et ceteram procerum manum, multum in his studiis operæ curæque posuisse: nec quenquam illis temporibus magnam potentiam, sine eloquentia, consecutum. His accedebat splendor rerum[9] et magnitudo causarum, quæ et ipsa plurimum eloquentiæ præstant. Nam multum interest, utrumne de furto, aut formula et interdicto,[10] dicendum habeas, an de ambitu comitiorum, expilatis sociis et civibus[11] trucidatis: quæ mala sicut non accidere melius est, isque optimus civitatis status habendus est, quo[12] nihil tale patimur: ita, cum acciderent, ingentem eloquentiæ materiam subministrabant. Crescit enim cum amplitudine rerum vis ingenii, nec quisquam claram et illustrem orationem efficere potest, nisi qui causam parem invenit. Non opinor Demosthenem orationes illustrant, quas adversus tutores suos composuit: nec Ciceronem magnum oratorem P. Quinctius defensus, aut Licinius Archias, faciunt: Catilina et Milo et Verres et Anto-

6 Vulgo legitur *hæc vetera, quæ et in antiquorum bibl. &c.* Sic Brotierus; et Gronov. quidem et Ryckius, omisso *in*. At quærit Schurzfl. quæ illa sint *vetera* et qui illi *antiqui?* legitque *hæc adversaria, quæ et antiquariorum b. a. m.* Bip. omisso *hæc*, ac *et* mutato in *in*, recepere hanc lectionem. Vix audeo sequi. *Oberl.*—7 Sic editio princeps et Ernestus. Puteolanus et alii, *et nunc maxime:* et sic Gronov. Ryck. et Bipont.—8 Heumann. *protrahuntur.*—9 Ita bene libri omnes editi. In Mss. Vatic. *reorum.* Brotier.—10 Heum. et Schult. volebant *aut formula interdicti.*—11 Pro *et civibus* ed. pr. habet *et comitibus.*—12 Ita libri omnes editi. In Mss. Vatic. 1862. et 4498. *in quo.*—

NOTÆ

nationis arcanum videntur; talia scil. sunt *senatusconsulta*, et *plebiscita, &c.* At *epistolæ* priscorum consulum et proconsulum, forte et principum multæ ad res privatas et ad familiam pertinebant, quæ in libros, ut puto, non perinde diligenter collectæ sunt. Sed ad talia imperii sacraria, seu arcana, spectant, quæ scribit Plinius passim toto lib. x. epistolarum, et alia similia rescripta et epistolæ dominantium.

nius hanc illi famam circumdederunt:[c] non, quia[d] tanti fuit, Rempublicam malos ferre cives, ut uberem ad dicendum materiam oratores haberent: sed, ut subinde admoneo, quæstionis meminerimus, sciamusque, nos de ea re loqui, quæ facilius turbidis et inquietis temporibus extitit.[13] Quis ignorat, utilius ac melius esse, frui pace, quam bello vexari? Plures tamen bonos præliatores bella, quam pax, ferunt. Similis eloquentiæ[14] conditio.[e] Nam, quo sæpius steterit tanquam in acie, quoque plures et intulerit ictus et exceperit, quo major adversarius et[15] acrior, quicum pugnas[f] sibi

13 Mallet Lipsius, *existit.*—14 Schelius mallet *eloquentis.*—15 Sic Ms. Vatic. 1862. Lipsius e Ms. Farnes. in quo, *acrior per pugnas*, frustra tentat, *major adversarius et acrior, quo plures pugnas sibi asperas desumserit, tanto altior et excelsior, illis nobilitatus discriminibus.* Brotier. Ryckius, Gronov. et Brotierus dant, *eo acrior, qui pugnas sibi asperas desumserit, &c.* Latinum Latinium Bibl. t. II. p. 37. sequor cum Bip. levi correctione loco corrupto medentem.

NOTÆ

[c] *Hanc illi famam circumdederunt*] Phrasis Tacito valde familiaris. Hist. IV. 'Erant, qui principatus inanem ei famam circumdarent.' In vita Agric. 'Egregiam famam paci circumdedit.' *Acidalius.*

Ex tali loco aut similibus non probent Dialogum esse *Taciti*: nisi multa alia perinde affluant, et præsertim cum cetera omnia repugnant. Sunt tales quædam locutiones usitatæ eodem ævo, quas usurpant promiscue auctores in quacumque materia: ex his nihil evincitur.

[d] *Non, quia*] Non quod id tanti momenti esset Reipub. ideoque *malos ferre cives* deberet; ut scil. 'uberem ad dicendum materiam oratores haberent.'

[e] *Similis eloquentiæ conditio*] Fortassis, *similis eloquentis conditio. Nam quo sæpius steterit tanquam in acie, quoque plures intulerit ictus et exceperit. Quo major adversarius, quo acrior, quem per pugnas sibi asperas desumserit, tanto altior et excelsior, ut illius nobilitatus discriminibus in ore hominum agit.*

Per pugnas, est in veteri codice. Et τὸ *discriminibus* Lipsii est, &c. Quamvis enim eleganter dicatur accusator alterius criminibus nobilitari et hic legi videatur posse, *illius nobilitatus criminibus*, in similitudinem tamen a prælio et re militari ductam et in clausulam, qua dicitur hanc esse vulgi naturam, ut secura nolint, magis quadrat, ut hoc loco *discriminum*, quam *criminum*, fiat mentio. Sic Livius lib. XXII. 'Hæc est pugna Cannensis Alliensi cladis nobilitate par,' &c. *Schelius.*

[f] *Acrior, quicum pugnas, &c.*] Vulg. *qui pugnas.* Forte leg. *Major adversarius et acrior, quo plures.* Et statim, *illis nobilitatus discriminibus.* Lipsius. Sic lego: *Et exceperit, eo acrior; quo major adversarius, tanto altior et excelsior, qui pugnas sibi asperas desumserit, et illis nobilitatus discriminibus in ore hominum agit.* Pro *discriminibus*, an potius *certaminibus?* Acidalius.

Eo acrior] Forte, *et quo acrior;* quo

asperas desumserit, tanto altior et excelsior; et, illis nobilitatus discriminibus,[16] in ore[17] hominum agit,[g] quorum ea natura est, ut secura nolint.[18 h]

38. Transeo ad formam et consuetudinem veterum judiciorum: quæ etsi nunc aptior est civitati,[1] eloquentia tamen illud forum magis exercebat, in quo nemo intra paucissimas horas[i] perorare cogebatur, et liberæ comperendinationes

Oberl.—16 Olim legebatur *criminibus:* at cum Lipsio recipio *illis nobilitatus discriminibus.* Ita fere et Schulzius, qui alias aliorum conjecturas exponit. Bip. cum Heum. et Latinio legunt *nobilitata*, ut referatur ad *eloquentiam.* Idem.—17 Sic emendavit Lipsius pro vulg. *more.*—18 Mss. Vatic. et editiones veteres *velint;* et sic Brotierus edidit. In recentibus emendatum, *nolint.* Rodolphus Agricola supplebat, *ut dubia laudent, secura nolint:* quod ignoraret olim scriptum fuisse, *secura velint*, eodem omnino sensu. Secura enim sunt cum discrimine, tuta sine discrimine. *Brotier.*

1 Lipsius cum Gronovio et Ryckio legit *quæ et si nunc aptior est,* * *ita erit eloquentia, tanto.* Nobis corrupta hæc videbantur, aut mutila. Rodolphus autem concinnat: *etsi nunc aptior est veritati, eloquentiam tamen:* acute, si ab ingenio; feliciter, si a libro. Sic Lipsius. Acidalius non potest amplecti τὸ *veritati.* Sed vide nostra ad L. Senecam de ira II. 29. *Gronov.* Brotier. recepit *veritati*, sed id jure suo jam rejecit Acidalius; falsum enim est, aptiorem veritati et justitiæ esse formam judiciorum, in qua nimis arctis limitibus circumscripta est orandi facultas. Bipont. malunt *civitati*, cui aptior illa tranquillitas recentioris formæ. Satis accedit ad vestigia veteris scripturæ, convenit etiam iis, quæ c. 40. et 41. docentur. Proinde recepi. Cui id minus arrideat, legat cum Acid. *existimetur, eloquentia tamen*, nominandi casu: hoc bene. Sic et Bipont. Rhen. mutarat *aptior* in *arctior:* inde Lat. Latinius concinnabat: *quæ uti nunc arctior est, ita erit eloquentia. Antea illud.*

NOTÆ

scil. vehementior orator qui pugnas acres susceperit, *tanto, &c.*

[g] *In ore hominum agit*] Alio sensu usurpat Tacitus Hist. l. III. cui *in ore*, est in conspectu, in præsentia. At hic est, *per ora hominum ferri*, seu late spargi famam oratoris. Sic Plin. Octavio Epist. II. 10. de versibus: 'Sine per ora hominum ferantur, iisdemque quibus lingua Rom. spatiis pervagentur.'

[h] *Ut secura velint*] Lego, *nolint.* Rhenanus. Clausula addita, Rodolphus: *Ut dubia laudent, secura nolint.* Lipsius. Acutius videatur, *ut dubia laudent, secura malint.* Acidalius.

Secura nolint] Ut scil. pericula velint, quibus præcipue nempe illustratur ac celebratur eloquentia. Secura volunt, sed simul et spernunt. Dubia, adversa, et discrimina audacius, rebus præsentibus, inquieti suscipiunt, et avidius hæc, ut scil. de eventu anxii inquirunt, legunt, audiunt; secura et periculis vacua, ut nullius audaciæ et famæ fastidiosi aspernantur. Alii forte multi se securos volunt, et in aliis audaciam celebrant.

[i] *Nemo intra paucissimas horas*] Plin. Epist. VI. 2. 'Increbuit passim et invaluit consuetudo, binas vel singulas clepsydras, interdum et dimidias et dandi et petendi. Nam et qui dicunt,

erant, et modum dicendi sibi quisque sumebat, et numerus neque dierum neque patronorum finiebatur.[2] Primus,[3] tertio Consulatu, Cn. Pompeius astrinxit,[j] imposuitque veluti frænos eloquentiæ, ita tamen, ut omnia in foro, omnia[4] legibus,[k] omnia apud Prætores gererentur: apud quos quanto majora negotia olim exerceri solita sint,[5][l] quod majus argumentum est, quam quod causæ centumvirales, quæ nunc

Alii magis abludunt; de quibus v. Schulze. *Oberl.*—2 Pro *finiebatur* ed. pr. habet *favebantur;* vitiose; unde Put. *cavebatur*, quod Schurzfleischio mire placet. Mutavit Lipsius. *Idem.*—3 Sic Gronovius et Ryckius, cum Bipont. —Addit Rodolphus: *Primus hujus rei spatia tertio, &c.* Nec hæc talia sane ab ingenii fonte videntur. Ego ex eo scribam: *Primus hujusce spatia.* Lips. Brotierus dat *primus hujusmodi spatia, tert., &c.*—4 Sic bene Mss. Vatic. Perperam libri editi, *omnia in legibus.* [Ita autem Gronovius et Ryckius.] *Brotier.*—5 Perperam in libris editis *solita sunt;* ut jam monuere Latinus Lati-

NOTÆ

egisse malunt, quam agere; et qui audiunt, finiri, quam judicare: tanta negligentia, tanta desidia, tanta denique irreverentia studiorum periculorumque est. An nos sapientiores majoribus nostris? Nos legibus ipsis justiores? quæ tot horas, tot dies, tot comperendinationes largiuntur? Hebetes illi, et supra modum tardi? nos apertius dicimus, celerius intelligimus, religiosius judicamus; quia paucioribus clepsydris præcipitamus causas, quam diebus explicari solebant.... quoties judico, quod vel sæpius facio, quam dico, quantum quis plurimum postulat aquæ do. Etenim temerarium existimo divinare, quam spatiosa sit causa inaudita, tempusque negotio finire, cujus modum ignores: præsertim cum primam religioni suæ judex patientiam debeat, quæ pars magna justitiæ est. At quædam supervacua dicuntur: etiam. Sed satius est et hæc dici, quam non dici necessaria, præterea an sint supervacua, nisi cum audieris, scire non possis.' Sic et l. IV. 9. 'Egeram horis tribus, et dimidia superaret sesquihora. Nam cum ex lege accusator sex horas, novem reus accepisset, ita diviserat tempora reus inter me, et eum, qui dicturus post erat, ut ego quinque horis, ille reliquis uteretur.' Idem II. 11. 'Dixi horis pæne quinque: Nam duodecim clepsydris (quas spatiosissimas acceperam) sunt additæ quatuor.' Alibi scripsit se dixisse *horis septem;* quæ horæ longiores nostris per æstatem, hyeme breviores: nam dies durabat duodecim horis quocumque tempore.

j *Primus, tertio Consulatu, Cn. Pompeius astrinxit*] Addit Rodolphus: *Primus hujus rei spatia tertio, &c.* Sane etiam in hac translatione persistit: 'Quomodo nobiles equos cursus et spatia probant: sic est aliquis oratorum campus,' &c. *Lipsius.*

k *Omnia legibus*] Alii, *omnia in legibus.* Forte, *ex legibus.*

l *Solita sunt*] Forte *solita sint.* Quod majus argumentum est? quo argumento magis evincitur, scil. olim apud prætores majora negotia transacta esse, quam quod tum causæ centumvirales adeo infra gloriam et splendorem aliorum judiciorum erant, ut optimi oratores ibi agere

primum obtinent locum, adeo splendore aliorum judiciorum obruebantur,[m] ut neque Ciceronis, neque Cæsaris, neque Bruti, neque Cœlii, neque Calvi, non denique ullius magni oratoris liber, apud Centumviros dictus, legatur, exceptis orationibus Asinii, quæ *pro hæredibus Urbiniæ*[6] inscribuntur, ab ipso tamen Pollione, mediis Divi Augusti temporibus,

nius et Illustr. Huetius. *Idem.* *Sunt* retinent Gronov. et Ryck.—6 Sic bene Lipsius. Perperam in Ms. Farnes *Uriniæ.* In vett. Edd. *Ironiæ.* Brotier.

NOTÆ

causas nollent, ac spernerent?

[m] *Causæ centumvirales...splendore aliorum judiciorum obruebantur*] Cicero de oratore l. I. 'Nam volitare in foro, hærere in jure ac prætorum tribunalibus, judicia privata magnarum rerum obire; in quibus sæpe non de facto, sed de æquitate ac jure certetur: jactare se in causis centumviralibus, in quibus usucapionum, tutelarum, gentilitatum, agnationum, alluvionum, circumluvionum, nexorum, mancipiorum, parietum, luminum, stillicidiorum, testamentorum ruptorum, ceterarumque rerum innumerabilium jura versentur, cum omnino quid suum, quid alienum, quare denique civis, an peregrinus, servus, an liber quispiam sit, ignoret, insignis est impudentiæ.' Ubi bene, *ruptorum.* Nam Quintil. v. 2. 'Ut de rescissis patrum testamentis, vel contra filios confirmatis.'

Causæ centumvirales] Hoc in judicio licentiam juvenum describit, et impudentiam auditorum temere plaudentium. Nam plausum tunc pretio et mercede redimebant, ac prout opulenti, ita et diserti erant. Plin. Epist. II. 14. 'Sunt perpauci, quibuscum juvat dicere [apud centumviros.] Ceteri audaces, atque etiam magna ex parte adolescentuli obscuri, ad declamandum huc transeunt, tam irreverenter et temere, ut mihi Attilius noster expresse dixisse videatur, sic in foro pueros a centumviralibus causis auspicari, ut ab Homero in scholis. Nam hic quoque, ut illic, primum cœpit esse, quod maximum est. At Hercule ante memoriam meam, (ita majores natu solebant dicere,) ne nobilissimis quidem adolescentibus locus erat, nisi aliquo consulari producente; tanta veneratione pulcherrimum opus colebatur. Nunc refractis pudoris et reverentiæ claustris, omnia patent omnibus. Nec inducuntur, sed irrumpunt. Sequuntur auditores, actoribus similes, conducti et redemti mancipes. Convenitur in media Basilica; ubi tam palam sportulæ, quam in triclinio dantur. Ex judicio in judicium pari mercede transitur. Inde jam non inurbane σοφοκλεῖς vocantur; iisdem Latinum nomen impositum est, laudicæni; et tamen crescit indies fœditas utraque lingua notata. Heri duo nomenclatores mei, (habent sane ætatem eorum, qui nuper togas sumserunt,) ternis denariis ad laudandum trahebantur: tanti constat, ut sis disertissimus. Hoc pretio quamlibet numerosa subsellia implentur. Hoc ingens corona colligitur. Hoc infiniti clamores commoventur, cum μεσόχορος, [qui medius in choro est,] dedit signum (opus est enim signo apud non intelligentes ne audientes quidem) nam plerique non audiunt, nec ulli magis laudant .... scito eum pessime dicere qui laudabitur maxime.'

habitæ, postquam longa temporum quies et continuum populi otium et assidua Senatus tranquillitas et maximi Principis disciplina ipsam quoque eloquentiam, sicut omnia alia, pacaverat?

39. Parvum et ridiculum fortasse videbitur,[1] quod dicturus sum, dicam tamen, vel ideo, ut rideatur. Quantum humilitatis putamus eloquentiæ attulisse pænulas istas, quibus astricti et velut inclusi cum judicibus fabulamur?[n]

1 Male libri editi *videtur:* ut jam monuere Ursinus, Muretus, et Acidalius;

NOTÆ

[n] *Pænulas istas, quibus astricti et velut inclusi cum judicibus fabulamur*] Pænulas hic dat oratoribus: at Fabius l. XI. c. 3. non nisi togæ meminit; ex quo vir doctus efficit, Fabium hujus dialogi auctorem non esse. Sed cum hic sexto Vespasiani anno hos introducat loquentes, et se huic sermoni interfuisse dicat, non alios mores, quam qui Quintiliani ævo viguerunt, hic debuit describere.

Quid ergo dicemus? Quemadmodum Messala hic causas corruptæ ejus ævi eloquentiæ recensens, vitiaque exagitans, *pænularum* tantum meminit, quas improbat; *non* togæ, quam *probat*: sic Fabium, non tam *quid* fiat interdum, quam quid fieri debeat, docentem, togarum solarum facere mentionem. Nam utrisque pro re et loco usos ejus temporis patronos, ex his locis colligitur.

Nisi si aliquis velit a Domitiano reductas togas, cum ante pænulæ in forum irrupissent. Fabius: 'Est aliquid in amictu, quod ipsum aliquatenus temporum conditione mutatum est. Nam veteribus nulli sinus: perquam breves post illos fuerunt. Itaque etiam gestu necesse est usos esse, in principiis eos alio, quorum brachium sicut Græcorum, veste continebatur: sed nos de præsentibus loquimur.' *Schelius.* Non malos mores omnes arguit Fabius, sed bonos novo oratori præcipit. In dialogo loquitur in utramque partem. An institutiones orat. quæ graves et maturæ ac concisæ, ea omnia referant, quæ dialogus, passis eloquentiæ velis, et ex sententia veterum oratorum profert?

Pænulas istas, quibus astricti] Plin. Epist. II. 19. 'Neque .... me præterit, actiones, quæ recitantur, impetum omnem, caloremque, ac prope nomen suum perdere, ut quæ soleant commendare simul et accendere judicum consessus, celebritas advocatorum, expectatio eventus, fama non unius actoris, diductumque in partes audientium studium: ad hoc dicentis gestus, incessus, discursus etiam, omnibusque motibus animi consentaneus vigor corporis. Unde accidit, ut qui sedentes agunt, quamvis illis maxima ex parte supersint eadem illa quæ stantibus, tamen hoc, quod sedent, [quanto magis pænulis inclusi!] quasi debilitentur, et deprimantur. Recitantium vero, præcipua pronuntiationis adjumenta, oculi, manus præpediuntur. Quo minus mirum est, si auditorum intentio languescit, nullis extrinsecus aut blandimentis capta, aut aculeis excitata.'

Pænulas] *Pænulas* hic memorat; at

quantum virium detraxisse orationi auditoria et tabularia credimus, in quibus jam fere plurimæ causæ explicantur? Nam, quomodo nobiles equos cursus et spatia[2] probant; sic est aliquis[3] oratorum campus, per quem nisi liberi et soluti ferantur, debilitatur ac frangitur eloquentia. Ipsam quin immo curam, et diligentis[4] styli anxietatem contrariam experimur: quia sæpe interrogat judex, 'quando incipias,'[o] et ex interrogatione ejus incipiendum est. Frequenter probationibus[p] et testibus silentium patronis[5] indicit: unus inter hæc dicenti ac[6] alter assistit, et res velut in solitudine agitur. Oratori autem clamore plausuque opus est, et velut quodam theatro; qualia quotidie antiquis oratoribus contingebant, cum tot pariter ac tam nobiles forum coarctarent, cum clientelæ quoque et tribus et[7] municipiorum legationes

resque ipsa suadet. *Brotier.* Gronovius et Ryckius *videtur.*—2 Quidam apud Schurzfl. *et stadia.*—3 Sic Lipsius emendavit. Ed. pr. *sic alius.* Puteol. Alciat. Rhenan. *sic latus orat., &c.*—4 Sic Mss. Vatic. In Ed. pr. *deligens.* Unde Puteolanus emendavit *diligentem:* quem sequitur Gronovius et Ryckius.—5 Morabin in vers. Gall. legit *patrono indicit:* De la Monnoye *patronis.* Rejicit Brotier. conjecturam, putatque *patronum,* quasi causa satis cognita, judicibus non refragantibus, silentium indixisse probationibus ac testibus. Verum auctor mihi videtur id agere, ut ostendat, quo modo actionis cura porro turbaretur a judice. Fiebat hoc, dum probationes et testes afferri peteret, priusquam pergerent patroni. Lego itaque *patronis* et verbum refero ad *judicem.* Schulze consentit, sed legit *patrono indicitur.* Oberl. Ryckius, Gronov. et Brot. cum Bipont. *patronus.*—6 Brotierus mavult *aut alt.*—7 Sic

NOTÆ

Quintil. *togam.* Sed hic Maternus in rem suam libere et oratorie concionatur. Deprimit hic Fabius judicia et causas et causidicos sui ævi; at in institutionibus orat. juvenem oratorem docet, præparat, exornat. Forte patroni, qui nondum per ætatem senatorii erant, pænulis induti, sic fabulabantur apud judices; at non senatores, quibus in foro, non nisi togatos versari, et agere causas licuit.

[o] *Quando incipias*] Forte, *quando incipis:* quando ingrederis causam; cum incepturus es, aut cum incipis agere, tum interrogat Judex de aliqua re, quæ ad causam pertinet, et tum ab ista re incipit patronus: quod invertit totam meditationem oratoris et diligentiam; et hoc styli anxietati maxime contrarium. Et quid tum prosit diligentia, cum totus ordo concionis perturbatur? Sic jubet sæpe judex ut a re incipias, teste Fabio in instit. IV. 1. *Aliquando tamen uti, nec si velimus* (prooemio) *licet, cum judex occupatus, cum angusta sunt tempora, cum major potestas ab ipsa re cogit incipere.*

[p] *Probationibus*] Sæpe probationes et testes silere jubet patronus; ut scil. rationibus et eloquentiæ vi testimonia hæc confirmet, aut infirmet et refellat. Num potius silentium indicit patronus, ut sit spatium, quo audiat judex probationes et testes?

ac partes[8] Italiæ periclitantibus assisterent:[9] cum in plerisque[q] judiciis crederet Populus Romanus sua interesse, quid judicaretur. Satis constat, C. Cornelium et M. Scaurum et T. Milonem et L. Bestiam et P. Vatinium concursu totius civitatis et accusatos et defensos; ut frigidissimos quoque oratores ipsa certantis populi studia excitare et incendere potuerint. Itaque, Hercule, ejusmodi libri extant, ut ipsi quoque, qui egerunt, non aliis magis orationibus censeantur.

40. Jam vero conciones assiduæ et datum jus[1] potentissimum quemque vexandi atque ipsa inimicitiarum gloria, cum se plurimi disertorum ne a P. quidem Scipione, aut Sylla, aut Cn. Pompeio, abstinerent,[2] et ad incessendos[3] principes viros, ut est natura invidiæ, populi quoque[4][b] arrectioribus[5] auribus uterentur, quantum ardorem ingeniis, quas oratoribus faces admovebant! Non[6] de otiosa et quieta re loquimur, et quæ probitate et modestia gaudeat: sed est

[b] *Ut Populi Rom. auribus histriones etiam uterentur, aut potius abuterentur.*

Rhen. deleta copula ante *legationes:* Brotierus e Mss. Vatic dedit *municip. etiam legation.* deleto *et* omnino.—8 Ita Puteolanus ex ed. pr. emendavit. At Mss. Vatic. quos sequitur Brotierus, dant *pars.*—9 Brotierus *assisteret.*

1 Ita Mss. Vatic. et recte quidem. Male libri editi, *datum jus quoque;* [et sic Gronov. et Ryck.] Frustra tentabat Gronovius, *cuique.* Brotier.—2 Sic optime Mss. Vatic. Sic quoque volebat Acidalius. Male veteres editiones, *abstinuerunt:* recentes, *abstinuerint.* Idem. Gronov. et Ryck. *abstinuerint.*—3 Sic bene Lipsius. Edd. vett. *incendendos.* Oberl.—4 Brotierus scribit *etiam* pro *quoque,* quod in Mss. Vatic. et editione principe *populi et;* facili librariorum errore, ut putat, qui *et* pro *etiam* sæpe scribebant. Puteolanus emendavit, *populi quoque.*—5 Bipont. conjectant *histricis auribus.* Heumann. recte sensit, histrionibus non esse hic locum, deditque *arrectioribus,* quod recipiendum censeo. Sic Virg. Æn. I. 156. *arrectisque auribus astant.* Recepit et Schulzius, cui in mentem venerat *intentioribus.* Oberl. Vulgo *histriones.*—6 Mur. malit *non enim de:* et mox delet *sed.* Heumann. lacunam hic suspicatur et legit *Nos de otiosa:* putat autem, hic excidisse finem orationis Messalæ et exordium orationis Materni. Sed bene monet Schulze, sermonem Materni hunc esse et continuari, et de-

NOTÆ

[q] *In plerisque*] In judiciis scil. quæ ad Rempub. aut ad exemplum spectarent. Si princeps judiciorum satagit, quidni et populus Rom. rerum dominus?

magna ista[7] et notabilis eloquentia, alumna licentiæ, quam stulti *libertatem* vocabant,[8] comes[9][r] seditionum, effrænati populi incitamentum, sine obsequio, sine servitute,[10][s] contumax, temeraria, arrogans, quæ in bene constitutis civitatibus[t] non oritur. Quem enim oratorem Lacedæmonium,[u] quem Cretensem[v] accepimus?[11] quarum civitatum severissima disciplina et severissimæ[12] leges traduntur. Ne[13] Macedonum quidem ac Persarum, ac[14] ullius gentis, quæ certo imperio contenta fuerit, eloquentiam novimus; Rhodii[w]

fectum supra c. 35. esse quærendum. *Oberl.*—7 Sic omnes, præter Brotier. qui dat ex Mss. Vatic. *illa.*—8 Heumann. *vocant.*—9 Acid. mavult *fomes*, ut respondeat τῷ *incitamentum*, sed si ad *alumnam* respicias, bene habere *comes*, idem notat. *Oberl.*—10 Sic editi veteres et recte quidem. Male alii dabant *sine severitate*. Male Heumann. etiam ea verba delet et jungit *sine obsequio contumax*. Idem.—11 Sic Lipsius: prius erat *accipimus*.—12 Schelius mallet *sanctissimæ*.—13 Ita recte Ernestus. Male antea *nec:* [et sic Gronov. et Ryck.] *Brotier.*—14 Sic libri editi. Brotier. cum Ernesto, ex Mss. Vatic.

NOTÆ

[r] *Comes*] Alii, *fomes:* sed non dicit hic, quid faciat eloquentia, sed qui et unde *oriatur*. Primo *comes*, dein et *fomes* seditionum esse potuit.

[s] *Servitute*] Alias, *severitate*. Recte, *servitute:* nam *obsequium* et *servitus* differunt tantum secundum magis et minus.

[t] *Quæ in bene constitutis civitatibus*] Cicero Bruto: 'Pacis est comes otiique socia, et jam bene constitutæ civitatis quasi alumna quædam eloquentia.'

[u] *Quem .... Lacedæmonium*] Cicero Bruto: 'Hoc autem studium non erat commune Græciæ, sed proprium Athenarum. Quis enim aut Argivum oratorem, aut Corinthium, aut Thebanum, scit fuisse temporibus illis? Nisi quid de Epaminonda, docto homine, suspicari libet. Lacedæmonium vero usque ad hoc tempus audivi fuisse neminem.'

Quintil. l. III. c. 8. 'Minus Lacedæmone studia literarum, quam Athenis, honoris merebuntur: plus patientia, fortitudo.'

Lacedæmonium] Lacedæmon, urbs Laconiæ tractus, in Peloponneso provincia Græciæ: hodie ruinæ visuntur prope *Misitram* urbem Tzaconiæ tractus, in Morea provincia præfecturæ Romeliæ, sub Turcico imperio Europæo. *Tillemonius.*

[v] *Cretensem*] Creta insula maris Mediterranei, ad orientem et meridiem Græciæ regionis: hodie *Candie* in Turcico imperio Europæo, &c. *Tillemonius.*

[w] *Rhodii*] Rhodus, una insularum Sporadum prope Asiam minorem: hodie *Rhodes* contra oram Natoliæ, sub præfecto Maris vel Insularum, in Turcico imperio Asiatico. *Tillemon.*

Rhodii quidam] Quintil. XII. 12. Præter genus dicendi Atticum et Asianum, 'tertium adjecerunt genus, Rhodium: quod velut medium esse, atque ex utroque mistum volunt. Neque enim Attice pressi, neque Asiane sunt abundantes, ut aliquid habere videantur gentis, aliquid auc-

quidam, Athenienses[15] plurimi, oratores extiterunt, apud quos omnia populus, omnia imperiti, omnia, ut sic dixerim, omnes poterant. Nostra quoque civitas, donec erravit,[16 x] donec se partibus et dissensionibus et discordiis confecit, donec nulla fuit in foro pax, nulla in Senatu concordia, nulla in judiciis moderatio,[17] nulla superiorum reverentia, nullus Magistratuum modus, tulit sine dubio valentiorem eloquentiam; sicuti indomitus ager habet quasdam herbas lætiores. Sed nec tanti[18 y] Reipublicæ Gracchorum eloquentia fuit, ut pateretur et leges: nec bonæ formam[19] eloquentiæ[z] Cicero tali[20] exitu pensavit.

dedit *aut.*—15 Brotier. habet *plurim. Athen.* idque putat melius quam vulg. —16 Rhenan. conjiciebat *certavit.*—17 Hæc *nulla in Senatu concordia, nulla in judiciis moderatio*, Lipsius e Ms. addidit.—18 In Mss. Vatic. *nec tuta.* Veteres editiones, *nec tuta resp.*—19 Ita libri omnes editi. Muretus mallet, *famam. Formam* probo propter vim et elegantiam. Potius emendaverim, *bene* pro *bonæ.* Favet Ms. Vatic. 1862. in quo quidem scriptum, *bonæ*, sed supra scriptum, *bene.* Brotier.—20 Frustra Ernestus tentat, *pari exitu.* Idem.

NOTÆ

toris. Æschines enim, qui hunc exilio delegerat locum, intulit eo studia Athenarum, quæ, velut sata quædam cœlo terraque degenerant, saporem illum Atticum peregrino miscuerunt. Lenti ergo quidem ac remissi, non sine pondere tamen; neque fontibus puris, neque torrentibus turbidis, sed lenibus stagnis similes habentur. Nemo igitur dubitaverit longe esse optimum genus Atticorum. In quo ut est aliquid inter ipsos commune, id est, judicium acre, tersumque; ita ingeniorum plurimæ formæ.'

[x] *Erravit*] Hoc est fluctuavit, ni malis, *certavit.* Rhenanus.

[y] *Sed nec tanti*] *Nec tanti* momenti Reipub. fuit eloquentia Gracchorum, ut ideo ipsa vellet, deberet, aut posset etiam pati ipsorum leges: sic Fabius l. VII. 'an etiam [reus] tanti putaverit pœnam subire.' i. e. an tanti momenti rem esse putaverit, ut ideo pœnam subire vellet.

[z] *Bonæ formam eloquentiæ*] Muretus, *famam.* Ego nihil muto. *Bonam eloquentiam* dicit salubrem et publice utilem. Qualem fuisse Ciceroni, notum est, et astipulatur Cremutius Cordus apud M. Senecam, qui rostra eum ait coluisse piis concionibus.

Pensare exitu eloquentiam, est parem eloquentiæ exitum nancisci. Potuisset dicere: Nec Respublica eloquentiam Gracchorum legibus eorundem bene pensavit: nec Ciceroni tanti fuit salubrior eloquentia, ut ob eam talem exitum faceret.

Sane τὸ *famam* adderet aliquid sententiæ, ut non modo utilitatibus, sed etiam gloria et magnitudine ejus præferretur Gracchis. Potest tamen retineri *formam*, ut sit idem quod genus dicendi.

Melius scil. fuisset Reipublicæ, Gracchos non fuisse disertos, quam facundia ad seditiosas leges ferendas uti; et melius Ciceroni, quamvis salubris eloquentiæ genere vel fama caruisse, quam propter illam sic per-

41. Sic quoque,[a] quod superest antiqui[1] oratoribus, forum non emendatæ,[2] nec usque ad votum[b] compositæ, civitatis argumentum est. Quis enim[3] nos advocat, nisi aut nocens aut miser? quod municipium in civitatem[4][c] nostram venit, nisi quod aut vicinus populus, aut domestica discordia, agitat? quam provinciam tuemur, nisi spoliatam vexatamque? Atqui melius fuisset non queri,[5][d] quam vindi-

1 Edd. dant *quod super. antiquis orat.* Sic Gronov. Ryck. et Bipont. Gronovius emendabat *antiqui.* Ego malim excidisse *ex* per finalem syllabam præcedentis verbi. Idque etiam in textu dedit Broterius. *Ernest.*—2 Sic bene Lipsius. Perperam in veteribus editionibus, *emendare.* Brotier. Sic Gronov. et Ryck.—3 Sic optime Ms. Farnes. ut recte vidit Lipsius. Pessime libri editi, *argumentum est quidem: quod nemo nos:* [quod dant Gronov. et Ryckius.] *Brotier.*—4 Pithœus, *in clientelam nostram.*—5 Mallet Muretus *non*

NOTÆ

ire. *Gronovius.*

Nec bonæ] Forte, *nec bene famam eloquentiæ Cicero tali exitu pensavit.* Forte: Nec tanti fuit bonæ forma eloquentiæ, quam Cicero reperit, ut tali exitu eam pensaret oratorum princeps. Forte: Nec formæ tam egregiæ eloquentiæ Cicero parem vicem sortitus: tali eloquentia non dignum exitum habuit, non tanti fuit id genus dicendi, licet perfectissimum, ut illud tam fatali exitu pensaret orator.

[a] *Sic quoque*] Forte, *supererat:* quod igitur abundabat antiquis oratoribus, excitabatque mire facundiam ipsorum, *forum* scil. *non emendatæ, nec usquam ad votum compositæ civitatis,* certum ideo *argumentum* est, quod nemo nunc etiam nos advocat, nisi nocens aut miser.

Vel quod superest et abundat antiquis oratoribus, forum scil. idipsum, *non emendatæ, nec usquam ad votum,* et ut *pacis interfuit,* compositæ civitatis argumentum est. *Quis enim nos advocat, &c.* Sed certe nunquam talia satis instaurabimus, quicquid efficiamus et enitamur.

[b] *Non emendare nec usquam ad votum*] Scribam: *non emendatæ, nec usque ad.* Sequentia etiam in libro Farnes. *Argumentum est. Quis enim nos advocat, nisi, &c.* Lipsius.

Sic lego: *Nec antiquis oratoribus bonæ formam eloquentiæ, &c. superest forum non emendatæ, nec usque quaque ad votum compositæ civitatis argumentum est. Quid enim? quod nemo nos advocat, &c.* Quid si tamen legas? *Nec antiquis oratoribus bonæ forma eloquentiæ* (scil. tanti fuit) *quam Cicero tali exitu pensavit.* Quamvis sensus tale quid requirit: *ut quo Cicero, tali eam exitu pensarent.* Acidal.

Scribe: *Sic quoque quod superest antiqui oratoribus, forum, non emendatæ, nec usque ad votum compositæ civitatis argumentum est.* Nempe conciones sustulerant Cæsares: una ratio ex tot apud antiquos occasionibus ostentandi ingenii et eloquentiæ exercendæ relicta erat, forum et causarum patrocinia. Hoc antiqui solum oratoribus supererat. Livius lib. XXXIV. 'Quod maturi erat circa, demessum et convectum est.' *Gronovius.*

[c] *In civitatem*] Alii, *in clientelam,*

cari.[6] Quod si inveniretur aliqua civitas, in qua nemo peccaret, supervacuus esset inter innocentes orator, sicut inter sanos medicus. Quo modo tamen[7] minimum usus, minimumque profectus ars medentis habet in his gentibus, quæ firmissima valetudine ac saluberrimis corporibus utuntur: sic minor oratorum[8] obscuriorque gloria est inter bonos mores, et in obsequium regentis paratos. Quid enim opus est longis in Senatu sententiis, cum optimi[9] cito consentiant?[e] Quid multis apud populum concionibus, cum de Republica non imperiti et multi deliberent, sed sapientissimus et unus?[f] Quid voluntariis accusationibus,[g] cum tam raro et tam parce peccetur? Quid invidiosis[h] et excedenti-

fieri. Sed *queri* non displicet. *Brotier.*—6 Ita Lipsius et recentiores. In veteribus edd. *judicari.*—7 Heumann. *enim* pro *tamen.*—8 Mss. Vatic. et edd. vett. addunt *horum.* Rhenan. bene sustulit. *Oberl.*—9 Frustra tentat Lipsius *cum optimis.* Rodolphus Agricola *cum optima cito censeantur.* Brotier.

NOTÆ

quæ forte explicatio fuit horum: *in civitatem:* non enim venere socii aut externi *in civitatem,* nisi ut se clientelæ patrum assererent.

[d] *Non queri*] Non queri, scil. quod spoliati essent: melius certe fuisset, neque spoliari, neque queri, quam eloquentiæ telis vindicari. Hoc fatemur. Sed id necessarium, quia nulla civitas est, in qua non peccetur supervacua certe eloquentia inter insontes; et ubi nemo peccat, nemo vindicari eget.

[e] *Cum optima cito consentiant*] Alii legunt, *optimi.* Recte *optima:* sic passim Quintilianus. Vide proœmium l. VIII. 'Optima rebus cohærent;' et statim, 'optima minime accersita.'

A fine libelli, ut cuivis videre est, multa desunt, atque adeo præcipua dissertationis pars. Sed mihi, cum Deo, pausa hic et finis: cui gratia et gloria in æternum. *Lipsius.*

[f] *Unus*] Qui scilicet rerum dominus sit; vulgus impar curis publicis propter magnitudinem curarum, et ob multitudinem et inscitiam regendi, *unus,* qui sit *sapientissimus* par tantæ moli. Forte palpat hic Domitianum, ut solet in institutionibus orat.

[g] *Voluntariis accusationibus*] Sponte subire accusationes, turpe et criminosum; et sæpe nocentior, qui accusaret et vindicaret scelus, quam qui commisisset. Concessum id in Reipub. salutem, non in perniciem. Dabat quandoque senatus patronos, qui accusarent; sæpe et princeps imperabat; eligebat et senatus ex suis, qui defensionem reorum susciperent. Sed turpe talia subiisse ultro. Plin. Epist. III. 7. de Silio Italico: 'Læserat famam suam sub Nerone, credebatur sponte accusasse.' Exin patet apud Tac. Hist. l. IV. ubi de Regulo, delendum esse τὸ ex *S. C.*

[h] *Invidiosis*] Forte ex magno paratu et nimia ostentatione eloquentiæ; forte et ex magna fama talium præliorum et victoriæ. Ut quis defen-

bus modum defensionibus, cum clementia cognoscentis obviam periclitantibus eat? Credite, optimi, et in quantum opus est, disertissimi viri, si aut vos prioribus sæculis, aut isti, quos miramur, his nati essent, ac Deus aliquis vitas vestras,[10] vestra tempora, repente mutasset, nec vobis summa illa laus et gloria in eloquentia, neque illis[11] [1] modus et temperamentum,[12] defuisset. Nunc, quoniam nemo eodem tempore assequi potest magnam famam et magnam quietem, bono[13] sæculi sui quisque, citra obtrectationem alterius, utatur.

42. Finierat Maternus. Tum Messala: Erant, quibus contradicerem; erant, de quibus plura dici vellem, nisi jam dies esset exactus. Fiet, inquit Maternus, postea arbitratu tuo, et si qua tibi obscura in hoc meo sermone visa sunt, de his rursus conferemus. Ac simul assurgens et Aprum complexus, Ego, inquit, te poëtis; Messala, antiquariis,[1] criminabimur. At[2] ego vos rhetoribus et scholasticis, inquit.

Cum arrisissent, discessimus.

—10 *Vestras* deest in ed. vet. Rhenanus adjecit.—11 Idem dedit *neque illis:* prius erat *neque illos.*—12 Ad *temperamentum* addit Acid. *in turbis vel certaminibus.*—13 Ita Mss. Vatic. Corrupte in vett. edd. *hujus sæculi sui.* Inde postea emendatum *bonis sæculi sui.* Brotier.

1 Vetus liber Pithœi *cum antiquariis.*—2 Schurzfl. *At Aper* vel *At ille, Ego.* Non opus. *Oberl.*

NOTÆ

datur amplissime, debent accusatores lacessi, oppugnari, repelli: debent refundi probra, convicia, flagitia in ipsos accusantes; in subscribentes, in propinquos, in testes, in amicos partis alterius: quod sine magna mole offensionum fieri non potuit. Unde invidia forte sæpe mota in ipsos dominantes, in libertos Cæsaris, in magistros dominationis, in primores civitatis; unde inimicitiæ perpetuæ, pericula, exilia, fugæ, &c.

[1] *Neque illis*] *Neque illis modus* in eloquentia *et temperamentum defuisset,* quod nunc requiritur nostris temporibus, cum jam pacata sint omnia, uno imperante, ac pacis intersit *modum* habere. At quia nemo nunc potest assequi simul et magnam eloquentiæ famam, et magnam in civitate quietem, jam prudentissimus quisque sæculi sui bonis et commodis, citra obtrectationem alterius ætatis, uti debet.

NOTÆ

Ibi jam tempus finem notis imponendi cum Deo, cui gloria æterna et infinita sit, nisi adhuc discutienda quæstio videretur, an vere Fabii sit hic dialogus. Quare et hic nonnulla addemus, ex quibus clare et evidenter constabit esse verum genuinum et germanum opus Quintiliani. Nam certe voces simplices eædem passim toto hoc libro leguntur ita familiares et propriæ hujus auctoris, ut vix in alio ullo reperiantur, ut *signatio*, *signasse*, *utique*, *intellectus*, *sensus*, *profectus*, *offensa*, *&c.* Ita ut ipsæ pro compositis sæpe usurpentur, quod ipsi proprium. Unum forte est quod repugnet, aut certe repugnare videatur genio illius auctoris, nempe hilarior et exultantior sermo, et tot voces synonymæ, quasi simul congestæ ac præter modum affluentes. Sed causa hinc est, quod Fabius juvenis adhuc dialogum hunc composuerit, et quia tum præcipue Tullium eloquentiæ principem et summum dicendi magistrum æmulari, referre, et velut exscribere gestiret. Et certe sic multus passim Cicero in synonymis cumulandis. Sic Epist. ad fam. IX. 23. ‘Constitui ad te venire, ut et viderem te, et viserem.’ Pro domo 27. ‘Qui meæ saluti opem et auxilium tulisset.’ Et de orat. ‘Neque vero nobis cupientibus atque exoptantibus fructus otii datus est.’ Ibid. ‘Jam vero consilio ac sapientia qui regere ac gubernare Rempub. possent,’ &c. Lib. IV. in Verrem: ‘Quas illorum querimonias nolite..aspernari, nolite contemnere ac negligere.’ Philipp. 5. ‘Majores nostri, veteres illi, admodum antiqui leges annales non habebant.’ De Univ. 34. ‘Credendum nimirum est veteribus et priscis ...viris.’ Epist. II. 21. ‘Hanc ipsam recentem novam devoravit.’ Pro Flacco 13. ‘Lege hac recenti et nova.’ Fam. I. 9. ‘Rerum denique omnium socium comitemque habebis.’ Sic et alibi passim. Sic ergò Ciceronem æmulabatur Fabius in Dialogo. Junior autem scripsit dialogum, ipsomet teste, cum scil. quinquennem filium amisit. Forte ipse tum attigerat 25. aut trigesimum ætatis annum: quare profluentior hic sermo, et quasi passim luxuriatur. Quod non mirum in juvene excellentioris indolis ac spei. Ipseque Fabius id testatur, et approbat in se et in aliis. Sic ille l. XI. 1. ‘Ipsum etiam eloquentiæ genus alios aliud decet. Nam neque tam plenum et erectum et audax et præcultum senibus convenerit, quam pressum et mite et limatum, et quale intelligi vult Cicero, cum dicit orationem suam cœpisse canescere: sicut vestibus quoque non purpura coccoque fulgentibus illa ætas satis apta sit. In juvenibus etiam uberiora paulo, et pæne periclitantia feruntur.’ Sic et l. XII. 1. de Tullio: ‘Quanquam enim stetisse ipsum in fastigio eloquentiæ fateor, ac vix quid adjici potuerit, invenio, fortasse inventurus, quid adhuc abscissurum putem fuisse, (nam fere sic docti judicaverunt, plurimum in eo virtutum, nonnihil fuisse vitiorum: et se ipse multa ex illa juvenili abundantia coërcuisse testatur;) tamen quando nec sapientis sibi nomen, minime sui contemtor, asseruit, et melius dicere certe data longiore vita et ætate ad componendum securiore potuisset,’ &c. At cum Fabius composuit institutiones oratorias, ex quibus genium ejus dignoscere et comparare cum dialogo constituimus, jam senior fuit, jam gravior, jam maturus annis, et tum par etiam oratio ejus seu præceptio fuit. Præterea longe alia ratio est elegantissimæ orationis, qua loquentes inducuntur celeberrimi hu-

NOTÆ

jus ævi oratores, et quidem 'iisdem ipsorum numeris et rationibus,' ut ipse testatur auctor, longe, inquam, alia ratio est dialogi et institutionum orator. quæ tantum præcipiunt regulas quasdam, aut certe placita ac præcepta magistrorum artis referunt; in quibus, scil. nec liberrime spatiari juvat, aut decet, ubi scil. nulla perpetua oratio, et ubi quo brevior regula fuerit, modo perspicua sit, eo melior est. Sic igitur institutiones nihil fere eloquentiæ Fabianæ præferunt, aut certe pauca admodum et exempla hæc sæpius ex antiquis oratoribus et magistris desumta, non ex ipso Fabii ingenio. Habemus tantum quædam ipsius procemia et loca nonnulla, quæ certe nitorem et facundam illius nobis exhibent, sed non plene, neque satis abunde, ut similitudo dialogi penitus inclarescat. At si haberemus quasdam orationes ejus continuas, ut eam quam priorem emisit, et quam apud reginam Berenicem habuit in sua causa; si haberemus etiam totum et integrum Dialogum, res longe clarius innotesceret. Sed hunc misere discerptum ac semilacerum, præcipue circa finem, nobis incuriosi antiqui reliquerunt: quod auget difficultatem judicii.

Attamen, si profluentiam illam sermonis excipias, quæ in dialogo elucet magis, re attente et sedulo perspecta, omnia similia, germana, paria; aut certe vel eadem reperies in instit. oratoriis et in dialogo isto. Ratio, ordo, modus, methodus, probationes, comparationes, similitudines, argumenta, exempla, omnia similia, aut certe eadem fere quandoque ad verbum exscripta. Comparationes et similitudines fere desumtæ ex musica, ex medicina, ex habitu corporis, ex ludo gladiatorum aut certaminibus athletarum, per comparationem scilicet cum umbratilibus declamatorum, aut veris oratorum præliis; etiam et ex spatiis et cursu equorum nobilium, aut etiam ex pictura et statuaria antiqua et nova, aut vel ex ipsa agricultura et œconomica: ex quibus facile similitudo ingenii et auctoris colligitur.

Eadem est ratio utroque libro; idem est ordo disputandi in dialogo, et præcipiendi in institutionibus oratoriis, et informandi juvenem, ut perfectus evadat orator. Nec potuit orator afferre causas corruptæ eloquentiæ, quin multa simul argueret in juvenibus, in parentibus, in magistris ipsis, et scholis declamationum, quin multa præcepta artis exhiberet, referret, et quasi instauraret, quæ scilicet jam coætanei ejus corruperant, ut et ipsam eloquentiam.

Igitur in Dialogo, c. 28. quærere incipit causas corruptæ eloquentiæ, et jam inde ab ortu et a cunis ipsis corruptos pueros urbanis vitiis ostendit. 'Quis enim,' inquit, 'ignorat et eloquentiam et ceteras artes descivisse ab ista vetere gloria, non inopia hominum, sed desidia juventutis, et negligentia parentum, et inscientia præcipientium..quæ mala primum in urbe nata, &c. Ego de urbe et his propriis ac vernaculis vitiis loquar, quæ natos statim excipiunt, et per singulos ætatis gradus cumulantur.' Et c. 29. 'Nunc natus infans delegatur Græculæ alicui ancillæ, cui adjungitur unus alter ex omnibus servis plerumque vilissimus...Jam vero propria et peculiaria hujus urbis vitia pæne in utero matris concipi mihi videntur, histrionalis favor, et gladiatorum equorumque studia..Transeo prima discentium elementa, [intelligit primas literas et pronuntiationem] in quibus et ipsis parum elaboratur, nec in auctoribus cognoscendis, nec

NOTÆ

in evolvenda antiquitate,' &c. Dein per gradus ascendit et vitia sigillatim describit. Arguit imperitos fuisse juvenes ceterarum artium, unde profluit et exuberat eloquentia, et sine quibus haberi non potest.

'In libris,' inquit, 'Ciceronis deprehendere licet, non Geometriæ, non Musicæ, non grammaticæ, non denique ullius ingenuæ artis scientiam ei defuisse. Ille dialecticæ subtilitatem ...cognovit. Ita ex multa eruditione, ex pluribus artibus, et omnium rerum scientia exundat et exuberat illa admirabilis eloquentia,' &c. Aliud vitium etiam arguit in juvenibus. 'Hæc sibi illi veteres persuadebant: ad hæc efficienda intelligebant opus esse, non ut Rhetorum scholis declamarent, nec ut fictis, nec ullo modo ad veritatem accedentibus controversiis linguam modo et vocem exercerent; sed ut his artibus pectus implerent,' &c. Infra: 'Ideoque et juris scientiam veteres oratores comprehendebant; et grammatica, musica, et geometria imbuebantur...quod adeo negligitur ab horum temporum disertis, ut in actionibus eorum fæx quoque quotidiani sermonis, fœda ac pudenda vitia deprehendantur,' &c. Hic ergo arguit juvenes, nutrices, parentes, præceptores, et ipsos dicendi magistros, simul et docet quid agere debeant. Ita pariter et in Institutionibus orat. informat juvenem, incipiens a cunis et ipsis nutricibus et mulierculis, aut pædagogis, qui intra domum docebant pueros: dein mox deducit juvenem ad scholam, et in forum, et ad oratorem urbis præstantissimum, quem sæpius adeat, comitetur, &c. Sic igitur ille c. 34. dial. 'Et apud majores nostros juvenis ille, qui foro et eloquentiæ parabatur, imbutus jam domestica disciplina, refertus honestis studiis, deducebatur a patre, vel a propinquis, ad eum oratorem, qui principem locum in civitate tenebat. Hunc sectari, hunc persequi, hujus omnibus dictionibus interesse, sive in judiciis, sive in concionibus assuescebat,' &c. c. 35. 'At nunc adolescentuli nostri deducuntur in scenas scholasticorum, qui rhetores vocantur: deducimur...in scholas, quibus non facile dixerim utrumne locus ipse, an condiscipuli, an genus studiorum plus mali ingeniis afferant. Nam in loco nihil reverentiæ, &c. Controversiæ ...quales per fidem, et quam incredibiliter compositæ! Sequitur autem ut materiæ abhorrenti a veritate [par] declamatio quoque adhibeatur.'

En vitia, en causæ corruptæ eloquentiæ, quas similiter et eodem ordine ac modo arguit et distinguit Fabius in Instit. oratoriis, et quibus remedium affert pro virili parte, informando juvenem, ab ipso ortu, eximiis eloquentiæ præceptis. Quæ similia prorsus ipse leges et agnosces in sequentibus, quæ et ideo excerpsimus ex Fabio, ut clare tandem constet verum ac proprium illud esse Quintiliani decus et opus.

Lege solummodo titulos primi libri Instit. Sic I. tit. 'Quid circa primam pueri institutionem providendum sit, et quemadmodum prima elementa tradenda sint.' Et c. 1. 'Igitur nato filio spem pater de illo primum quam optimam capiat: ita diligentior a principiis fiet...Protinus ut erit parens factus, acrem quam maxime curam spei futuri oratoris impendat. Ante omnia, ne sit vitiosus sermo nutricibus, quas, si fieri posset, sapientes Chrysippus optavit: certe quantum res pateretur, optimas eligi voluit..has primum audiet puer, harum verba effingere imitando conabitur... In parentibus vero quam plurimum esse eruditionis optaverim. Verum

NOTÆ

nec de patribus tantum loquor. Nam Gracchorum eloquentiæ multum contulisse accepimus Corneliam matrem, cujus doctissimus sermo in posteros quoque est translatus...de pueris, inter quos educabitur ille huic spei destinatus, idem quod de nutricibus dictum sit. De pædagogis hoc amplius, ut aut sint eruditi plane, quam primam esse curam velim...Nec minus error eorum nocet moribus,' &c. Etiam I. 2. 'Si bona ipsius (pueri) indoles, si non cæca ac sopita parentum socordia est, et præceptorem eligere sanctissimum quemque (cujus rei præcipua prudentibus cura est) et disciplinam, quæ maxime severa fuerit, licet: et nihilominus amicum, gravem virum, aut fidelem libertum lateri filii sui adjungere: cujus assiduus comitatus etiam illos meliores faciat, qui timebuntur...Utinam liberorum nostrorum mores non ipsi perderemus. Infantiam statim deliciis solvimus. Mollis illa educatio, quam indulgentiam vocamus, nervos omnes et mentis et corporis frangit. Gaudemus, si quid licentius dixerint. Verba ne Alexandrinis quidem permittenda deliciis risu et osculo excipimus..nostras amicas, nostros concubinos vident: omne convivium obscœnis canticis strepit, pudenda dictu spectantur.' En vitia Urbis. Mox de inscitia præcipientium sic addit XII. 11. 'Omnia enim breviora reddet ordo, et ratio, et modus; sed culpa est in præceptoribus prima, libenter detinentibus puerum; partim cupiditate diutius exigendi mercedulas; partim ambitione, quo difficilius sit, quod pollicentur; partim etiam inscitia tradendi, vel negligentia.' Dein et II. 10. 'Eo quidem res ista culpa docentium recidit, ut inter præcipuas quæ corrumperent eloquentiam, causas, licentia atque inscitia declamantium fuerit.' Quid clarius?

Et tandem post domesticam disciplinam docet, adeundum esse oratorem optimum, et qui principem in civitate locum teneat. Sic autem habet II. 3. Sunt qui 'non continuo tradendos [pueros] eminentissimo cuique [rhetori] credunt, sed apud minores aliquamdiu detinent: tanquam instituendis artibus magis sit apta mediocritas præceptoris.' Infra: 'Quod eos, qui ampliorem dicendi facultatem sunt consecuti, non putant ad minora descendere: idque interim fieri, quia fastidiant præstare hanc inferioribus curam: interim quia omnino non possint. Ego porro eum, qui nolit, in numero præcipientium non habeo: posse autem maxime, si velit, optimum quemque contendo. Primum quod eum, qui eloquentia ceteris præstet, illa quoque, per quæ ad eloquentiam pervenitur, diligentissime percepisse credibile est. Deinde quia plurimum in præcipiendo valet ratio, quæ doctissimo cuique planissima est.'

Inferius: 'Ea causa vel maxima est, cur optimo cuique præceptori sit tradendus puer, quod apud eum discipuli quoque melius instituti, aut dicent, quod inutile non sit imitari, aut si quid erraverint, statim corrigentur: at indoctus ille etiam probabit fortasse vitiosa, et placere audientibus judicio suo coget. Sit ergo tam eloquentia quam moribus præstantissimus, qui ad Phœnicis Homerici exemplum dicere ac facere doceat.' Et XII. 11. 'Frequentabunt vero ejus domum optimi juvenes more veterum, et veram dicendi viam velut ex oraculo petent. Hos ille formabit, quasi eloquentiæ parens, et ut vetus gubernator, littora et portus et quæ tempestatum signa, quid secundis flatibus, quid adversis, ratis poscat, doce-

NOTÆ

bit: non humanitatis solum communi ductus officio, sed amore quodam operis. Nemo enim minui velit id, in quo maximus fuit. Quid porro est honestius, quam docere quod optime scias? Sic se ad Cœlium deductum a patre Cicero profitetur. Sic Pansam, Hirtium, Dolabellam in morem præceptoris exercuit, quotidie dicens audiensque.' Etiam x. 5. 'Quare juvenis, qui rationem inveniendi eloquendique a præceptoribus diligenter acceperit, (quod non est infiniti operis, si docere sciant) et exercitationem quoque modicam fuerit consecutus, oratorem sibi aliquem (quod apud majores fieri solebat) deligat, quem sequatur, quem imitetur, judiciis intersit quamplurimis, et sit certaminis, cui destinatur, frequens spectator; tum causas vel easdem quas agi audierit, stylo et ipse componat, vel etiam alias, veras modo: et utrimque tractet: et quod in gladiatoribus fieri videmus, in rebus actis exerceatur, ut fecisse Brutum diximus pro Milone.' Rursus causas addit cur eligendus optimus sit præceptor II. 4. 'In primis evitandus et in pueris præcipue magister aridus, non minus quam teneris adhuc plantis siccum et sine humore ullo solum. Inde fiunt humiles statim, et velut terram spectantes, qui nihil supra quotidianum sermonem attollere audeant. Macies illis pro sanitate, et judicii loco infirmitas est: et dum satis putant vitiis carere, in idipsum incidunt vitium, quod virtutibus carent.'

Arguit etiam simulque docet multis artibus et scientiis debere instrui juvenem perfectæ eloquentiæ destinatum. Sic igitur habet Quintil. I. 10. 'In Geometria partem fatentur esse utilem teneris ætatibus; agitari namque animos, atque acui ingenia, et celeritatem percipiendi venire inde concedunt: sed prodesse eam non ut ceteras artes, cum perceptæ sint, sed cum discatur, existimant. Id vulgaris opinio est. Nec sine causa summi viri etiam impensam huic scientiæ operam dederunt.'

Idem I. I. 10. 'Quid, inquiunt, ad agendam causam, dicendamve sententiam pertinet scire, quemadmodum in data linea constitui triangula æquis lateribus possint? Aut quo melius vel defendet reum, vel reget consilia, qui citharæ sonos nominibus et spatiis distinxerit?...quibus ego primum hoc respondeo, quod et M. Cicero scripto ad Brutum libro frequentius testatur, non eum a nobis institui oratorem, qui sit, aut fuerit: sed imaginem quandam concepisse nos animo perfecti illius, ex nulla parte cessantis. Nam et sapientem formantes eum, qui sit futurus consummatus undique, et (ut dicunt) mortalis quidam Deus, non modo cognitione cœlestium vel mortalium putant instituendum, sed per quædam parva sane, si ipsa demum æstimes, ducunt, sicut exquisitas interim ambiguitates, &c. Quia illum ne in minimis quidem oporteat falli. Similiter oratorem, qui debet esse sapiens, non Geometres faciet, aut Musicus, quæque his alia subjungam, sed hæ quoque artes, ut sit consummatus, juvabunt.' Sic et de Grammatica, sic de Philosophia, et Juris civilis scientia, et aliis artibus addit, quasi absolute necessariæ sint perfecto oratori.

Sic et inertiam juvenum castigat, et de scenis scholasticorum, et de fictis declamationibus idem sentit et tradit in Institutionibus oratoriis. Sic ergo XII. 11. 'Neque enim aut tam perplexa, aut tam numerosa sunt, quæ premunt, ut non paucorum admodum annorum intentione discantur. Longam enim facit operam, quod repugnamus, &c. Cetera vero,

NOTÆ

etiamsi ætatem nostram non spatio senectutis, sed tempore adolescentiæ metiamur, abunde multos ad discendum annos habent.' Et x. 5. 'Declamationes vero, quales in scholis rhetorum dicuntur, si modo sunt ad veritatem accommodatæ, et orationibus similes, non tantum dum adolescit profectus, sunt utilissimæ, quæ inventionem et dispositionem pariter exercent, sed etiam cum est consummatus, ac jam in foro clarus. Alitur enim atque enitescit velut pabulo lætiore facundia, et assidua contentionum asperitate fatigata renovatur. Quapropter historiæ nonnunquam ubertas in aliqua exercendi styli parte ponenda: et dialogorum libertate gestiendum.....Ideoque mihi videtur M. Tullius tantum intulisse eloquentiæ lumen, quod in hos quoque studiorum secessus excurrit.' Ex quo loco etiam colligi possit Fabium amasse id genus scribendi, et composuisse dialogum de quo agitur.

Et II. 4. 'Nam fictas ad imitationem fori consiliorumque materias apud Græcos dicere circa Demetrium Phalereum institutum fere constat. An ab ipso id genus exercitationis sit inventum (ut alio quoque libro sum confessus) parum comperi: sed ne ii quidem, qui hoc fortissime affirmant, ullo satis idoneo auctore nituntur. Latinos vero dicendi præceptores extremis L. Crassi temporibus cœpisse, Cicero auctor est,' &c. Quod dicit ibi de *alio libro*, hoc, ut puto, intelligit de dialogo nostro. Sed ea pars libri fatis adversis intercepta est.

Sic autem et laudat magistros artis Hermagoram, Apollodorum, et alios similes; sic et poëtas Heroici carminis, eosdem Tragicos, Satyricos et Lyricos memorat. Sic et historicos, sic et philosophos, et oratores antiquiores utriusque linguæ, etiam et sæculi Augustei, tum et sui ævi; et simile fere discrimen affert judicii illorum oratorum, ac voluntatis, seu compositionis. Sic et de poëtico decore, quem præcipue captabant hoc ævo diserti, tradit. Sic ergo de magistris artis Quint. III. 1. 'Adeo ut Apollodorus contentus solis judicialibus fuerit.' Et infra: 'Præcipue tamen in se converterunt studia Apollodorus Pergamenus, qui præceptor Apolloniæ Cæsaris Augusti fuit, et Theodorus Gadareus,' quem audivit Tiberius Cæsar apud Rhodum. 'Hi diversas opiniones tradiderunt, appellatique inde Apollodorei et Theodorei ...sed Apollodori præcepta magis ex discipulis cognoscas,' &c.

Sic de Hermagora III. 1. 'Fecit deinde velut propriam Hermagoras viam, quam plurimi sunt secuti: cui maxime par atque æmulus videtur Athenæus fuisse.' Sic et de differentia oratorum x. 2. 'Quid tamen nocet, vim Cæsaris, asperitatem Cœlii, diligentiam Pollionis, judicium Calvi quibusdam in locis assumere?' Quid similius dici possit? Vide ergo dial. cap. 25.

Sic autem et de Calamistris Mæcenatis Quintil. l. IX. 4. 'Transgressiones .... etiam compositione vitiosæ, quæ in hoc ipsum petuntur, ut exultent atque lasciviant: quales illæ Mæcenatis, *Sole et aurora rubent plurima. Inter sacra movit aqua fraxinos. Ne exequias quidem unus inter miserrimos viderem meas.* Quod inter hæc pessimum est, quia in re tristi ludit compositio.' Et l. II. 5. 'Atque etiam qui specie capiuntur, vulsis levatisque et inustas comas acu comentibus, et non suo colore nitidis, plus esse formæ putant, quam possit tribuere incorrupta natura: ut pulchritudo corporis venire videatur ex malis moribus.' Vide dial. c. 26.

NOTÆ

Sic et de poëtico decore l. x. 1. 'Plurimum dicit oratori conferre Theophrastus lectionem poëtarum, multique ejus judicium sequuntur: neque id immerito. Namque ab his et in rebus spiritus, et in verbis sublimitas, et in affectibus motus omnis, et in personis decor petitur; præcipueque, velut attrita quotidiano actu forensi ingenia, optime rerum talium blanditia reparantur. Ideoque in hac lectione Cicero requiescendum putat.' Vide dial. c. 20.

Sic autem et de poëtis Græcorum antiquissimis Orpheo, Lino, &c. Quintil. l. I. 10. 'Nam quis ignorat musicen, (ut primum de hac loquar,) tantum jam illis antiquis temporibus, non studii modo, verum etiam venerationis habuisse, ut iidem musici, et vates, et sapientes judicarentur? Mittam alios, Orpheus et Linus: quorum utrumque Diis genitum, alterum vero, quod rudes quoque atque agrestes animos admiratione mulceret, non feras modo, sed saxa etiam sylvasque duxisse, posteritatis memoriæ traditum est. Et Timagenes auctor est, omnium in literis studiorum antiquissimam musicen extitisse: et testimonio sunt clarissimi poëtæ, apud quos inter regalia convivia laudes Heroum ac Deorum ad citharam canebantur.' Sic Dial. c. 12. Sic et de Latinis Tragicis, Accio, Pacuvio, Ovidio, Thyeste, Pomponio, &c. Quint. l. x. 1. 'Tragœdiæ scriptores, Accius atque Pacuvius, clarissimi, gravitate sententiarum, verborum pondere, et auctoritate personarum. Ceterum nitor, et summa in excolendis operibus manus, magis videri potest temporibus, quam ipsis defuisse. Virium tamen Accio plus tribuitur: Pacuvium videri doctiorem, qui esse docti affectant, volunt. Jam Vari Thyestes cuilibet Græcorum comparari potest. Ovidii Medea videtur mihi ostendere, quantum vir ille præstare potuerit, si ingenio suo temperare, quam indulgere maluisset.' Hic unus locus ubi easdem ad verbum voces dialogi repetit, probare ac demonstrare genuinum hunc esse Fabii fœtum possit, etiam si cetera omnia deessent. Vide ergo Dial. c. 13. Etiam Fabius l. x. 1. 'Eorum [Tragœdorum] quos viderim, longe princeps Pomponius Secundus, quem senes parum tragicum putabant, eruditione ac nitore præstare confitebantur.' Vide dial. c. 13.

Sic et de Satyricis Lucilio, Horatio, et Varrone (nondum forte Juvenalis libros emiserat) Quintil. x. 1. 'Satyra quidem tota nostra est; in qua primus insignem laudem adeptus est Lucilius, qui quosdam ita deditos sibi adhuc habet amatores, ut eum non ejusdem modo operis auctoribus, sed omnibus poëtis præferre non dubitent. Ego quantum ab illis, tantum ab Horatio dissentio, qui Lucilium fluere lutulentum, et esse aliquid quod tollere possis, putat. Nam et eruditio in eo mira, et libertas, atque inde acerbitas, et abunde salis. Multo est tersior ac purus magis Horatius, et ad notandos hominum mores præcipuus.' Vide dial. c. 23. Etiam l. x. 1. 'Alterum illud est, et prius Satyræ genus, quod non sola carminum varietate mistum condidit Terentius Varro, vir Romanorum eruditissimus, plurimos hic libros et doctissimos composuit, peritissimus linguæ Latinæ, et omnis antiquitatis, et rerum Græcarum nostrarumque: plus tamen scientiæ collaturus, quam eloquentiæ.'

Satius sit silere, quam pauca dicere de Heroicis Homero et Virgilio, qui scil. fastigium omne superant eloquentiæ, forte et fatum ingeniorum

NOTÆ

omnium, neque forte aliquid perfectius effici potest in hoc genere, neque unquam efficietur in omni futurorum sæculorum æternitate: quod et idem dictum semel volumus et animo præcipimus de summis oratoribus, Demosthene scilicet et Cicerone, et de philosophis divinissimis Platone et Aristotele. Pauca Fabii addemus de Lucano et Saleio Basso, ex l. x. 1. 'Lucanus ardens et concitatus et sententiis clarissimus, et, ut dicam quod sentio, magis oratoribus, quam poëtis annumerandus.' Ibid. 'Vehemens et poëticum ingenium Saleii Bassi fuit, nec ipsum senectute maturum.'

Sic autem et de historicis Livio, Aufidio Basso, Servilio Noniano, et aliis Quint. x. 1. 'Nec indignetur sibi Herodotus æquari T. Livium; cum in narrando miræ jucunditatis clarissimique candoris, tum in concionibus, supra quam enarrari potest, eloquentem: ita dicuntur omnia cum rebus tum personis accommodata: sed affectus quidem, præcipue eos, qui sunt dulciores, ut parcissime dicam, nemo historicorum commendavit magis. Ideoque immortalem illam Sallustii velocitatem diversis virtutibus consecutus est. Nam mihi egregie dixisse videtur Servilius Nonianus pares eos magis quam similes: qui et ipse a nobis auditus est, clari vir ingenii, et sententiis creber, sed minus pressus quam historiæ auctoritas postulat.' Vide dial. c. 23.

De Aufidio Basso dial. c. 23. Et Quint. l. x. 1. 'Quam paulum ætate præcedens eum [Nonianum] Bassus Aufidius egregie utique in libris belli Germanici præstitit, genere ipso probabilis in omnibus, sed in quibusdam suis ipse viribus minor. Superest adhuc, [putant id dictum de Cornel. Tacito nostro,] et exornat ætatis nostræ gloriam, vir sæculorum memoria dignus, qui olim nominabitur, nunc intelligitur. Habet amatores, nec imitatores, ut libertas, quanquam circumcisis quæ dixisset, ei nocuerit. Sed elatum abunde spiritum, et audaces sententias deprehendas etiam in iis quæ manent.' Hæ certe laudes jure merito Tacito tribui debeant et possint. Sed an se ipse circumcidit Cornelius? cur et quando? et in quo opere? Haud dubie nihil scripserat Tacitus de Domitiano, ipso imperante, aut certe nihil emiserat. Restat, ut scripserit res gestas Vespasiani et Titi ipsorum principatu, aut certe, imperante Domitiano; sub quo ætatem et doctrinam idoneam scribendo jam attigerat: nam Prætor et Quindecimvir ipse affuit ludis sæcularibus Domitiani. Et cum talia scripsisset sub pravo importunoque, et studiis et artibus ac libertati infesto dominante, forte circumcidere multa hujus historiæ coactus est, postea tota libertate egressurus et erupturus felici sæculo Nervæ et Trajani, ut ipse testatur, et quo jam sentire quæ velles, et dicere quæ sentires, aperto pectore licuit. Sed in Tacito vere tribui a Fabio non satis compertum, non satis liquet de quo auctore id scripserit. Nam sub Domitiano scripsisse aut edidisse historiam, aut se ulla parte circumcidisse Tacitum, nullatenus constat ex ipso, aut ex Plinio, qui eum sæpe tamen et passim laudat in epistolis, et id haud dubie non tacuisset Plinius, cum ejus historias laudat ex professo: et his se inseri, ut operi immortali, toto studio ambit. Et quomodo dicatur *superesse adhuc* Tacitus, qui tum maxime ætate floreret? Et ille auctor scripsisse videtur ante Domitianum, sub quo *superest adhuc*. Et num tandem erumperet Tacitus sub Nerva? Num Cluvium intelligit?

NOTÆ

Sic autem scribit Fabius de philosophis Socraticis, de Platone, Xenophonte, et de Stoicis: sic ergo de Platone l. x. 1. 'Philosophorum, ex quibus plurimum se traxisse eloquentiæ M. Tullius confitetur, quis dubitet Platonem esse præcipuum, sive acumine disserendi, sive eloquendi facultate divina quadam et Homerica? multum enim supra prosam orationem, et quam pedestrem Græci vocant, surgit: ut mihi non hominis ingenio, sed quodam Delphico videatur oraculo instinctus.' Ibidem: 'Quid ego commemorem Xenophontis jucunditatem illam inaffectatam, sed quam nulla possit affectatio consequi: ut ipsæ finxisse sermonem Gratiæ videantur: et quod de Pericle veteris comœdiæ testimonium est, in hunc transferri justissime possit, in labris ejus sedisse quandam persuadendi Deam.'

Idem l. x. 1. 'De justis, honestis, utilibus, quæque sunt his contraria, et de rebus divinis maxime dicunt, et argumentantur acriter: et altercationibus atque interrogationibus oratorem futurum optime Socratici præparant. Sed his quoque adhibendum est simile judicium, ut etiam cum in rebus versemur iisdem, non tamen eandem esse conditionem sciamus litium ac disputationum, fori et auditorii præceptorum et periculorum.'

Quint. l. x. 1. 'Minus indulsere eloquentiæ Stoici veteres: sed cum honesta suaserunt, tum in colligendo probandoque, quæ instituerant, plurimum valuerunt: rebus tamen acuti magis, quam (id quod sane non affectarunt) oratione magnifici.' Vide Dial. c. 31

Sic autem habet de præcipuis oratoribus Græcis, Demosthene, Æschine, Hyperide, Lysia, &c. l. x. 1. 'Sequitur oratorum ingens manus, cum decem simul Athenis ætas una tulerit: quorum longe princeps Demosthenes, ac pæne lex orandi fuit. Tanta vis in eo, tam densa omnia, ita quibusdam nervis intenta sunt, tam nihil otiosum, is dicendi modus, ut nec quod desit in eo, nec quod redundet, invenias. Plenior Æschines et magis fusus, et grandiori similis, quo minus strictus est: carnis tamen plus habet, lacertorum minus. Dulcis inprimis et acutus Hyperides: sed minoribus causis, ut non dixerim utilior, magis par.' Idem l. II. 14. 'Et Phrynem non Hyperidis actione, quanquam admirabili, sed conspectu corporis, quod illa speciosissimum alioqui, diducta nudaverat tunica, putant periculo liberatam.' Vide Dial. c. 12. 15. 25. Quint. l. x. 1. 'His ætate Lysias major, subtilis atque elegans; et quo nihil, si oratori satis sit docere, quæras perfectius: nihil enim est inane, nihil arcessitum; puro tamen fonti, quam magno flumini propior.'

Sic et de Latinis oratoribus antiquis, mediis, et recentibus, seu coætaneis. De *C. Gracchi impetu* agit Dial. c. 18. Et Quint. l. I. 10. 'Corporis quoque decens et aptus motus, qui dicitur εὐρυθμία, est necessarius: nec aliunde peti potest: in quo pars actionis non minima consistit: qua de re sepositus est nobis locus. Age, si habebit inprimis curam vocis orator, quid tam musices proprium? sed ne hæc quidem præsumenda pars est: ut uno interim contenti simus exemplo C. Gracchi, præcipui suorum temporum oratoris; cui concionanti consistens post eum musicus, fistula quam τονάριον vocant, modos quibus deberet intendi, ministrabat. Hæc ei cura inter turbidissimas actiones, vel terrenti optimates, vel jam timenti fuit.'

Et l. x. 1. 'Multa in Asinio Pol-

NOTÆ

lione inventio, summa diligentia: adeo ut quibusdam etiam nimia videatur: et consilii et animi satis: a nitore et jucunditate Ciceronis ita longe abest, ut videri possit sæculo prior.' Ibid. 'At Messala nitidus, et quodam modo præ se ferens in dicendo nobilitatem suam, [quia sexies consul aut propter multas avorum imagines] viribus vero minor.' Ibid. 'C. vero Cæsar, si foro tantum vacasset, non alius ex nostris contra Ciceronem nominaretur, tanta in eo vis est, id acumen, ea concitatio, ut illum eodem animo dixisse, quo bellavit, appareat: exornat tamen hæc omnia mira sermonis, cujus proprie studiosus fuit, elegantia.' Idem l. II. 1. 'Est quod principes deceat, aliis non concesseris. Imperatorum ac triumphalium separata est aliqua ex parte ratio eloquentiæ: sicut Pompeius abunde disertus rerum suarum enarrator.' Et l. XII. 6. 'Neque ego annos definiam, cum Demosthenem puerum admodum actiones pupillares habuisse manifestum sit: Calvus, Cæsar, Pollio, multum ante quæstoriam omnes ætatem judicia susceperint: prætextatos egisse quosdam sit traditum: Cæsar Augustus duodecim annos natus, aviam pro rostris laudaverit.' Sic et Dial. c. 34.

Multum ingenii in Cœlio, et præcipue in accusando multa urbanitas, dignusque vir; cui et mens melior, et vita longior contigisset. Inveni, qui Calvum præferrent omnibus; inveni, qui Ciceroni crederent eum nimia contra se calumnia verum sanguinem perdidisse. Sed est sancta et gravis oratio, et castigata, et frequenter vehemens quoque. Imitator est autem Atticorum: fecitque illi properata mors injuriam, si quid adjecturus, non si quid detracturus fuit. Multa, si cum judicio legatur, dabit imitatione digna Cassius Severus; qui, si ceteris virtutibus colorem et gravitatem orationis adjecisset, ponendus inter præcipuos foret. Nam et ingenii plurimum in eo, et acerbitas mira et urbanitas et vis summa: sed plus stomacho quam consilio dedit: præterea ut amari sales, ita frequenter amaritudo ipsa ridicula est.'

Idem Quint. l. x. 1. 'Eorum quos viderim, Domitius Afer et Julius Africanus longe præstantissimi. Verborum arte ille et toto genere dicendi præferendus, et quem in numero veterum habere non timeas: hic concitatior, sed in cura verborum nimius; et compositione nonnunquam longior, et translationibus parum modicus.' Idem l. XII. 11. 'Vidi ego longe omnium, quos mihi cognoscere contigit, summum oratorem Domitium Afrum, valde senem, quotidie aliquid ex ea quam meruerat, auctoritate perdentem, cum agente illo, quem principem fuisse quondam fori non erat dubium; alii, (quod indignum videbatur) riderent, alii erubescerent: quæ occasio illis fuit dicendi, malle eum deficere, quam desinere.'

Sic et l. x. 1. 'Vibius Crispus, compositus, et jucundus, et delectationi natus, privatis tamen causis quam publicis melior. Julio Secundo si longior contigisset ætas, clarissimum profecto nomen oratoris apud posteros foret. Adjecisset enim, atque adjiciebat ceteris virtutibus suis, quod desiderari potest. Id est, autem, ut esset multo magis pugnax, et sæpius ad curam rerum ab elocutione respiceret. Ceterum interceptus quoque magnum sibi vindicat locum. Ea est facundia, in explicando quod velit gratia: tam candidum et lene et speciosum dicendi genus: tanta verborum etiam quæ assumta sunt, proprietas: tanta in quibusdam

NOTÆ

ex periculo petitis significantia. Habebunt qui post nos de oratoribus scribent, magnam eos qui nunc vigent materiam vere laudandi. Sunt etiam summa hodie, quibus illustratur forum, ingenia.' Hæc, et quæ sequuntur, intelligit haud dubie præcipue de Plinio et Tacito, quæ tum fori et judiciorum summa decora. 'Namque et consummati jam patroni veteribus æmulantur, et eos juvenum ad optima tendentium imitatur ac sequitur industria.'

Addemus adhuc et quædam loca similia ex utroque opere Fabii, partim, ut illustremus sermonem hunc; et partim clare agnoscamus tandem, verum hunc et eundem esse utrobique genium Quintiliani. Apponemus quasi notas dialogi, quibus comparabimus similia, aut certe eadem loca ex Institut. oratoriis.

Dial. c. 1. *Causidici et advocati et patroni.* Quintil. l. XII. 1. 'Quod si mediocribus etiam patronis convenit hæc, quæ vulgo dicitur *bonitas;* cur non orator ille qui nondum fuit, sed potest esse, tam sit moribus, quam dicendi virtute perfectus? Non enim forensem quandam instituimus operam, nec mercenariam vocem; nec (ut asperioribus verbis parcamus) non inutilem sane litium advocatum, quem denique causidicum vulgo vocant, sed virum cum ingenii natura præstantem, tum vero pulcherrimas artes penitus mente complexum, datum tandem rebus humanis, qualem nulla antea vetustas cognoverit,' &c.

Dial. c. 1. *Vel easdem, sed probabiles causas afferrent.* Et Quint. l. X. 5. 'An vero ipsi non bis ac sæpius de eadem re dicimus, et quidem continuas nonnunquam sententias? Nisi forte contendere nobiscum possumus, cum aliis non possumus. Nam si uno tantum genere bene diceretur, fas erat existimari præclusam nobis a prioribus viam. Nunc vero innumerabiles sunt modi, plurimæque eodem viæ ducunt. Sua brevitati gratia, sua copiæ,' &c.

Dial. c. 2. *Aper....contemnebat potius literas, quam nesciebat, tanquam majorem industriæ et laboris gloriam habiturus, si ingenium ejus nullis aliarum artium adminiculis uteretur.* Quem locum maxime exagitat Quint. l. II. 12. ubi titulus est: 'Quare ineruditi ingeniosiores vulgo habeantur.' 'Ne hoc quidem,' inquit, 'negaverim sequi plerumque hanc opinionem, ut ortius dicere videantur indocti primum vitio male judicantium, qui majorem habere vim credunt ea quæ non habent artem: ut effringere, quam aperire: rumpere quam solvere: trahere quam ducere, putant robustius. Nam et gladiator, qui armorum inscius in pugnam ruit,' &c. Ibid. 'Evenit nonnunquam, ut aliquid grande inveniat, qui semper quærit, quod nimium est: verum et raro evenit, et cetera vitia non pensat. Propter hoc quoque interdum videntur indocti copiam habere majorem quod dicunt omnia: doctis est electio et modus.' Dial. c. 8. 'Quoque notabilior paupertas,' &c. Sic Quint. l. III. 7. 'Fortuna....quo minores opes fuerunt, eo majorem benefactis gloriam parit.'

Dial. c. 15. *Vetera tantum et antiqua miraris.* Quint. X. 1. 'Quidam solos veteres legendos putant, neque in ullis aliis esse naturalem eloquentiam et robur viris dignum arbitrantur. Alios recens hæc lascivia deliciæque, et omnia ad voluptatem multitudinis imperitæ composita delectant. Sunt etiam qui rectum dicendi genus sequi volunt. Alii pressa demum et tenuia, et quæ mi-

NOTÆ

nimum ab usu quotidiano recedant, sana et vere Attica putant.' Et hæc est *sanitas* quam jejunio et ægritudine sibi comparant; de qua Dialogus c. 23. quæ vera infirmitas est.

Dial. cap. 20. *Nisi . . . nitore et cultu descriptionum invitatus et corruptus est* [judex,] *aversatur dicentem.* Et Fabius lib. IV. 1. 'Quibusdam in judiciis, maximeque capitalibus, ut apud Centumviros, ipsi judices exigunt solicitas et accuratas actiones, contemnique se, nisi in dicendo etiam diligentia appareat, credunt: nec doceri tantum, sed etiam delectari volunt.' Et lib. IV. 2. 'Caret enim ceteris lenociniis expositio, et nisi commendetur hæc venustate, jaceat necesse est. Nec in ulla parte intentior est judex: eoque nihil recte dictum perit. Præterea nescio quomodo, etiam credit facilius quæ audienti jucunda sunt, et voluptate ad fidem ducitur.' Idem lib. V. 14. 'Nobis ad aliorum judicia componenda est oratio, et sæpius apud omnino imperitos, atque aliarum certe ignaros literarum loquendum est: quos nisi et delectatione allicimus, et viribus trahimus, et nonnunquam turbamus affectibus: ipsa quæ justa ac vera sunt tenere non possumus. Locuples et speciosa vult esse eloquentia: quorum nihil consequitur, si conclusionibus certis et crebris, et in unam prope formam cadentibus concisa, et contemtum ex humilitate et odium ex quadam servitute, et ex copia satietatem, et ex amplitudine fastidium tulerit. Feratur igitur non semitis, sed campis: non uti fontes angustis fistulis colliguntur, sed ut latissimi amnes, totis vallibus fluat, ac sibi viam, si quando non acceperit, faciat.'

Et XII. 10. '*Nam hoc ipso* proderat [Cicero] quod placebat. Ad cujus voluptates nihil equidem, quod addi possit, invenio; nisi ut sensus non quidem dicamus plures. Neque enim fieri potest salva tractatione causæ et dicendi auctoritate, si crebra hæc lumina et continua fuerint, ut non invicem offecerint,' &c.

Dial. cap. 21. '*Sed temperatus ac bonus sanguis implet membra...et decor commendat.* Sic et Quint. procemio l. VIII. 'Corpora sana et integri sanguinis et exercitatione firmata, ex iisdem his speciem accipiunt, ex quibus vires: namque et colorata et astricta, et lacertis expressa sunt: sed eadem, si quis vulsa atque fucata muliebriter comat, fœdissima sint ipso formæ labore. Et cultus concessus atque magnificus addit hominibus, ut Græco versu testatum est, auctoritatem: at muliebris et luxuriosus, non corpus exornat, sed detegit mentem. Similiter illa translucida et versicolor quorundam elocutio res ipsas effœminat, quæ illo verborum habitu vestiuntur.' Idem X. 1. 'Licet tamen in digressionibus uti vel historico nonnunquam nitore, dum in iis, de quibus erit quæstio, meminerimus non athletarum toros, sed militum lacertos esse: nec versicolorem illam, qua Demetrius Phalereus dicebatur uti, vestem, bene ad forensem pulverem facere.'

Dial. c. 23. *Tertio quoque sensu.* Et Quint. VII. 10. 'Reliqua partium est demum dispositio: et in his ipsis primus aliquis sensus, et secundus et tertius: qui non modo, ut sint ordine collocati, elaborandum est, sed et inter se juncti, atque ita cohærentes, ne commissura pelluceat: corpus sit, non membra.'

Dial. cap. 23. *Rhetorum nostrorum Commentarios.* Sic Quint. X. 6. 'Plerumque autem multa agentibus accidit, ut maxime necessaria et utique

NOTÆ

initia scribant: cetera quæ domo afferunt, cogitatione complectantur: subitis ex tempore occurrant. Quod fecisse M. Tullium commentariis ipsis apparet. Sed feruntur aliorum quoque et inventi, forte ut eos dicturus quisque composuerat, et in libros digesti, &c. Sed hi, de quibus loquor, commentarii ita sunt exacti, ut ab ipso mihi in memoriam posteritatis esse videantur compositi. Nam Ciceronis ad præsens modo tempus aptatos libertus Tyro contraxit: quos non ideo excuso, quia non probem, sed ut sint magis admirabiles. In hoc genere prorsus recipio hanc brevem annotationem, libellosque qui vel manu teneantur, et ad quos interim respicere fas sit.'

Dial. cap. 23. *Pro sententia positum.* Quintil. XII. 10. 'Ceterum hoc, quod vulgo sententias vocamus, (veteribus præcipue Græcis in usu non fuit, apud Ciceronem invenio,) dum rem contineant, et copia non redundent, et ad victoriam spectent, quis utile neget? Feriunt animum, et uno ictu frequenter impellunt, et ipsa brevitate magis hærent, et dictione persuadent. Ac sunt qui hæc excitatiora lumina, etiam si dicere permittant, a componendis tamen orationibus excludenda arbitrentur.'

Cap. 28. *Nullis pravitatibus detorta uniuscujusque natura toto statim pectore arriperet artes honestas.* Quint. XII. 1. 'Adde quod ne studio quidem operis pulcherrimi vacare mens, nisi omnibus vitiis libera, potest: primum, quod in eodem pectore nullum est honestorum turpiumque consortium: et cogitare optima simul ac deterrima, non magis est unius animi, quam ejusdem hominis, bonum esse ac malum. Tum illa quoque ex causa, quod mentem tantæ rei intentam, vacare omnibus aliis etiam culpa carentibus curis oportet. Ita demum enim libera, ac tota, nulla distringente atque alio ducente causa, spectabit id solum ad quod accingitur.'

Cap. 30. *Expetuntur quos rhetoras vocant.* Et Quint. VII. 10. 'Nemo expectet, ut alieno tantum labore sit disertus. Vigilandum ducat, iterum enitendum, pallendum: est facienda sua cuique vis, usus, sua ratio: non respiciendum ad hæc, sed in promtu habenda: nec tanquam tradita, sed tanquam innata. Nam viam demonstrare velociter ars potest, si qua est: verum ars satis præstat, si copias eloquentiæ ponit in medio: nostrum est uti eis scire.'

Cap. 31. *Astrictum et collectum... dicendi genus.* Quint. X. 1. 'Itaque... illa Sallustiana brevitas, qua nihil apud aures vacuas atque eruditas potest esse perfectius, apud occupatum variis cogitationibus judicem, et sæpius ineruditum, captanda nobis est.'

Ibid. cap. 31. *In deliberationibus de honestate dicimus.* Et Quint. II. 20. 'Nam quid orator in laudando faciet, nisi honestorum ac turpium peritus? aut in suadendo, nisi utilitate proposita et perspecta? aut in judiciis, si justitiæ sit ignarus?'

Cap. 37. *Multum interest utrumne de furto, aut formula..dicendum habeas.* Quint. IV. 2. 'Nam quid in plerisque judiciis privatis de re certa credita, locato et conducto, interdictis, habere loci potest supra modum extollens oratio?' &c. Idem XI. 1. 'Nec eodem sono publica judicia, et arbitrorum disceptationes aguntur.'

Cap. 39. *Oratori autem clamore plausuque opus est et velut quodam theatro.* Quod in foro laudaverat, idem in scholis reprehendit Quintil. lib. II. 2. 'Illa vero vitiosissima, quæ jam *humanitas* vocatur, invicem qualiacumque laudandi, cum est indecora et

NOTÆ

theatralis, et severe institutis scholis aliena, tum studiorum perniciosissima hostis. Supervacua enim videtur cura, ac labor, parata, quicquid effuderint, laude. Vultum igitur præceptoris intueri tam qui audiunt, debent, quam ipse qui dicit...At nunc proni atque succincti ad omnem clausulam non exsurgunt modo, verum etiam excurrunt; et cum indecora exultatione conclamant. Id mutuum est, et ibi declamationis fortuna.'

Cap. 40. *Datum jus potentissimum quemque vexandi.* Sic et Quint. XII. 7. 'Nam leges ipsæ nihil valent, nisi actoris idonea voce munitæ: et si pœnas scelerum expetere fas non est, prope est ut scelera ipsa permissa sint: et licentiam malis dari, certe contra bonos est. Quare neque sociorum querelas, nec amici vel propinqui necem, nec erupturas in Rempub. conspirationes inultas patietur orator: non pœnæ nocentium cupidus, sed emendandi vitia corrigendique mores. Nam qui ratione traduci ad meliora non possunt, solo metu continentur. Itaque ut accusatoriam vitam vivere, et ad defendendos reos præmio duci, proximum latrocinio est: ita pestem intestinam propulsare cum propugnantibus patriæ comparandum. Ideoque principes in Repub. viri non detrectaverunt hanc officii partem: creditique sunt etiam clari juvenes obsidem Reipub. dare malorum civium accusationem, quia nec odisse improbos, nec simultates provocare, nisi ex fiducia bonæ mentis videbantur. Idque cum ab Hortensio, Lucullis, Sulpicio, Cicerone, Cæsare, pluribus aliis, tum ab utroque Catone factum est; quorum alter appellatus est sapiens: alter nisi creditur fuisse, vix scio cui reliquerit hujus nominis locum.'

Cap. 40. *Sapientissimus et unus.* Sic Quint. VI. 1. 'Quod genus nostris temporibus totum pæne sublatum est, cum omnia curæ tutelæque unius innixa periclitari nullo judicii exitu possint.' Igitur ut ex allatis locis patet, eundem ordinem Fabius, eandem rationem eundemque modum tenuit in institutionibus oratoriis, quem jam prælibaverat et velut ostenderat in hocce dialogo. Nam eadem præscribit ibi et cavet: sed quæ breviter jam in dialogo arguerat ac damnarat inter causas corruptæ eloquentiæ, et quod quasi præcerpserat sub aliena persona, jam fusius in Instit. orat. exequitur. Haud dubie juvenis, cum scripsit dial. quasi fundamenta jaciebat magni illius operis quod in senectutem, ut magis maturam et dicendo expertam, remittebat atque destinabat. Quod si haberemus Fabii continuas orationes, si dialogum saltem integrum, quam longe res facilior, clarior, et expeditior foret! Objectant tamen a Fabio compositum esse librum quidem de causis corruptæ eloquentiæ, sed continuum et in sua persona, non vero dialogum. Sed dicunt hæc, non probant, neque probabunt. Quid clarius? quid apertius? Ipse Fabius testatur se composuisse talem librum multis locis, qualem vero, aut quali ordine, aut in qua persona non explicat, nec alius rem magis expediet. Sufficiunt ad rei veritatem ea quæ attulimus, et alia similia sibi quisque facile reperire possit. Sic igitur ille ipse l. VIII. 6. ubi de Hyperbole in fine: 'Sed de hoc satis, quia eundem locum plenius in eo libro quo causas corruptæ eloquentiæ reddebamus, tractavimus.' Reddebat nempe in ea nostri dialogi parte quæ incuria veterum et injuria temporum intercepta est.

Idem Quintil. prooemio libri VI.

NOTÆ

Instit. orat. Sic loquitur: 'At me fortuna id agentem diebus ac noctibus, festinantemque metu meæ mortalitatis, ita subito prostravit, ut laboris mei fructus ad neminem minus quam ad me pertineret. Illum enim, (filium decennem) et in quo spem unicam senectutis meæ reponebam, repetito vulnere orbitatis amisi. Quid nunc agam? aut quem ultra esse usum mei diis reprobantibus credam? Nam ita forte accidit, ut eum quoque librum quem DE CAUSIS CORRUPTÆ ELOQUENTIÆ emisi, jam scribere aggressus, simili ictu feriret. Tunc igitur optimum fuit, infaustum opus, et quicquid hoc est in me infelicium literarum, super immaturum funus consumturis viscera mea flammis injicere, neque hanc impiam vivacitatem novis insuper curis fatigare.'

Primus Fabii filius quinquennis interiit paucis post mensibus quam interierat uxor ejus, undevicesimo scil. ætatis anno, cum duos enixa filios esset. Unde inferimus hunc librum de causis corruptæ eloquentiæ Fabium juvenem scripsisse, et post multos dein annos composuisse libros Instit. orat. Et maxime claret eloquentia Fabii hoc proœmio libri VI. Sed senior jam et gravior in Instit. orat. affluentiam illam sermonis represserat, aut jam oratorum veterum personam non sustinens tum magis sibi temperabat. Primum vulnus accepit, cum filium quinquennem amisit, dein *repetitum vulnus orbitatis*, amisso altero filio decenni.

FINIS C. C. TACITI OPERUM.

NOTÆ VARIORUM

IN

C. C. TACITI OPERA.

*** NOTÆ VARIORUM, quas Delphinius Editor ex hac editione Gronov. decerpsit, textui nostro jam subjunctæ sunt: minime igitur hic iterandæ videntur.

Asteriscus loco cuilibet præfixus connectit sequentia verba cum præcedentibus, a Delphinio Editore citatis.

Asteriscus loco postpositus connectit præcedentia verba cum sequentibus, inter Delph. notas insertis.

NOTÆ VARIORUM

IN

C. C. TACITI OPERA.

EX EDIT. JOH. FRED. GRONOV.

AMSTELODAMI: APUD DANIELEM ELSEVIR. 8vo. 1672.

ANNALIUM LIB. I.

CAP. 1. *Qui cuncta discordiis civilibus fessa*] Et ob id ad domandum faciliora; frænique, ut ita dicam, patientiora. *Muretus.*

Veteris reip.] Ita Vertranio placitum, trajectis notis, quæ vulgo, *p. r.* Lipsius. Attribuitur ætas populo Romano. Tacit. Annal. xv. 'Omnis populi Romani ætas, prospere, aut in metu sacraverat.' Cur igitur non dicetur *vetus?* nec nos deterreat ferula Jurisconsultorum, qui subtilius, ut inserviant quæstioni, sic de populo verba faciunt: 'et populum eundem hoc tempore putari, qui abhinc centum annis fuisset, cum ex illis nemo nunc viveret.' Valeant igitur, qui dictis de verbis concinnarunt *veteris reipublicæ:* nam *casci*, id est, *veteres*, Latini populi dicti sunt. *Saliner.* Medicæus verbo integro, ut nulla suspicio sit trajectionis literarum, *populi Rom.* Pichena.

Deterrerentur] Si rem bene putes, versatur hic Μορμὼ non levis. Sed non *deterret* tantum, qui gravem metum incutit, verum etiam qui studium alicujus qualicumque vel religione vel ratione tardat, et alia cogitatis suadet. Sic Cicero et optimi quique veterum, hinc *adhortari* vel *cohortari*, inde *deterrere* et *avocare*, ponentes. Itaque *deterrerentur*, nihil est aliud, quam, scribendi animum dimitterent, historiæ condendæ studium abjicerent atque deponerent, alii ob metum, partim ob stomachi fastidium. Cicero ad Atticum XIII. 28. 'De epistola ad Cæsarem, jurato mihi crede, non possum: nec me turpitudo deterret, etsi maxime debebat: quam enim turpis est assentatio, cum vivere ipsum turpe sit nobis? sed, ut cœpi, non me hoc turpe deterret: ac vellem quidem: essem enim, qui esse debeam: sed in mentem nihil venit.' Vide reliqua. *Gronovius.*

CAP. 2. *Nulla jam publica arma*] Dicit Brutum Cassiumque solos eo tempore pro Rep. bellasse, ceteros privatæ potentiæ: tres ergo facit partes, publicas, Pompeianas, et Julianas.

Sic fere Seneca de Catone dicit; Epist. 104. 'Cum alii ad Cæsarem inclinarent, alii ad Pompeium, solus Cato fecit aliquas et Reip. partes.' Sed de Bruto idem nostri judicium H. I. 50. 'mansuram fuisse sub Pompeio Brutoque Rempublicam.' *Freinshemius.*

Ubi militem donis] Respexit huc Victor, cum de eodem Augusto scripsit: 'Illectis per dona militibus, atque annonæ curandæ specie vulgo, ceteros haud difficulter subegit.' *Lipsius.* Militares animi toti ad lucrum intenti sunt: neque ulla re magis quam donis permoventur. Est quidem verum illud Homericum: Δῶρα θεοὺς πείθει, δῶρ' αἰδοίους βασιλῆας. Sed multo verius in iis, qui exigua pecuniola adducti, vitam suam quotidie in omne discrimen exponunt. Quando enim pecuniam negligent, qui vitam ipsam præ pecunia negligunt? Itaque quantum apud milites dona possint, magis etiam posterioribus sæculis intellectum est, cum, ut quisque amplissimum donativum obtulerat, ita ad eum imperium deferebant, non diutius imperare passuri, quam dum reperiretur, qui amplius polliceretur. Et erant, qui, tanquam in auctione, licitarentur, non quanti imperarent, sed quanti paulo post morerentur imperatores. *Muretus.*

Populum annona] Nihil est enim quod populum magis torqueat, aut facilius ad seditionem populares animos concitet, quam annonæ difficultas. Urget enim fames: qua, ut ait Homericus Ulysses, mori molestissimum est: neque sui oblivisci patitur: *venterque*, ut proverbio dicunt, *aures non habet.* Neque vulgo odiosiores ulli sunt, quam qui annonam incendunt, et excandefaciunt: neque ulli magis quam qui eam sublevant, populum demerentur. Reditum Ciceronis ab exilio jucundiorem populo fuisse aiunt, quod summam, quæ antea fuerat, annonæ caritatem summa vilitas consecuta est. Sapienter ut solet, Tacitus noster Annal. l. IV. ab excessu Neronis ait, 'vulgo alimenta in dies mercari solito unam esse ex republ. annonæ curam.' Auri, purpuræ, honorum plus apud alios esse plebs æquo animo fert: quiescere esuriens non potest. Cum igitur Siculo adversus Sex. Pompeium bello caritas effecta esset, vilitatem reduxit Augustus. Ita populum pellexit annona. *Muretus.* Immo multo magis frumento gratuito; hæc enim illa lenta et perpetua plebis Romanæ vincula escaria. Sueton. Octavio, 40. 41. *Gronovius.*

Munia Senatus, magistratuum, legum in se trahere] Quasi ceteros labore exsolveret; ipse omnem molestiam reipubl. causa in se transferre ac suscipere vellet. Legationes antea in Senatu audiri solebant. Hac molestia Senatum liberavit Augustus. Audiri quidem eas voluit et in Senatu nonnunquam, ut Senatus aliquid tamen agere videretur: sed plerasque domi, paucis adhibitis, ipsi cum videbatur, audiebat. Senatus de pace, de bello, de provinciis deliberabat. Quid opus erat tam multos senes tantum laborem capere, tam mane convenire in Curiam, tam multa ibi audire, tam multa dicere, tam vesperi domum fessos et viribus exhaustos redire? Valetudini eorum ac quieti prospexit Augustus. Domi hæc cum paucis tractare cœpit. Magistratuum varia ac multiplex procuratio erat. Augustus consulatum quidem, qui præcipuus erat magistratus, sumpsit sibi, cum voluit, quamdiu voluit et quoties voluit. Nam ut nos vestem, sic ille consulatum, cum voluerat, capiebat, deponebat, resumebat; neu populus de dando ei collega sollicitus foret, ipse sibi collegam, quem libuerat, non qui una imperaret, sed qui imperata faceret, cooptabat. Magnum in Republ. onus tribuni plebis sustinebant. Ipse tribunatum

quidem non cepit; sed, ut eos onere levaret, potestatem tribuniciam accepit. Censorium munus quam molestum, quam grave? locare publica, senatum legere, populum censere, anquirere in omnium mores, alios Senatu movere, aliis equum publicum adimere, alios in Cæritum tabulas referre, multos notare, in multorum odia incurrere. Odiosa res et negotiis plena. Igitur censuram quidem non sumpsit Augustus: sed alio vocabulo *morum regimen* sumpsit. O hominem laboriosissimum et alienæ quietis studiosissimum! Magno tumultu, magno molimine, magno concursu civitatis leges antea rogabantur. Tollatur quoque illa tumultuandi materia. Quod Augusto placuerit, pro lege habetor. *Muretus.*

Invalido legum auxilio] * Quare Augusto ad se unum omnia trahenti facile acquieverunt. Quod documento Principibus esse debet, ne avaris hominibus provincias gubernandas mandent. Diu enim compressa populorum odia aliquando tamen erumpunt: ut aut rebellionem faciant ipsi, aut aliis novas res molientibus adjungant se potius ad illos, quam eorum conatibus obstare nitantur. *Muretus.*

Cap. 3. *Subsidia dominationi*] Cogitavit periculosum esse Principibus, iis præsertim, qui in civitate nondum servituti assueta recens imperium occuparunt, si ex se sibi paratos successores non habeant. Facilius enim et confidentius insurgit populus adversus eum Principem, cujus morte fore se liberum putat; et quem si occiderit, nullum paratum videt ultorem. At si videat eo sublato successorum quempiam ex eadem stirpe, malo cavet, et futuri metu, præsentibus acquiescit. Atque hoc est, quod apud Iosephum l. XVIII. Tiberius morti proximus Caligulam sapienter monet, τὰς μονώσεις τοῖς ἄρχουσιν ἐπικινδύνους εἶναι. Augustus igitur, qui præter unicam filiam Juliam, nihil liberorum haberet, ex cetera propinquitate sua providendos sibi, quoad longissime posset, successores, judicavit. Quinam ii fuerint, exponit hoc loco Tacitus: et, ut tandem, ceteris sublatis, imperium ad Tiberium pervenerit. *Idem.*

Claudium Marcellum] Magnam illam Romæ et libertatis spem. *Lipsius.*

Ignobilem loco] Adeo ut ipsum generis sui nominisque pœniteret. Narrat comiter Seneca pater Controvers. l. II. 'Tanta autem Mæcenas sub divo Augusto libertate fuit [corrigo, *Tanta autem sub divo Augusto libertas fuit;* nihil hic de Mæcenate, et exculcanda vox male inculcata] ut præpotenti tunc M. Agrippæ non defuerint qui ignobilitatem objicerent. Vipsanius Agrippa fuerat. Vipsanii nomen quasi argumentum paternæ humilitatis sustulerat, et M. Agrippa dicebatur. Cum defenderet reum, fuit accusator, qui diceret Agrippam et quod in medium est [iterum rescribo, *Agrippa M. et quod in medio est:* ea enim verba joci, et gentis nomen medium inter cognomen prænomenque] volebat Vipsanium intellegi. Fuit qui diceret, Concurrite, Agrippa malum habebis, responde diis. Ea in arte [potius *parte*] utique mihi videtur admiratione dignus Augustus: sed horum non possum non misereri, qui tanti putant caput potius quam digitum perdere.' Scribendum, *dictum.* Lipsius.

Geminatis consulatibus] Ideone geminatis, quia bis consul? Cave censeas: tertium enim fuisse Dio docet et Fasti; itemque Velleius: 'Agrippa,' inquiens, 'quem usque in tertium consulatum, et mox collegium Tribuniciæ potestatis, amicitia Principis evexerat.' Sed ideo id dixit: quia postremi duo consulatus Agrippæ conjuncti continentesque. Qui sane honos erat: et raro cuiquam ea ætate tributus, præter principes re, aut destinatione. *Idem.*

Imperatoriis nominibus auxit] Non eo more, quo rei Romanæ domini, Imperatores dicti: sed quo olim, qui rempub. militiæ feliciter gessissent. Vulgatus olim honos: non item sub Impp. qui rei prospere gestæ lauream et laudem sibi adscribi volebant auspiciisque suis. Turbat in sententia hujus loci vir doctus, et miror. Tu vide Dionem Cassium lib. LIV. et LV. et Velleium, itemque ea, quæ scribo ad extremum librum quartum. *Idem.*

In familiam Cæsarum induxerat] * Ritum hunc (ut omittam notata aliis) notat explicatque eleganter Clemens Alexandrinus Strom. quinto: Καὶ τὰ παρὰ Ῥωμαίοις ἐπὶ τῶν διαθηκῶν γινόμενα τάξιν εἴληχε διὰ δικαιοσύνην, ἐκεῖνα ζυγὰ καὶ ἀσσάρια, καρπισμοί τε καὶ αἱ τῶν ὤτων ἐπιψαύσεις. Τὰ μὲν γὰρ ἵνα δικαίως γένηται, τὰ δὲ εἰς τὸν τῆς τιμῆς μερισμὸν, τὰ δ' ὅπως ὁ παρατυχὼν, ὡς βάρους τινὸς αὐτῷ ἐπιτιθεμένου, ἑστὼς ἀκούσῃ, καὶ τάξιν μεσίτου λάβῃ. Triplex antiquitatis ritus, interpreti non intellectus. Æs et libra in testamentis, Vindiciæ, et Antestatio. Nam καρπισμοὺς ad vindicias adsertionemque refero: τὰς τῶν ὤτων ἐπιψαύσεις, aurium tactiones, ad Antestationem. Omnia enim hæc ad familiæ mutationem pertinent, quæ per testamentum, de qua Quinctilian. Declam. 308. 'Non dixerim testamentum, cui libripens deest et familiæ emtor, et cetera juri necessaria.' Agellius l. IV. c. 27. et Jurisconsulti. *Lipsius.*

Principes juventutis appellari] Quod sane ridiculum, ut principes juventutis sint, qui etiamnum in pueris. Natus autem Caius anno urbis 734. Sex. Appuleio, P. Silio Coss. At Lucius biennio toto minor, ex Dione 55. in actis ejus anni. Princeps juventutis (πρόκριτον τῆς νεότητος Zonaras hic reddidit) ab Augusto invaluit, ad futurum imperium titulus et omen. Sunt nummi cum inscriptione: C. L. CÆSARES. AUGUSTI. F. COS. DES. PRINC. JUVENT. adpositæ effigies Caii Luciique, cum clypeis et hastis, quæ tirocinii die equites dederant, honoris Augusti caussa. Dio: Καὶ αἱ πέλται τά τε δόρατα, ἃ παρὰ τῆς ἱππέων εἰς τοὺς ἐφήβους ἐσιόντες χρυσᾶ εἰλήφεσαν, εἰς τὸ βουλευτήριον ἀνετήθη. Observa Dionem aureas hastas dicere, quas lapis Ancyranus (magnæ apud me fidei, ut quem vivus conceperit Augustus ipse) argenteas. Verba sunt, uti ad me missa beneficio viri illustris Augerii Busbequii: EQUITES. AUTEM. ROMANI. UNIVERSI. PRINCIPEM........ HASTIS. ARGENTEIS. DONATUM. APPELLAVERUNT. quam lacunam rite expleveris: *Principem juvent. Caium.* Idem.

Destinare consules] Et vero perfecerat. Romæ marmor de Caio: QUEM. POPULUS. COS. CREAVIT. ANNOS. NATUM. XIV. Ait annos natum quattuordecim: et addicit Dionis ratio, qui consulem facit designatum anno urbis DCCXLVIII. Tamen Augustus in jam dicto lapide XV. illi annum circumdat, sed nempe quem ingressus erat, et jam agebat. Verba sunt: 'Honoris mei caussa Senatus populusque Romanus annum quintum et decimum agentis Consulis designavit, ut eum magistratum inirent post quinquennium ex eo die, quo deducti in forum.' *Idem.*

Destinare consules] *Designari* legendum puto, ut et ante *appellari*. A populo enim eos designari, non designare ipse cupiverat. *Muretus.* De forma verbi, subscribo; nempe *destinari* scripsisse auctorem, hoc est, designari. Suetonius in primo Julio: *flamen Dialis destinatus.* Vide II. Observ. 8. *Gronovius.*

Caium remeantem Armenia] * Addi velim Suetonii locum, Tiber. cap. 15. 'Caio et Lucio intra triennium defunctis, adoptatur ab Augusto:' nec addi solum, sed et corrigi. Nam hoc de triennio, nonne nimis laxum? apparet e Velleio: 'Caius,' inquit, 'in urbe Lyciæ morbo obiit, cum an-

te annum ferme L. Cæsar Massiliæ morbo decessisset.' En, dumtaxat intervallum fecit paullo plus anni. Et ipse Suetonius *duodeviginti* modo *menses* interponit, verbis quæ supra. Non ergo ambiges, quin scribend. *intra biennium :* si hunc putamus sensum. Nam in alium me duxit P. Johannes Deckerius e Societate Jesu, qui refert ad *triennium* Tiberiani reditus, et vult utrumque periisse intra tres primos annos, ex quo ille Rhodo reversus. Historia approbat. *Lipsius.*

Novercæ Liviæ] Nata exitio reip. hæc mulier, et suæ domus. Sed bene, quod Tacitus nusquam dissimulat fraudem ejus et scelus. Plinius cautior, qui suspicionem hanc tangens, cavit sibi obscuritate sermonis : ' Incusatæ filiorum mortes, luctusque non tantum orbitate tristes.' Nec enim alio traxeris ea verba, non me quidem interprete. *Idem.*

Drusoque pridem extincto] * Imposuerat mihi Dion olim, in cujus libro hiatus est, et anni aliquot omissi : atque ita narratur mors Caii, quasi biennio post illam Drusi. Sed, ut dixi, defectio et hiatus est, atque anni plures medii desunt : quod in Notis ad Velleium observamus. *Idem.*

Insulam Planasiam] Atqui Siciliam vocat Scholiastes Juvenalis vetus. ' Agrippa,' inquit, ' in Sicilia propter morum feritatem ab Augusto relegatus est.' Errat : nam de Planasia adfirmat cum nostro etiam Dio, et ait vicinam Corsicæ esse, libro extremo LV. In qua narratiuncula quod legitur, Καὶ τὴν Ἰουλίαν ὡς μητρυιὰν διέβαλλεν : *et Juliam ut novercam aspernabatur ;* meo judicio τὴν Λιουίαν faciendum est. Non enim matrem suam Agrippa insectabatur (et illa vero jam relegata aberat) sed Liviam, ut probabile est, Augustæ stirpi numquam æquam. *Idem.*

Stolide ferocem] Quod Plato evenire ait omnibus generosis ingeniis, quoties non ita, ut oportet, educantur. Et alioqui patrem habuerat rusticanum ac militarem, et duritiæ, non delitiis, assuetum. *Muretus.* Livius lib. VII. de Manlio : ' Illum prævalidum juvenem, et quod haud minus timendum erat, stolide ferocem.' *Pichena.*

Nullius tamen flagitii] Imitatione Livii, si forte, qui de T. Manlio : ' Filium juvenem, nullius probri compertum, extorrem urbe egit.' *Lipsius.* Noster Annal. IV. ' Adversus unicum et nullius ante flagitii compertum.' *Pichena.*

Quo pluribus munimentis] Vere emendavi. * Siculus ille momar (exprimit, quod verum est, a me indignatio) cum sua conjectura, *sed qui pluribus morum vitiis insisteret,* abeat Morboniam. *Lipsius.*

Eadem magistratuum] Callide et sapienter scriptum. Non erant ii magistratus ; neque enim eandem vim atque auctoritatem obtinebant : sed tamen iisdem nominibus vocabantur. Et hoc ad plebem fallendam plerunque satis erat. *Muretus.*

Vocabula] Sed non vis aut potestas. Cæsar in se traxerat. *Lipsius.*

Juniores post Actiacam victoriam et jam senes plerique, &c.] Tota civitas dividebatur in centurias seniorum et centurias juniorum. Juniores vocabantur usque ad annum 46. postea seniores. Augustus autem rerum potitus est 56. quattuor et quadraginta solus post Actiacam victoriam : duodecim cum Collegis. Juniores igitur post Actiacam victoriam, senes plerique inter bella civium nati erant, neque fere quisquam superstes erat, qui Rempubl. vidisset. Hic autem notandum est ad confirmandam novam tyrannidem, præter cætera, vitæ diuturnitatem, requiri. Quamdiu enim supersunt, qui libertatis dulcedinem experti sunt, nunquam desunt, qui alios ad eam recuperandam cohortentur. At qui longinquitate temporis ad servitutem occalluerunt, iidem, ut aves diu cavea

inclusæ, de libertate ne per somnium quidem cogitant: molliorem paulo et clementiorem servitutem omni libertate potiorem putant. *Muretus.*

CAP. 4. *Nulla in præsens formidine*] Non timent homines, nisi propinqua: ne mortem quidem, nisi cum eam putant imminere: cum tamen omnibus momentis immineat. Itaque de Principibus ætate validis, ita fere cogitat plebs, ac si nunquam morituri essent. Nihil igitur in præsens metuebant Romani, quamdiu Augustum diu etiam victurum esse sperabant. *Muretus.*

Ægro et corpore] Velim trajici, *et ægro corpore.* Lips. Lipsius mallet, *et ægro corpore:* at Tacitus id sæpissime de industria. Infra eodem lib. 'dabat et famæ.' Lib. II. 'irridebantur et Græci comites:' inferius, 'data et a Tiberio occulta mandata.' Hist. lib. II. 'trucidati et comites.' *Pichena.* Sic quoque tamen viris doctis omnia suspecta, et *animo* vellent interponi. Non dubium est, quin τὸ *fatigabatur*, quod iidem observant, referatur ad vocem *senectus:* sed eo sensu, quo apud Juvenalem: 'si oppressa foret secura senectus Principis.' Nimirum postquam ipse princeps ætatis provectæ jam et morbis cœpit attentari. Rationem reddit Tacitus, quare hominibus de republica Augusto permissa pridem securis solicitudinem attulerit exspectatio successoris: nempe, quod videbant illum accessisse ad finem mortalitatis, utpote valde senem, nec jam crudo viridique, sed causario et labanti corpore: ut ille apud Phædrum leo describitur, 'Defectus annis et desertus viribus.' Hic nihil prorsus necesse fuit *animi* mentionem facere. Non enim auctori cura, pingere Augustum omnibus partibus, qualis fuerit tali tempore, sed submonere de duobus illis publice notis et in oculos incurrentibus, quæ adverterunt homines, tanquam præsagia instantis mortis. At animus neque vegetus in senio vitæ longum duraturæ, neque infirmior citæ mortis prærogativa est. *Gronovius.*

Pauci] Iique aut senes aut rerum imperiti, aut utrumque, qui libertatis ne umbram quidem ullam superesse non viderent, neque cogitarent eam pridem ita alte obrutam esse, ut resurgendi nulla spes esset. *Muretus.*

Imminentis dominos variis rumoribus differebant] Notabis ingenium plebis, 'cui mos humili læsisse veneno Summa, nec impositos umquam cervice volenti Ferre duces.' *Lipsius.* Varie de eis loquebantur, varie augurabantur, quid quisque incommodorum ac calamitatum et privatim et publice allaturus esset. *Muretus.*

Ignominia accensum] Quod ab avo eodemque patre abdicatus et relegatus fuisset. *Idem.*

Spectatum bello] Δοκιμασθέντα. Multa enim bella in Dalmatia, multa in Germania gesserat. *Idem.*

Claudiæ familiæ superbia] Quæ usque ab ultimis temporibus superbissima et plebi inimicissima fuerat. *Idem.*

Specie secessus exul egerit] Secesserat autem ut Caio et Lucio cederet; itemque pertæsus uxoris Juliæ impudicitiam. *Idem.*

Exulem egerit] Ita 'Principem agere,' et 'Agere se paullo minus quam privatum,' in Suetonio aliisque lego. Et in nostro Histor. III. 'Quanto ferocius paullo ante se egerint, tanto cupidius voluptates hausisse.' M. Antonio tamen Mureto, cujus scripta Venus inhabitat pariter cum Musis, leg. videtur, *exul egerit.* Lipsius.

Premant, quandoque distrahant] Dixi corruptum olim locum mutilumque. Redeo in viam admonitu amici qui explicat: Drusus et Germanicus nunc quidem conjuncti prement rempub. at olim orto, fors fuat, dissidio, eamdem distrahent per bellum civile dis-

sipabuntque. Consule Muretum lib. XI. c. 1. *Idem.*

CAP. 5. *Scelus uxoris*] Hæc est tertia venenariæ hujus palma, et jure lemniscata. Tangit vero suspicionem illam de ficubus, quæ nota ex Dione. *Lipsius.* Dio hac de re apertius. Ficuum esu oblectabatur Augustus, easque sæpe Livia decerptas manu sua ex arbore ipsi porrigere solebat; ipseque eas ita libentius esitabat. Partem igitur adhuc pendentium oblevit Livia veneno, non quidem præsentaneo, sed quod paucis diebus consumeret. Jam tum enim ars illa reperta erat: ne nostrorum temporum inventum putetis. Venenatas igitur marito dedit: ipsa sibi eas, quæ tuto edi poterant. Ita effecit ut vir suus in cœlum, filius ad imperium maturius perveniret. Sed prudenter Tacitus, qui neque id, quod satis exploratum non erat, apertius exponendum, et tamen, propter suspicionem, quasi prætereundo, attingendum putavit. *Muretus.*

Ad visendum Agrippam, &c.] Ne tam atrocem suspicionem in Liviam sine causa concitasse videatur, ostendit, quid maxime eam ad mortem celerandam viro impulisse diceretur. Hoc autem ipsum narrat et Dio: et tangit Plinius. Narrat et Plutarchus ἐν τῷ περὶ ἀδολεσχίας: quem locis aliquot corruptum esse, et quibusdam in rebus a Tacito dissentire, ostendi capite secundo libri undecimi variarum lectionum. *Idem.*

Maximum uxori Marciæ] Habes eleganter historiam totam in Plutarch. περὶ ἀδολεσχίας· * nec alibi tam liquide narrata res. Hoc tantum male, quod Φούλβιον ubique vocat, qui Fabius est. Fabius ille Maximus, qui consul fuit anno urbis 762. Item quod Marciam interfectam vult ante maritum: cum noster clare vixisse eam dicat, et auditos gemitus ejus in funere mariti. Atque hæc homini vera caussa mortis: ne innocuum Poëtam oneremus, aut potius ipse se, de Ponto: 'Occidis ante preces, caussamque ego, Maxime, mortis, Nec fueram tanti, me reor esse tuæ.' Est enim hic Maximus, quem Naso coluit, et ad quem Elegia non una. Sed et uxor Nasonis, propinqua Maximi seu conjugis ejus Marciæ, ex his versibus: 'Ille ego, de vestra cui data nupta domo est. Hanc probat, et primis dilectam semper ab annis Est inter comites Marcia censa suas.' *Est censa*, pro censuit, satis nove, imo antique. Sic 'Adfectatus est regnum,' pro Adfectavit: 'Spectatus est suem,' in Varrone lego, retineoque: 'Communicati sunt,' pro Communicaverunt, in Livio; 'Peragratus est regionem,' in Velleio, et plura. Tangit hanc de Fabio tragœdiam etiam Plinius: 'Juxta hæc abdicatio Postumi Agrippæ post adoptionem; desiderium post relegationem: inde suspicio in Fabium, arcanorumque proditiones.' *Lipsius.* In illo, *censa est*, explicando falli summum virum monuimus lib. IV. Observationum in omissis pag. 427. *Gronovius.*

C. Navum id] Pridem emendavi firmavique, *Gnarum id Cæsari.* Gaii Navi nulla persona est in hoc actu. Sic lib. V. 'Gnarum id Cæsari; eoque dubitavit de tradenda repub.' Alibi: 'Gnarum id duci: incessitque itineri et prœlio.' Sed ecce hanc mihi quasi desponsam conjecturam, est qui sine ullo divortio velit abducere. Ego vero non dimitto: nec enim soli Atridæ uxores suas amant, ait ille. *Lipsius.* Adde Muretum lib. XI. Var. Lect. cap. 11.

Quæsita morte] Illata, et violenta, machinatione Augusti. *Idem.* Immo, Sponte sumpta, voluntaria. Sic apud Plutarchum Lipsio citatum: 'ideo mori mihi decretum est.' Simile fere de M. Lollio Velleius II. 102. 'cujus mors intra paucos dies, fortuita, an voluntaria fuerit, ignoro.' *Freinsh.*

Neque satis compertum est] Alii tamen, ut Suetonius et Dio pro certo tradunt, vivo adhuc Augusto venisse

Tiberium longoque sermone commendatam ei esse Remp. ipsum denique Augustum in Tiberii complexibus exspirasse. Addit alia Velleius : qui mihi videtur in hoc historiam scripsisse, ut per occasionem Tiberio adularetur. *Muretus.*

Lætique interdum nuntii vulgabantur] Iisdem artibus usa est Agrippina in morte Claudii Cæsaris. Tacitus lib. XII. 'cunctos aditus custodiis clauserat, crebroque vulgabat, ire in melius valetudinem Principis, quo miles bona in spe ageret.' *Idem.*

CAP. 6. *Sallustius Crispus*] Est ille, cujus vitam mortemque infra memorat lib. III. Sallustii historiarum regis ex sorore nepos. Nominat eum Seneca inter intimos Augusti, lib. I. de Clementia. * Sed cedo, quis in Seneca Duillius? Falsus, scribendumque, *Deillios*, sive *Dellios*. Deillius a Seneca patre dicitur, in Suasoria : 'Bellissimam tamen rem Deillius dixit, quem Messalla Corvinus desultorem bellorum civilium vocat : quia a Dolabella ad Cassium, a Cassio deinde transivit ad Antonium, novissime ab Antonio transfugit ad Cæsarem. Hic est Deillius cujus epistolæ lascivæ ad Cleopatram feruntur.' Græcis tamen est Dellius, Plutarcho Dionique. Item Horatio, inscriptione Odes tertiæ lib. II. ubi temere interpretes *Gellium* sufficiunt. Plutarchus eum historias quoque scripsisse ostendit : Πολλοὺς, inquit, *καὶ τῶν ἄλλων φίλων οἱ Κλεοπάτρας κόλακες ἐξέβαλον, τὰς παροινίας καὶ βωμολοχίας οὐχ ὑπομένοντας, ὧν Μάρκος ἦν Σίλανος, καὶ Δέλλιος ὁ ἱστορικός* : *Multos et alios Antonii amicos, Cleopatræ asseclæ et adulatores exegerunt, quod petulantia ista et scurrilia non ferrent ; inter quos fuit M. Silanus, et Dellius historicus.* Eadem Dio, quinquagesimo libro : et Plin. l. XXXIV. *Lipsius.*

Miserat codicillos] Ita enim receptum, quo magis cautum militibus esset, cædem mandari per libellum, scilicet ne Imperator auctoritatem posset defugere. Pulchre Herodianus l. III. de Saturnino et Plautiano : *Ὁ δὲ Σατουρνῖνος γραμματεῖον ᾔτησε τοῦ φόνου φέρον τὰς ἐντολάς· ἔθος γὰρ τοῦτο τυραννικὸν, εἴ τινα ἐκπέμποιεν ἐπὶ φόνον ἄκριτον, ἐντέλλεσθαι τοῦτο διὰ γραμμάτων, ἵνα μὴ γιγνόμενον ᾖ ἀκατασήμαντον.* Ad quem usum Duplices adhibitos, alibi lectum. *Idem.*

Ne reus subderetur] Supponeretur. Metaphora ducta a suppositis liberis, qui et *subditi* vocantur. Terentius : 'Non vides quantum mali ex ea re excites? subditum se suspicatur.' Sic infra hoc ipso libro : 'Utque mos vulgi, quamvis falsis reum subdere.' Et lib. XV. 'Ergo abolendo rumori Nero subdidit reos.' *Muretus.*

Juxta periculoso] Cum ex æquo periculosum esset ; cum futurum videret, ut æque in discrimen veniret : *ἐξ ἴσης ἐπικινδύνου ὄντος.* Sallustianum. *Muretus.*

Ficta seu vera] Ficta, si a Tiberio crimen amoliretur ; ne ipse ejus damnaretur a Senatu. Vera, si Tiberium auctorem ederet, ab eo puniendus aut tollendus. *Lipsius.*

Ficta seu vera promeret] Notandum loquendi genus. Usitatius enim erat, *seu ficta, seu vera.* Neque desunt veterum exempla. Catullus : 'læva sive dextera Vocaret aura.' Horatius : 'Cantamus vacui, sive quid urimur.' Idem : 'Quo non arbiter Hadriæ Major, tollere, seu ponere vult freta.' Item : 'et Sthenelus sciens Pugnæ, sive opus est imperitare equis, Non auriga piger.' *Muretus.*

Ne arcana domus] Prudentissimum præceptum. Nihil est enim, quod Principum auctoritatem magis imminuat, quam si domestica ipsorum arcana vulgentur. Multa privatim faciunt, quæ publice nesciri interest. Non semper eadem est interius et exterius illorum facies. Non toti intus æque ac foris nitent. Itaque

plerosque eorum nemo minoris pendit, quam qui ad secretissima maxime admittitur. Pauci admodum sunt, qui nihil habeant, quod tegi satius sit. Ignotis major veneratio est, contrectata sordescunt. Vix effugere possunt, quibus quicquid libet, licet, quin libeat interdum aliquid, quod non licet. Eo pluribus venerabilis est Princeps, quo paucioribus familiaris. *Muretus.*

Ne consilia amicorum] Multa enim consilia clam dantur, quæ in propatulo non darentur. Quæ publice dantur, ad honestatem omnia; quæ secreto, ad utilitatem pleraque diriguntur. At si exigantur hæc; ut par est, ad regulas philosophorum, nihil utile nisi quod honestum. *Muretus.*

Ministeria militum] Multa enim Principes, ubi manu et ferro opus est, per milites exsequuntur, ad quæ non tam promptos ac paratos eos invenirent, si reddenda singulorum ratio esset. Qui principi paruit, non sententia, sed silentio absolvendus est. *Muretus.*

Ut non aliter ratio constet] Scitum dictum, nec quidquam mutemus. A mensulariis dictum est, quibus constant rationes cum pares sunt. Plin. Panegyr. ‘Augeo principis munus, cum ostendo liberalitati ejus inesse rationem. Ambitio enim, et jactantia, et effusio, et quidvis potius quam liberalitas est, cui ratio non constat.’ Usi et auctores prisci juris l. I. De obseq. parent. l. penult. De re militari. Adde Valentis dictum apud Trebellium Pollionem: ‘Non sibi apud Deos inferos constare rationem; quod quamvis hostem suum, Pisonem tamen jussisset occidi, virum cujus similem Rom. resp. non haberet.’ *Lipsius.*

Quam si uni reddatur] Suspicabar ante complures annos legendum: *quam si nulli reddatur.* Ea forma, qua volumus ‘mulieres optime olere, quæ nihil olent.’ Philo de legatione ad Cajum: *ἀνυπεύθυνον ἀρχὴν εἶναι τὸν αὐτοκράτορα μηδενὸς ἐπὶ τοῖς ὁπωσοῦν πεπραγμένοις λόγον ἀπαιτεῖν τολμῶντος ἢ δυναμένου.* Josephus antiq. l. XV. *οὐ γὰρ ἔφη καλῶς ἔχειν Ἀντώνιος βασιλέα περὶ τῶν κατὰ τὴν ἀρχὴν γεγενημένων εὐθύνας ἀπαιτεῖν.* Memineram præterea ex Tacito Hist. IV. ‘victoriæ rationem non reddi.’ Denique occurrebat animo Pallas, qui ‘pepigerat, ne cujus facti in præteritum interrogaretur, paresque rationes cum republica haberet:’ ut loquitur noster l. XIII. Verum jam tolero vulgatum. *Gruterus.*

CAP. 7. *Quanto quis inlustrior*] Illustriorum enim facta magis notantur: obscuros suæ tenebræ tegunt. *Muret.*

Falsi ac festinantes] *Falsi* interdum, quos fefellit alius. Terentius: ‘Ut falsus est.’ At hic qui fallere cupiunt. Festinantes, dum metuit quisque, ne sibi alius anteverteret. *Idem.*

Lacrimas, gaudium] Acute Muretus: ‘lacrimas gaudio, questus adulatione miscebant.’ Placet rei hominisque caussa. *Lipsius.*

Gaudium, questus, adulationes] Ego manuscripti lectionem retuli: *lacrimas, gaudium, questus, adulatione:* sensu non improbando. Ostendit enim senatores omnia adulatione miscuisse; idque Salinerio probatur. *Pichena.*

In verba Tiberii Cæsaris juravere] Rem, quæ per se satis habet indignitatis, magis turpificat Muretus, dum censet hoc loquendi genus proprium gladiatorum, qui se addicebant lanistis; quasi ad facienda perpetiendaque omnia, quæ is, cujus in verba juratur, jusserit, obstringi sit. Immo militum est proprium, qui se devovebant imperatori. Livius l. III. ‘quo tempore P. Valerius ad recipiendum Capitolium arma plebi dedit, omnes in verba jurastis.’ Et mox: ‘omnes, qui in verba jurastis, crastina die armati ad lacum Regillum adsitis.’ Lib. XXII. ‘Magna vis hominum conscrip-

ta Romæ erat: libertini etiam, quibus liberi essent et ætas militaris, in verba juraverant.' Eumenes apud Justinum: 'Quater intra hunc annum in mea verba jurejurando obstricti estis.' Quod hic narratur, initium sumpsit in Divo, de quo Suetonius cap. 84. 'item jusjurandum, quo se cuncti pro salute unius adstrinxerant.' Et mox: 'confisum novissimo illo SC. et jurejurando.' Appianus: ὧν Καίσαρι πάντες ὠμόσαμεν, φύλακες τοῦ σώματος ἢ τιμωροὶ παθόντι τι ἔσεσθαι. Iterum: καὶ τοὺς ὅρκους, ἦ μὲν φυλάξειν Καίσαρα καὶ τὸ τοῦ Καίσαρος σῶμα παντὶ σθένει πάντας, ἢ εἴ τις ἐπιβουλεύσειεν, ἐξώλεις εἶναι τοὺς οὐκ ἀμύνοντας αὐτῷ. Nec Augusto defuit fœda Sex. Pacuvii adulatio, de qua Dio l. LIII. His exemplis cessit pudor, et Tiberio jam quasi legitimum ac solenne faciunt. Vis fuit, salutem propugnaturos et acta rata habituros. A militia etiam translatum ad gladiatores, sed horum sacramentum uri, vinciri, virgis ferroque necari. *Gronovius.*

C. Turranius] * Turranii etiam mentio Senecæ, ad Paulinum cap. extremo: nescio an hujus, quia procurationem illi tribuit, non præfecturam. Nominat et Ovidius in poëtarum albo: 'Musaque TurranI tragicis subnixa cothurnis:' et in doctorum, Plinii index. Sed quæras, cum præf. prætorio et annonæ in verba Tiberii jurarint, cur omissus præfectus urbis? cujus auctoritas non minor, (major imo illo Annonario) et cui proprius in urbe miles. Credo equidem omissum, quia nemo fuit. Taurus Statilius defunctus erat, cui Piso suffectus post aliquot annos a Tiberio, uti doceo clare l. VI. *Lipsius.*

Præscriptione posuit] Solennius esset *proposuit:* atque ita notaverat Muretus: sed Tacitus simplex iterum maluit l. IV. 'Mox positis propalam libellis ad libertatem vocabat.' *Acidulius.*

Neque abscedere a corpore] Hic loci Mauro magis adsentior quam Lipsio; putemque Tiberium hæc ita protulisse, quasi diceret unum se senatorum esse. Sicut alter ille Claudius XII. 5. 'unum se civium:' quamvis et istum locum labefactet Lipsius. Etiam id quod subjicit de publicis muneribus, non ita accipio, quasi pro publico munere habeatur Augusti corpus comitari; sed intelligere hoc ipsum edictum quod proponebat. *Freinshem.*

Ut imperator dederat] Signum dare imperatoris est: unde σημαίνειν *imperare.* Homerus: αἴθ' ὤφελλες ἀεικελίου στρατοῦ ἄλλου Σημαίνειν. Et σημάντορες *imperatores.* Muretus.

Excubiæ, arma] Præcipua hæc signa tunc Principis. Noster de Muciano: 'Nec deerat ipse stipatus armatis, apparatu, incessu, excubiis, vim Principis amplecti, nomen remittere.' *Lipsius.*

Ex formidine] Cunctandi nempe caussa, formido ex Germanico: ne si ille tantis viribus et gratia imperium vellet, ipse turpiter abjiceretur. Melius ergo censebat non agnoscere, donec nosset ejus mentem. *Idem.*

Tot legiones] Octo ad Rhenum, in ripa Gallica: præcipuum, uno loco, imperii robur. Atque eæ cum suis auxiliis et equitatu facile ad C. M. militum accedebant. *Idem.*

Dabat et famæ] Seneca de clem. l. I. 'Principes multa debent etiam famæ dare.' Noster Ann. IV. 'Principum diversam esse sortem, quibus præcipua rerum ad famam dirigenda.' *Pichena.*

Uxorium ambitum] Matris Liviæ, quæ a marito id exambierat. *Lipsius.*

Inductam dubitationem] Scribo *indutam.* Est enim *induere* nonnunquam præferre, obtendere, ostentare. Livius l. I. de Bruto: 'longe alius ingenio, quam cujus simulationem induerat.' Seneca de benef. II. 2. 'lætus facit et induit sibi animi sui vultum.' Noster l. V. 'Plurimum simu-

lationis Seleucienses induere.' Lib. xv. 'quia speciem judicii induere non poterat, ad vim dominationis conversus.' *Gronovius.*

Vultus in crimen detorquens recondebat] Nutus ipsos eorum, qui videbantur non ægre laturi, si ipse imperium deponeret. *Recondebat*, scribebat in animo, ut suo tempore promeret, quod et fecit. *Muretus.*

CAP. 8. *Nisi de supremis Augusti*] Ut ostenderet eam sibi unam in animo hærere cogitationem, alia se omnia honoribus parentis posthabere. *Suprema* vocat testamentum, ut sæpissime in libris Juris civilis. Plena locutio est, *suprema judicia*, pro quo etiam *supremam voluntatem* et *supremas tabulas* dicunt.

Virgines Vestæ] * Dixi et pecunias in templis deponi solere; quod verum adeo, ut quidam omnes fortunas in iis haberent, quasi custodia certa. Herodianus lib. I. de templo Pacis, quod exustum sub Commodo: Πλουσιώτατον δὲ ἦν πάντων ἱερῶν, δι' ἀσφάλειαν· ἕκαστος δὲ ἃ εἶχεν, ἐκεῖσε ἐθησαυρίζετο. Ἀλλὰ τὸ πῦρ ἐκ τῆς νυκτὸς πολλοὺς ἐκ πλουσίων πένητας ἐποίησεν. Nec mirum, quia milite hæc templa custodiebantur. Tertullianus de Corona, ubi non vult Christianum militem scribi: 'Et excubabit pro templis, quibus renunciabit? et cœnabit illic, ubi Apostolo non placet? et quos interdiu exorcismis fugavit, noctibus defensabit, incumbens et requiescens super luncho, quo perfossum est latus Christi?' Et in Apologetico: 'Ædes suas Dii tuerentur et imagines: quæ, ut opinor, Cæsarum milites excubiis salva præstant.' Ideo Juvenalis Castora vigilem dixit: 'et ad vigilem ponendi Castora nummi.' *Lipsius.*

Tiberium et Liviam] Num æquis partibus? eas enim accipimus, quoties nihil testator expressit? Minime. Didicimus enim e Suetonio ex besse institutum Tiberium, ex triente Liviam. Atque hujus ipsius rei veniam a Senatu perierat, quod adversus legem Voconiam facturus esset, qua non licebat homini censo instituere mulierem ultra quadrantem. *Muretus.* De hoc capite legis Voconiæ vide, si libet, de pecunia vetere III. 16. *Gronovius.*

Livia in familiam Juliam] Ideo in nummis et lapidibus exhinc fere Julia scripta aut sculpta, non Livia: quod item in Notis ad Valerium observamus. Sed nomen Augustæ an recepit? Negat ecce Suetonius, Claudio c. 11. 'Aviæ Liviæ divinos honores, et Circensi pompa currum elephantorum Augustæo similem decernendum curavit. Patri Circenses annuos natali die, matri carpentum quod per circum duceretur, et cognomen Augustæ, ab avia recusatum.' Dicit ab Avia id recusatum: quæ non alia quam Livia est. Mirum. Liviam enim Augustam faciunt scribuntque alii omnes: et hercle si ambitionem feminæ novi, non recusavit. Tacitus lib. IV. 'Decretum quotiens Augusta theatrum introisset.' Alibi: 'Augustæ valetudo atrox.' Et: 'Julia Augusta mortem obiit.' Plinius: 'Livia Drusilla, quæ postea Augustæ matrimonii nomen accepit.' Idem lapides sexcenti testantur et nummi. Quid ergo Suetonio visum dissentire? Non ipsi quidem, sed librario qui pervertit. Liquet enim nobis corruptum locum, scribendumque *ab viva recusatum:* vel, *ab ea viva.* Ad matrem Antoniam hæc referuntur, non ad Aviam: uti docet vel ἀκολουθία sermonis. Quæ viva donata Augustæ nomine a Caligula (ταύτην τε γὰρ Αὐγούσταν εὐθὺς καὶ ἱέρειαν τοῦ Αὐγούστου ἀπέδειξε, ait Dio) id sprevit: et mortua nunc per Claudium recepit. Itaque in lapidibus Claudiani ævi: ANTONIAI. AUG. DRUSI. sculptum hodieque. Hoc verum: at interpretes in Suetoniano loco quam natant? qui licet ad portum se recipiant, me duce. *Lips.*

Gloriaque ad posteros] Non tantum

verum est, quod ait Thucydides, ambitionem nunquam senescere: ne morientes quidem relinquit. Volebat post mortem suam videri amasse præstantes viros, quos tamen oderat. *Muretus.*

Civilem modum] Id est, Nihil præcipuum novumque in legatis, nihil regium, aut præter civium modum moremque. Nam de Falcidiæ modo accipere, (ignoscent viri magni) pravum acumen est. *Lipsius.*

Civilem modum] Non lege Falcidia præscriptum. Certe enim Falcidiæ ne in militari quidem testamento locus est: nedum in testamento imperatoris. Hoc igitur ita intelligo, legata fuisse modica et modesta, neque excedentia usitatum locupletibus et copiosis civibus in condendis testamentis modum. Certe enim *civile* etiam in libris juris sæpe dicitur, quod moderatum est et usitatum et ordinarium. Et ita dixit Cicero *odium civile* in Miloniana, non ulla propria ac privata de causa susceptum, sed usitatum bonis omnibus adversus improbos. Peccat enim Victorius, qui *commune* eo loco, adversus omnium librorum fidem, scribendum putat. Sic Ovidius, 'Exercet memores plus quam civiliter iras.' *Muretus.*

Populo et plebi CCCCXXXV.] * Discrimen hoc summamque exactam neglexit Dio, qui satis habet dicere legatum populo CCCC. Neglexi vereor et ego, dum in Electis motus hæsitatione aliorum tentavi corrigere in Suetonii verbis, *tribubus* XXXV. *Lips.*

Populo et plebi CCCCXXXV.] * Populo autem legata pecunia deferebatur in ærarium, et fiebat publica: quæ ipsa intelligitur apud nostrum, I. 15. IV. 15. et in l. I. ad leg. Juliam peculatus: et *pecunia populi* dicitur in l. VI. de contr. empt. Sic aliis etiam rebuspublicis, coloniis, municipiis, varia legabantur. Exempla apud Tacit. IV. 43. et in l. XXI. Quib. mod. ususf. amit. l. XXXIV. de usu leg. l. XXX. de vulg. et pupil. subst. l. XXX. de leg. II. l. XV. de leg. III. l. XXXII. et LVII. ad SC. Trebell. in Inscript. Occonis pag. 6. num. 2. *Freinshem.*

Legionariis cohortibus civium] Bene additum, ne accipiamus etiam cohortes sociales. Ideo et Dio vertit, τῷ τε λοιπῷ τῷ πολιτικῷ πλήθει πέντε καὶ ἑβδομήκοντα δραχμάς· *reliquis militibus e civibus septuaginta-quinque drachmas.* Itaque ille idem legiones πολιτικὰ στρατόπεδα non semel appellat: quia scripta ex civibus tantum. Fuit tamen cum in Dione placeret, τῷ ὁπλιτικῷ πλήθει: male. Suetonius: 'Legionariis trecenos nummos: quam summam repræsentari jussit. Nam et confiscatam semper, repositamque habuerat.' Ubi *confiscatam*, in fiscis adservatam: uti Tertullianus eleganti metaphora, de Fuga, 'Felices itaque pauperes, qui animam totam in confiscato habent.' *Lipsius.*

Legionariis autem cohortibus] Non reperio, cur addiderit vocem *cohortibus.* Aut enim omnes legionarii sunt sub cohortibus, et sic adjectio illa supervacua; aut aliqui tantum, et sic exclusi reliqui a liberalitate Augusti, quod falsum. Deinde multo ineptius additur *civium Romanorum*, quasi alii quoque in legionibus fuissent non cives. Scilicet minimæ particulæ neglectu hæ turbæ excitatæ sunt. Scribamus, *legionariis autem et cohortibus civium Romanorum*, quod verum est. *Legionarii* milites, qui in legionibus sunt aut sub vexillis legionum. *Cohortes civium Romanorum*, quæ ex civibus Romanis constantes in legiones tributæ non sunt. Sic apud Cæsarem de bello civili III. 87. 'Annon audistis ex iis, qui per causam valetudinis remanserunt, cohortes esse Brundisii factas?' Strabo l. XVII. cum dixisset Ægyptum tribus legionibus (hoc enim eo loci sunt τὰ τρία τάγματα) contineri, subjicit: Χωρὶς δὲ τούτων ἐννέα μὲν εἰσι σπεῖραι Ῥωμαίων,

Et eodem libro de Syene: Εἰσὶ δ' ἐνταῦθα τρεῖς σπεῖραι Ῥωμαίων ἱδρυμέναι φρουρᾶς χάριν. Sic apud Cæsarem de bell. civ. III. 10. 'cohortibus...civium Romanorum centum atque triginta.' Addidit autem et cohortes Tacitus, ne legionariis tantum nominatis viderentur præteriti, qui eadem disciplina eosdem labores tolerantes, merito idem quoque commodum assequi debebant. Vocat autem *cohortes civium Romanorum* ad differentiam *auxiliarium*, quæ fere intelliguntur quoties vocabulum cohortis solum et nulla adjectione restrictum occurrit. *Freinshemius.* Si rem, ut erat, edidit Tacitus, scripsit: *legionariis trecenos, cohortibus civium Romanorum quingenos nummos viritim dedit.* Sic enim Suetonius, sic Dio. Hoc si obtinere nequeam, admisero Freinshemianum, ea tamen conditione, ut cohortes civium Romanorum solæ sint urbanæ cohortes; non quæ aliæ sub certis legionibus non continebantur; quas ille adjungit. Et fuerit aut error aut negligentia Taciti uno ordine habentis Urbanos et Legionarios, quum tamen Urbani non in Augusti modo, sed etiam in Tiberii testamento lautius fuerint tractati. Sed si verum licet fateri, magis placet prius. *Gron.*

Porta triumphali] Suetonius cap. 100. in August. 'Inter alia complura censuerunt quidam, funus porta triumphali ducendum, præcedente Victoria.' Neque dicit id factum: quod tamen viri docti ex Dione asserunt, me mirante: qui video Dionem nihil tale, imo contra scribere, 'funus ejus ab equitibus noctu urbi illatum.' Si noctu, quid refert per quam portam? Hoc tamen Dio, 'imaginem ejus e Palatio ceream, habitu triumphali, ductam; itemque alteram in curru triumphali.' *Lipsius.*

Porta triumphali] * De hac porta videndus Alex. Donatus in Roma vetere l. I. 22. ita tamen, ut homini quantumvis docto ne credas nescio quam religionem inferendi cadaver Augusti per hanc portam Romanis objectam, eaque religione vetitos mortuum Augustum isthac recipere. *Gronovius.*

Duceretur funus] Immo id etiam factum est, teste Dione, tametsi ex verbis Suetonii potius contrarium elicias. Viro docto qui ad Tacitum suum miratur perperam a nobis acceptum locum Donis, cum hæc scribebamus, respondeat pro nobis ipse Dio, cujus verba sunt illa post recitatam orationem Tiberii in funere Augusti: Μετὰ τοῦτο τήν τε κλίνην οἱ αὐτοὶ οἵπερ καὶ πρότερον ἀράμενοι διὰ τῶν ἐπινικίων πυλῶν κατὰ τῇ βουλῇ δόξαντα διεκόμισαν. *Lectum,* ait, *iidem qui prius* (urbi intulerant; ii erant equites) *sustulerunt, et porta triumphali, sicut erat a senatu decretum, funus duxerunt.* Casaubonus. Ubi miror, quid voluerit ista parenthesi. Non enim, *qui prius,* intelligendi, qui urbi intulerant, sed qui e palatio portaverant in Rostra: et *senatorum humeris* eum *delatum in Campum* plane testatur Suetonius. *Gronovius.* Video Lipsium hæc ita accipere, quasi sermo esset de corpore Augusti ex oppido Nolano, ubi decesserat Romam deferendo: sed revera de efferendo ex urbe in Campum hic agitur. Itaque recte viri docti ex Dione annotarunt hoc ita gestum. *Freinshemius.*

Ea sola adulandi species] Plutarchus in commentariolo, quomodo adulator ab amico internosci queat, senatorem narrat quendam fuisse, qui olim, cum Tiberius in senatu præsens adesset, surrexit ad dicendum et composito ad severitatem vultu, 'Enimvero,' inquit, 'liberos homines libere loqui oportet; neque quicquam reticere eorum, quæ ad rempublicam pertinere judicant, vel cum periculo offensionis.' Adstitere erectis animis omnes, et taciti, quid hic tam libere loquax dicturus esset, exspectabant.

Desitum jam pridem orationis genus ipsum quoque Tiberium adverterat. Tum ille, 'Audi,' inquit, 'Cæsar, quid sit, quod omnes nos tibi succensemus: neque tamen quisquam libere dicere audet.' Cohorruerunt omnes dubitantes, quo tandem evasurus esset. At ille, 'Negligis,' inquit, 'temetipsum, (dicendum enim libere est) neque corporis tui curam ullam geris: maceras te assidue curis ac laboribus causa nostra susceptis: neque interdiu neque noctu conquiescis.' Talia multa continuante ac contexente illo, Cassius Severus ad eos, qui sibi adsidebant, conversus, 'Quam metuo,' inquit, 'ne illa libertas huic homini exitiosa sit.' *Muretus.*

Corpus humeris] Qui honor, nisi fallor, Sullæ habitus primo Romanorum. Appianum lege I. Civil. *Lips.*

Humeris senatorum] Ex cubiculo, in quo mortuus erat, quadraginta illum prætoriani milites in publicum extulerant. Inde decuriones municipiorum et coloniarum Bovillas usque deportaverunt. Ibi eum equester ordo susceptum in urbem intulerat, et in vestibulo domus collocarat. Unde acceptum senatores in Campum Martium intulerunt. Ita qui vivus omnium libertatem oppresserat, mortuus omnium humeros pressit. *Muret.*

Remisit Cæsar] Quid? non ergo elatum corpus humeris Senatorum? Est vero. Suetonius: 'Senatorum humeris delatus in campum crematusque.' Idem Dio. At Remittendi verbum eo valet, ut non sit factum. Lib. IV. 'Remissa Ædilibus talis cura.' Lib. XI. 'Hortantibus dehinc inediam et levem exitum, remittere beneficium Asiaticus ait.' Scribo ergo, *permisit Cæsar*. Sed eam ipsam permissionem arrogantem esse vult Tacitus: quia per speciem modestiæ, et quasi pugnare cum Senatu nollet, habuit amplissimum ordinem inter vespillones. Simile illud l. VI. de Asinio Gallo: 'Consultusque Cæsar an sepeliri sineret, non erubuit permittere.' *Lipsius.*

Add. De correctione nunc ambigo, quia docuit me vir ille qui omnes, (Cujacium dico, quem nemo satis umquam miratus est qui cepit) eamdem vim inesse verbo Remittendi. Exempla apud ipsum in postremis Observationibus. Et sane in Irenæo etiam legi: 'Remittite mortuos sepelire mortuos suos.' *Lipsius.*

Crudi adhuc servitii] Cum populus Romanus servitutem, in quam paullo ante redactus fuerat, nondum bene concoxisset, neque ad eam occalluisset. *Muretus.*

Senem principem] Annorum 76. *Muretus.*

Longa potentia] Annorum 56. *Muretus.*

CAP. 9. *Plerisque vana mirantibus*] Merito admirationi sunt ea, quæ aut facta non sunt, cum causa esset, cur verisimile esset factum iri; aut facta sunt, cum causa esset, cur fieri non oporteret. Utrorumque enim et causa aliqua est, et ignoratur. Causæ autem ignoratio admirationem parit. At vulgus ea quoque miratur, quorum causa in promptu est. Qualia sunt, quæ hic commemorat Tacitus. *Muretus.*

Quod idem dies] Erit fortasse, qui hic adhæreat, cui adjutorium ego. Triplex enim ratio numerandi imperii Augustæi. Alii, plurimique, ab Actiaca pugna numerant, cum victo Antonio potens fuit imperii solus. Ea pugna pugnata IV. Nonas Septembres. Quidam a sexto ejus consulatu, cum imperium illi a Senatu firmatum, datumque cognomen Augusti, quasi is legitimi principatus primus dies. Id fuit VII. idus Januar. Atque ea ratio numerandi provinciis fere familiaris. Ita in lapide, qui Narbone: VII. QUOQUE. IDUS. IANUARIAS. QUA. DIE. PRIMUM. IMPERIUM. ORBIS. TERRARUM. AUSPICATUS. EST. THURE. VINO. SUPPLICENT. Orosius paullum

a lapide dissentiens, VIII. nominat Idus. 'Cæsar,' inquit, 'victor ab Oriente rediens, octavum Idus Januar. urbem triplici triumpho ingressus est. Hoc die primum Augustus consalutatus est: atque ex ea die summa rerum ac potestatum penes unum esse cœpit et mansit, quod Græci μοναρχίαν vocant.' Longius recedit Censorinus, qui rejicit in XVI. Kal. Febr. 'Ante diem,' inquit, 'XVI. Kal. Febr. C. Julius Cæsar Divi filius Imp. Augustus sententia Munatii Planci dictus est.' Ovidius Idus dumtaxat nominat: 'Idibus in magni custos Jovis æde sacerdos Semimaris flammis viscera libat ovis. Redditaque est omnis populo provincia nostro: Et tuus Augusto nomine dictus avus.' Sed lapidem ego credo verum dicere. Tertii denique numerabant a primo ejus consulatu: scilicet quia is gradus et aditus ad reliquos honores. Is fuit XIV. Kal. Septembres. Eam rationem secutus est quicumque ille scriptor de caussis corruptæ eloquentiæ, qui imperitasse Augustum ait annis LVI. fallente numero, nisi ad hanc rationem. Quam ipsam secuti curiosi isti, qui initium imperii et finem Augusti vitæ in eumdem diem, miraculi caussa, conferebant. Satis dixi: tu abi liber et expeditus. *Lipsius.*

Accepti quondam imperii princeps] Quasi causa ulla fuerit cur eo die mori non deberet; aut mirandum sit ullo die evenisse, quod nullo non poterat. Eodem jure mirari poterant, quod Augustus Augusto mense mortuus foret: obiit enim XIV. Kal. Septembris: et quod non paullum etiam exspectasset, ut mense Septembri natus eodem mense moreretur: ut hoc quoque referretur inter miranda. Admirabilis videri poterat, quod cum Quirini templum dedicaret, septuaginta sex columnis illud ornaverit, quasi totidem se annos victurum esse divinans. Sed admiratio in aliis sapientiæ initium, in aliis stultitiæ indicium est. *Muretus.*

Nolæ in domo et cubiculo] Stulte mirabantur tempus, stultius locum. Quid enim habet admirationis, quo in cubiculo mortuus sit pater, in eodem filium mori? Idem quotidie multis evenit. Ubi enim quemque deprehendit mors, ibi ei manus injicit, neque exspectat, dum in aliud cubiculum transferatur. *Idem.*

Numerus etiam consulatuum] Tertii decimi consulatus memoria exstat et in veteri quadam inscriptione apud Fanestres. Hic quidam, qui scholia scripsit in Tacitum, inepte ait hac in re Dionem a Tacito et Suetonio dissentire. Tribui enim Augusto a Dione etiam quartumdecimum consulatum, quem gesserit cum L. Æmilio Paullo anno ab U. C. 745. Neque animadvertit, non Augustum ipsum senem, sed Caium Agrippæ filium, quem adoptaverat Augustus, illo anno consulem fuisse. Hunc ei fortasse errorem objecit Xylander, qui Dionem vertens primus ad illum lapidem impegit. Nam cum Græce esset, Γ. Αὐγούστου υἱὸς, nisi quod leviter erraverat librarius, scripseratque Αὐγυστόστου pro Αὐγούστου, ipse *Cæsarem Augustum* vertit et de suo addidit XIV. *Idem.*

Pietate erga parentem] C. Cæsarem, cujus mortem inultam præteriri nefas erat. *Idem.*

Necessitudine reip.] Infra lib. IV. 'secundum necessitudinem legis:' et l. v. 'seque ea necessitudine cogi,' dixit pro necessitate; ut ex aliis observatum Agellio Noctium XIII. 3. *Vertranius.*

Nullus tunc legibus] Judicia enim, ut dictum est, turbabantur vi, ambitu, pecunia. *Muretus.*

Ut interfectores patris] Sic Rhenanus. Sed cum Ms. habeat *tunc*, propius et verius mihi visum est *dum.* Pichena.

Non regno neque dictatura] * Pul-

chrum remedium, si nominum acerbitate sublata, rerum quoque ipsarum acerbitas tolleretur. *Muretus.*

Cuncta inter se connexa] Quæ multis antea in locis multorum dierum itinere disjungebantur. Dici autem non potest et in ædificiis et in possessionibus et in imperio, quanto majores fructus ferant, quantoque facilius regantur ac conserventur, quæ inter se conjuncta ac connexa sunt. *Muretus.*

Pauca admodum vi tractata] Ἅπας δὲ τρηχὺς, ὅστις ἂν νέον κρατῇ, ait Æschylus. *Idem.*

CAP. 10. *Dicebatur contra*] Uberius hanc partem exsequitur: an quia ipse in ea? non ambigo. *Lipsius.*

Consulis legiones] D. Junii Bruti, quas in Mutinensi obsidio ad se traxit. *Lipsius.*

Corruptas consulis legiones] Perperam Lipsius. Immo Antonii Quartam et Martiam, quæ donis promissisque corruptæ M. Antonium consulem deseruerunt, seque cum Octavio conjunxerunt, ut recte Muretus. *Gronov.*

Fasces et jus prætoris] * De quibus præter Suetonium, Dionem, alios, videndus Cicero l. v. Philippicarum. At M Brutus semper suspectam habuit Octavii potentiam. *Muretus.*

Ne ipsis quidem qui fecere] Ita vulgo legitur. In antiquis *cæpere*, ex quo natum *fecere*. Mutanda autem erat una litera, ut esset, quomodo a me editum est, *cepere*. Hac autem de re ita Suetonius: ‘neque veteranorum neque possessorum gratiam tenuit; alteris pelli se, alteris non pro spe meritorum tractari querentibus.’ *Muretus.* Fallitur Muretus: nam antiquus liber cum vulgatis congruit. *Pichena.*

Fas sit privata odia] Laudatur meritissimo Aristides, qui cum Themistocli inimicus esset, legatus cum eo electus, cum ad fines Atticæ pervenisset, ‘Vin' tu,’ inquit, ‘Themistocles, inimicitias nos nostras hic deponamus; et interea inter nos amice conjuncteque viventes, utilitatem publicam procuremus? nam inimicitias, cum volemus, denuo exercere poterimus, ne privata odia nostra reipubl. incommodent.’ *Muretus.* Cicero post reditum in Senatu: ‘qui, cum a me voluntas eorum in privato judicio esset offensa, publici mei beneficii memoria privatam offensionem obliteraverunt.’ Idem de provinciis consularibus: ‘si mihi non licet per aliquos ita gloriari, me dolorem atque inimicitias meas reipublicæ concessisse, quod magni cujusdam hominis et persapientis videtur.’ Livius lib. IX. ‘Alter consul Fabius infestus privatim Papirio erat: quæ ne ira obstaret bono publico, legatos ex consularium numero mittendos ad eum senatus censuit: qui sua quoque eum, non publica solum, auctoritate monerent, ut memoriam simultatum patriæ remitteret.’ *Gronovius.*

Sed Pompeium imagine pacis, sed Lepidum] Beatus legit: *pacis, et Lepidum.* Ego nihil mutarim. Sic infra: ‘non præfectum ab iis, sed Germanicum ducem, sed Tiberium imperatorem violari.’ Plinius Epist. IV. 29. ‘remissa est mulcta: sed timuit, sed rogavit, sed opus venia fuit.’ *Vertranius.* Sic Livio restituimus XXIV. 14. ‘libertatis auctorem eis non se fore solum, sed consulem M. Marcellum, sed universos Patres.’ *Gronov.*

Imagine pacis] Vide Dionem lib. XLVIII. *Muretus.*

Tarentino Brundisinoque fœdere] Adi, si libido est, Plutarchum Antonio, Dionem XLIX. *Lipsius.*

Nuptiis sororis illectum] Octaviæ ex Ancharia; de quo instabili conjugio mire fœdatus Senecæ patris locus Suasoria prima. Vide Excurs. in *B.* Idem.

Lollianas] Non impleo paginas istis, quæ alibi exposita et prompta. In hac Lolliana clade Julium Obsequentem emendo de prodigiis: ‘Insidiis

Romanorum Germani circumventi, sub M. Lollio Legato, graviter vexati.' Nam contra scribo, *insidiis Germanorum Romani circumventi.* Vide præterea Suetonium in Aug. Dionem LIV. Eusebium Chronicis, olympiad. CXC. *Lipsius.*

Varianasque clades] Clades ea nota: sed Senecæ de illa locus non sine labe, etiam in emendatis nuper libris. Epist. 47. ' Mariana clade quam multos splendidissime natos, Senatorium per militiam auspicantes gradum, fortuna depressit: alium ex illis pastorem, alium custodem casulæ fecit.' Cladene Mariana? ubi ista, aut quando? Nam C. ille Marius victor, ubique, si memini, et fecit servos, non dedit. Quod de ea accipias, quam Germanis intulit: nugæ. An Germani Senatorium per militiam auspicantur gradum? Certissime rescribendum: *Variana.* Hanc enim nostram intelligit: et opportuno recentique exemplo admonet, posse e summa fortuna labi ad imam. *Idem.*

Varrones] * Strabo l. XIV. Εἶτ' *ἐμπεσὼν εἰς τὴν* Μουρῆνα *φιλίαν, ἐκείνῳ συνεάλω φεύγων, φωραθείσης τῆς κατὰ* Καίσαρος *τοῦ* Σεβαστοῦ *ἐπιβουλῆς.* *Idem.*

Egnatios] M. Egnatius Rufus Ædilis; de quo Dio LIII. Suet. cap. 19. ' Mox M. Egnatii, exin Plautii Rufi:' ita ibi scrib. non *Genutii.* Vide Senecam de Clementia I. 9. *Idem.*

Interfectos Iulos] * Apparet enim hunc Iulum arcanum aliquod scelus (cui proximus ab adulterio gradus est) cum Iulia in Augustum concepisse: uti olim cum Cleopatra ejus pater. *Lipsius.*

* Ad Reinesium Rupertus: Peccat quoque Lipsius, cum Iulo Antonio collegam dat Paullum Fabium. At Paullus Fabius Maximus consul fuit anno U. C. 742. collega Q. Ælio Tuberone; Iulus Antonius anno 743. collega Q. Fabio Maximo. Item peccat, cum *Africani* cognomen assignat Antonio, et participes erroris habet Sigonium et Casaubonum. Suetonius Claudii c. 2. ' Claudius natus est Iulo Antonio Fabio Africano consulibus. In hunc toto impetu a viris doctis itum est, qua ratione? quia *Iulum Antonium Africanum* et Q. *Fabium Maximum* Coss. a. U. 743. edunt Cassiodorus, Dio, Fasti Siculi et Cuspiniani. Quasi vero isti diligentiam Suetonii prægravare possint. Sed et Dio Xylandri habet: Ἰούλιον Ἀντώνιον M. *υἱ.* K. Φάβιον K. *υἱ.* Ἀφρικανόν. Nec repugnat in fine libri, ubi eorum Coss. rursus fit mentio. Cassiodori quoque locus dubiæ lectionis est. Reliquos parum moror, mutilos passim et depravatos. At Excerpta Chronici Eusebiani apud Scaligerum: ΙΟΥΛΙΟΣ ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΣ. ΦΑΒΙΟΣ ΑΦΡΙΚΑΝΟΣ. Ultimum vero, idque longe firmissimum, quod nullo modo fallere potest aut in æstu nos relinquere, est nummus aureus beneficio Goltzii annumerandus, in quo expresse *Africani* cognomen Q. Maximo adjectum est. Forma nummi:

Qui Tedii et Vedii Pollionis luxus] Non extrico quis hic Tedius. Utrumne Atedius scribendum? ut sit ille qui Ciceroni dictus inter Cæsaris amicos. An Sex. Tedium Afrum capimus, qui consul designatus se præcipitavit, apud Suetonium? Leviter placet: magis est, ut geminata ab hæsitante librario vox sit, scribamusque: *Qui Vedii Pollionis luxus.* In Seneca sane simile mendum succreverat, tertio de Ira, cap. 40. ' Divus Augustus cum cœnaret apud Vedium Pollionem:' ita restituit Pincianus, cum antea, *Atedium*, legeretur. Pincianus, selectus mihi censor, et verbis modicus, re judicioque ingens. Mentio hujus Vedii luxuriæque

ejus apud multos, Dionem LIV. Plinium l. IX. Tertullianum de Pallio. Hic est ille Pollio, qui testamento Cæsari Pausilypum legavit; et e cujus diruta domo, facta Romæ porticus quæ Liviæ dicta. *Lipsius.*

Qui Atedii] Beatus legit *Q. Vedii* et tollendum *Tedium* censet. Nisi me animus fallit, Cornelius ita posuit: *tum mors Q. Tædii:* quasi utriusque nomine male audierit Augustus. De Tedio Suetonius c. 27. *Vertranius.* Considerandum an hic locus corrigi possit ex nostro XII. 60. ubi Vedio, cujus hic mentio, *Matium* conjungit. *Freinshemius. Atidius* præfectus Verris nominatur Ciceroni libro III. et in IV. *Atidius Geminus* pictor. Ad Atticum Ep. XII. 5. et 24. ex Cæsarianis appellatur *Aledius*, qui forsan hic *Atedius*, ut suspicatur et Lipsius. Alioqui posses cogitare *Q. Asellii* ex Acrone ad illud Horatii Sat. II. 7. 'Tutoque ciconia nido, Donec vos auctor docuit prætorius:' 'Asellius quidam prætor fuit, qui usum ciconiarum condendarum primus reperit.' *Gronovius.*

Vedii Pollionis luxus] Vide Dionem l. LIV. *Vertranius.*

Gravior domui Cæsarum] Ita reformavi voce *gravius*, quæ erat in manuscripto, leniori et aptiori mutatione, quam *gravis*, ut vulgo: 'Gravis in rempublicam mater' filium suum sævissimum ad imperium admovens, perditis legitimis successoribus. 'Gravior noverca,' Cæsares et ipsum denique Augustum veneno sustulisse insimulata. *Pichena. Gravis* est Phil. Beroaldi junioris.

Comparatione deterrima] Sive placet, *teterrima*. Lipsius.

Habitu cultuque ejus] Ad habitum spectant hæc Suetonii, Tib. c. 68. *Incedebat cervice rigida, &c.* * Atque hæc ad *habitum:* in *cultu* ejus quid notabile aut arrogans, haud nunc memini legere. *Idem.*

CAP. 11. *Templum et cœlestes*] * Ἀποθέωσιν hanc Augusti, quam Tacitus commemorat, carmine singularis libri complexus videtur Ovidius, ut ipse quidem indicat, de Ponto: 'Quale tamen potui de cœlite, Brute, recenti Vestra procul positus carmen in ora dedi:' et alibi. *Idem.*

Versæ ad Tiberium preces] Ut illud molestissimum imperii onus suscipere dignaretur. *Muretus.*

Varie disserebat] Non erat ita superbus, ut illas preces aspernaretur: non ita segnis, ut illum cuncta regendi laborem rejiceret: rogari volebat. *Muretus.*

Modestia] Id est, moderatione: animo minime ambitioso, atque sic alibi usurpat, Mureto notatum. *Lips.*

Sua modestia] *Modestiam* dicit, non, ne quis sit error, virtutem animi nihil de se, nisi moderatum, sentientis: sed modicas et exiguas vires suas: opponiturque hoc sensu *modestia magnitudini.* Sic l. III. 'simul modestiæ Neronis et suæ magnitudini fidebat.' Et l. IV. 'Rari per Italiam Cæsaris agri, modesta servitia.' Lib. XII. 'magna Deum benignitate et modestia hiemis rebus extremis subventum.' *Muretus.*

Quam subjectum fortunæ] Multa enim accidunt, quæ nulla ratione, nullo humano consilio provideri queunt. *Idem.*

Suspensa semper et obscura] Suetonius Tib. 24. 'ambiguis responsis et callida cunctatione suspendens.' *Pichena.*

Quibus unus metus] Qui nihil tam male metuebant, quam ne intelligere viderentur simulationem Tiberii. Sic Virgilius: 'Non metus, officio nec te certasse priorem.' Id est, non metuimus. *Muretus.*

Si intelligere viderentur] Nihil enim molestius Tiberio poterat accidere, quam si astum suum ab aliis agnosci videret. Dio l. LVI. Νῦν δὲ ὠργίσατο, εἴ τις αὐτοῦ συνεὶς φανερὸς ἐγίνετο, καὶ πολλοὺς, οὐδὲν ἄλλο σφίσιν ἢ ὅτι συνε-

νόησαν αὐτὸν ἐγκαλέσαι ἔχων, ἀπέκτεινεν, ὥστε χαλεπὸν μὲν ἦν μηδεμίαν αὐτοῦ σύνεσιν ποιεῖσθαι, χαλεπώτερον δὲ συνιέναι. *Muretus.* Sic lib. II. ‘ Ille ignarus doli, vel si intelligere videretur, vim metuens.’ * *Pichena.*

Cum proferri libellum] * Ex quo haud temere collegerim dixerimque, in Suetonio scribendum, *in æneis pilis*, non tabulis. De eadem re loqui utrumque, id quidem clarum est. *Lipsius.*

Necessitates ac largitiones] * Capitolinus in Gordianis: ‘ Familiæ Gordiani hoc Senatus decrevit, ut a tutelis atque legationibus, et a publicis necessitatibus semper vacarent.’ Tacitus l. II. pro onere vel angore, ex ære alieno, sive et pauperie: ‘ Hortaturque ad luxum et æs alienum, socius libidinum et necessitatum, quo pluribus indiciis illigaret.’ *Idem.*

Addiderat consilium] Quod consilium suum plene extollit Augustus ipse apud Julianum in Menippæa de Cæsaribus: Ὑπὸ δὲ τῶν ἐμφυλίων στάσεων τὴν Ῥώμην ὁρῶν εἰς ἔσχατον ἐλαύνουσαν πολλάκις κίνδυνον, οὕτω διεθέμην τὰ περὶ αὐτὴν, ὥστε εἶναι δι' ἡμᾶς, ὦ θεοὶ, τὸ λοιπὸν ἀδαμαντίνην. Οὐ γὰρ ταῖς ἀμέτροις ἐπιθυμίαις εἴκων, ἐπικτᾶσθαι πάντως αὐτῇ διενοήθην, ὅρια δὲ διττὰ ὥσπερ ὑπὸ τῆς φύσεως ἀποδεδομένα, Ἴστρον καὶ Εὐφράτην ποταμοὺς ἐθέμην. Sed qui termini sive limites Rom. imperii sub Augusto? Duos nominat Julianus, Istrum et Euphratem: quibus adde Rhenum, et Oceanum, et quæ supra dixi. *Idem.*

An per invidiam] Ne quisquam successorum suorum latius imperaret. *Muretus.*

CAP. 12. *Quam partem Reip.*] Explicat Dio. Tiberius, inquit, tres fecerat reip. partes: prima Romam et Italiam complectebatur: altera, exercitus: tertia, provincias. Uni ex istis parem se aiebat, non omnibus. At bono histrioni detracta propemodum persona est, improvisa interrogatione Galli. *Lipsius.*

Pollionisque patris] Pollionis hujus et Asinii Galli filii meminit etiam Seneca pater in proœmio controvers. l. IV. *Pichena.*

Pollionisque patris ferociam] * Hunc ego Velleium Asinii Galli clientem fuisse suspicor, atque ejus gratiæ non modo laudes patris, quas etiam c. 36. et 62. et 73. et 76. decantat, sed etiam L. Munatii Planci, quæ c. 63. et 67. et 74. et 76. et 83. et 95. exstant, vituperia dedisse. Nam inter Plancum et Asinium simultates intercessisse discimus ex præfatione Plinii, ubi narrat non illepide Plancum, ‘ cum diceretur Asinius Pollio orationes in eum parare, quæ ab ipso aut liberis post mortem Planci ederentur, ne respondere posset,’ dixisse, ‘ cum mortuis non nisi larvas luctari:’ atque eo dicto sic repercussisse illas orationes, ut apud eruditos nihil impudentius judicetur. Unde colligere est, quantum fidei sit habendum convivæ apud dominum de inimico illius hæreditario male opinanti. Blandum fuisse aptumque auribus regiæ (nam ut supparasitaretur, fortunæ illius alienum erat) et inventum Augusti cognomen et Seneca in præfatione 4 natur. quæst. ostendunt. Virum tamen οὐ τυχόντα et res aliæ gestæ et conditum Lugdunum, oratorem summum epistolæ in decimo Ciceronis Familiarium evincunt. Denique, quo de incepimus, inter Asinium et Munatium hoc interfuisse puto, quod inter Labeonem Antistium et Ateium Capitonem: quæque Asinii *ferocia* dicta est, eandem Labeonis *insaniam* vocatam fuisse. Dio l. LVII. Ἀσίνιος δὲ δὴ Γάλλος παῤῥησίᾳ ἀείποτε πατρῴᾳ καὶ ὑπὲρ τὸ συμφέρον αὐτῷ χρώμενος. *Gronovius.*

CAP. 13. *Arruntium divitem*] * Divitias Arruntii Plinius Epist. commemorat; quas Seneca non fuisse ostendit a bona arte, si de eo quidem sensit l. VI. De Benef. ‘ An tu Ar-

runtium et Haterium et ceteros, qui captandorum testamentorum artem professi sunt, non putas eadem habere, quæ designatores et libitinarios vota?' Sed alium ab isto, opinor, intellegit Seneca: qui sub Caio magnus, et qui ante præco. Josephum vide XIX. Antiq. c. 1. sub finem. *Lips.*

Divitem, promptum] Cicero famil. Epist. II. 18. 'tres fratres, summo loco natos, promptos, non indisertos.' Lib. II. in Verrem: 'Heraclium hominem esse majorem natu, non promptissimum.' Lib. IV. 'C. Cacurii, promptissimi hominis et experientis.' Justinus lib. XXII. 'ex plebe quoque locupletissimos et promptissimos interficit.' Agricola: 'promptissimus quisque sævitia principis interciderunt.' *Gronovius.*

Avidum et minorem] Mureto adsenserim legenti, *avidum, sed minorem.* Pichena.

Sicasus daretur] Nempe a fortuna. Quemadmodum lib. XV. 'Quoties fortuna contra daret:' puta casum. A Sallustio in Jugurth. 'fortunam illis præclari facinoris casum dare.' Vide ad Livium XXX. 30. Noster XI. 'casus Mithridati datus est occupandi Armeniam.' Lib. XIII. 'bene gerendæ rei casum offerri.' Quorsum ergo, *si casus daret, vi ausurum.* Gron.

Haterius cum dixisset] Ostendebat enim cognitam sibi esse simulationem Tiberii, qui vellet quidem omnino imperare, sed cupiditatem suam tegeret. Id significabat genere illo loquendi, *Quousque patieris*, quasi de re in manu ac potestate Tiberii posita. *Muretus.*

Non adesse caput Reip.] Sententiam potius in hoc loco expedimus, quam verba. Lectio quam posui, a Ferreto est, qui asseverat in Medicæo codice sic scriptum. Et cur ambigimus? Sententia hercle percommoda est: offensum Tiberium, pro reliqua sua modestia, quod *caput Reip.* nominaretur, qui tamquam veteri libertate unus vellet esse e multis. Nec absurde legeris e vulgatis, *non esse caput te Reip.?* Lipsius.

Non adesse caput reipublicæ] Dicit hoc quidem Ferretus, sed aliud Pichena testatur, ibi legi corrupte; *non adesse caput te reipublicæ;* quemadmodum vulgabatur olim, antequam B. Rhenanus conjiceret, quod nunc habetur. Cui omnino acquiescendum censeo, et illud, *non esse caput te*, juxta miserum ac supervacaneum judico ac Vertranii, *non esse apud te caput.* Æque περίεργος Muretus cum suo, *adesse caput reipublicæ*, quæ sit vetus scriptura pro *deesse.* Quid quæso opus? aut quid minus est, *non adest*, quam *deest?* Immo nescio quid gravius et suavius in isto. Cicero Bruto: 'Intelligens dicendi existimator uno aspectu et præteriens de oratore sæpe judicat. Videt oscitantem judicem loquentem cum altero, &c. intelligit oratorem in ea causa non adesse, qui possit animis judicum admovere orationem, sicut fidibus manum.' *Gronovius.* Ego aliter ac Lipsius interpretor: scilicet offensum Tiberium, non quod *caput reipublicæ* nominaretur, sed quod artes suas, quas maxime occultas vellet, detegi videret: quasi dixerit Haterius: Quamdiu rogari vis? nimium nos detines, ac ludificaris istis ambagibus tuis: ne amplius dissimules, sed jam accipe imperium. Fortasse etiam suspicatus est Tiberius idem fere sibi Haterium voluisse atque ille, qui Suetonio referente in Ti. c. 28. dixit, 'Aut agat aut desistat.' *Pichena.* Bene interpretatur Lipsius. Si enim se fatetur reipublicæ caput, abolet una omnem potestatem senatus. Is enim verum imperii caput: unde Otho Hist. I. 84. 'Nec illas adversus senatum voces ullus unquam exercitus audeat. Caput imperii et decora omnium provinciarum,' &c. *Gruterus.* Vis et nostras ineptias? Tiberius dici sibi putavit: Quousque sines rempub-

licam quasi truncam et absque capite, quod scis esse atque esse debere Cæsarem, neque ex illis, qui nomen hoc ferunt, alium quam temetipsum esse posse, nisi bellum civile volumus existere? Nolebat autem sciri Cæsarem reipublicæ caput esse, quippe *ignota etiam tum Cæsarum potestate*, quam ipse *onerosam servitutem* vocabat, et Principem *servire Senatui oportere* dicebat. Nolebat suspicari homines, si Cæsar caput rerum foret, spe successionis in imperio id se nomen admisisse. Invitus audiebat per ipsum stare, quo minus rempublicam quæcunque pars, nedum caput, deficeret. Nolebat notescere alium principem ac reipublicæ caput esse non posse, qui *modestiam* loquebatur et malle privatum pati se simulabat, cum jam eo processisset et milite et provinciis occupatis, ut privatus vivere non quiret. Præterea illud, *quousque*, impatientiam quandam et familiaritatem præfert, multum rogari et rogando fatigari volentis, nec nisi tardissime exorandum sese præbituri, mimum agenti contrariam. *Gronov.*

Jure tribuniciæ potestatis] Quo poterat impedire, ne quicquam ratum esset eorum, de quibus referebatur. *Muretus.*

Ejusque curatissimis] Ita correxi: vulgo, *et usque.* Lipsius.

Curatissimis precibus] Vera lectio manuscripti. Impressi omnes *accuratissimis.* Infra l. II. 'curatius disseram.' Lib. XIV. 'ludos curatius editos.' Lib. XVI. 'diurna populi R. curatius leguntur.' *Pichena.*

CAP. 14. *Alii parentem*] Dio: Καὶ πολλοὶ μὲν μητέρα αὐτὴν τῆς πατρίδος, πολλοὶ δὲ καὶ γονέα προσαγορεύεσθαι γνώμην ἔδωκαν. Eadem quæ Tacitus, sunt et apud Suetonium, quem vide c. 50. et 51. *Muretus.*

In deminutionem sui] Sic Ms. Vulgo, *in diminutionem.* Idque etiam ex eodem correxi lib. II. Semper enim *deminuere* Tacitus, non *diminuere.* Pich.

Aramque adoptionis] Ludos hic facit vir doctus, equite non plaudente. Damnat lectionem veterem, et multis verbis suadet hanc novam, *æraque adoptionis:* quasi Tiberius, inquit, in æs incidi adoptionem publiceque proponi vetuerit. Mi homo, hodie nihil credo tibi.*

* Passim in lapidibus et Nummis, *Divi filia* lego: ut in marmore Hispaniensi:

IVLIÆ. AVG.
DIVI. F. MATRI
TI. CÆSARIS. AVG. PRIN
CIPIS. ET. CONSERVATORIS
ET. DRVSI. GERMANICI
M. CORNELIVS. PROCVLVS
PONTIFEX. CÆSARVM.

Nummo æreo, S. P. Q. R. DIVAE. IVLIAE. AVGVSTI. FIL. carpenti forma tracti a duobus mulis. *Lipsius.*

Aramque adoptionis] Sic *Paci Aug. Sacrum*, quia pacem cum Parthis Augustus fecisset. *Fortunæ Reduci Sacrum*, quod rediisset. *Victoriæ Aug. Sacrum.* Sic ergo *aram adoptionis*, quia curante Augusta Tiberius in familiam Cæsaris adoptatus esset. *Muretus.*

Candidatos præturæ XII.] Prætorum origo, progressus, augmentum, satis ambigue tradita: etiam ab iis, quibus hæc una cura fuit. Ego breviter rem expedivi, et ad historiæ fidem; quæ vide, si vis, in Excurs. in *D.* Lipsius.

Numerum ab Augusto] Diffuse magis Velleius: 'Post redditum cœlo patrem, et corpus ejus humanis honoribus, nomen divinis honoratum: primum Principalium ejus operum fuit ordinatio comitiorum, quam manu sua scriptam D. Augustus reliquerat; quo tempore mihi fratrique meo candidatis Cæsaris destinari Prætoribus contigit. Consecutis, ut neque post nos quemquam D. Augustus, neque ante nos Cæsar commendaret.' *Idem.*

CAP. 15. *Tum primum comitia*] Co-

mitiorum res, amissa libertate, varie habita: ac vide omnino in Excurs. quæ huc faciunt, litera *E*. Lipsius.

Ludos, qui de nomine Augusti] * acta sunt.' At Suidæ Augustale etiam locus est, in quo præfecti regionum et cultores Augusti saltabant, Idibus Octobris. Video hominem alludere velle ad hos ludos, sed ita, ut eum plane non capiam: Αὐγουστεῖον, inquit, ἐκλήθη, διότι τῇ ιε′ τοῦ Ὀκτωβρίου μηνὸς οἱ ῥεγεωνάρχαι καὶ σεβαστοφόροι ἐχόρευον ἐν τῷ Αὐγουστείῳ, οἷον ἐν τῷ ὀψοπωλίῳ, εἰς τιμὴν Τιβερίου. * Scies tamen et alios ludos fuisse, quos intellegit et Ovidius l. IV. de Ponto: 'Pontica me tellus, quantis hac possumus ora Natalem ludis, scit celebrare Dei.' Sed eos cave cum Augustalibus confundas. *Idem.*

Vocarentur] * Pro *vocantur* est positum. Ut apud Ciceronem pro Cæcina: 'procurator dicitur omnium rerum ejus, qui in Italia non sit absitve reip. causa:' pro *qui in Italia non est abestve:* nam profecto ejus, *qui non sit in Italia*, hoc est, qui deinceps abfuturus sit, proprie non est procurator. Cæterum in obliquis orationibus frequentissimus hic est usus. Quot exempla in una oratione Mithridatis apud Justin. 38. 'militibus, qui Aquilium fuderint: cum sibi Phrygiam ademerint, quam proavo suo Seleucus in dotem dedisset.' In directa oratione diceretur: *qui Aquilium fuderunt: Phrygiam ademerunt, quam Seleucus dedit.* * Freinsh.

Utque per circum triumphali veste uterentur] Justinus lib. XVI. de Clearcho: 'Veste purpurea et cothurnis regum Tragicorum et aurea corona utebatur.' Dio lib. LVI. extremo: τά τε Αὐγουστάλια οἱ δήμαρχοι, ὡς καὶ ἱεροπρεπεῖς ὄντες, διατιθῶσι· καὶ οἱ μὲν τὰ ἄλλα, ὥσπερ εἰώθει γίγνεσθαι, ἔπραξαν· καὶ γὰρ τῇ ἐσθῆτι τῇ ἐπινικίῳ ἐν τῇ ἱπποδρομίᾳ ἐχρήσαντο· οὐ μέντοι καὶ τοῦ ἅρματος ἐπέβησαν. At vir nobilis apud Tacitum corrigit, *triumphali veste veheretur.* Nimirum eam his verbis sententiam tribuit, quæ requirit ex superioribus intelligi τὸ *petivere:* tanquam sit integrum, *iidem tribuni petivere, ut per circum triumphali veste veherentur:* sic putat duplex eorum desiderium exponi, alterum de veste, alterum de curru, quod quia mox negatum dicatur, concessum illud apparere. Me vero a vetere scriptura tenenda nondum deterret hæc ratio. Neque enim petitionem tribunorum, sed decretum senatus aut responsum ad petitionem ea verba continere censeo; sive illi aperte utrumque postularint, sive jus edendorum ludorum complectebatur hos honores, ut etiamsi nominatim mentio de illis facta non esset, eos fuerint usurpaturi, nisi Senatus de altero vetuisset. Suppleo autem, quod compendifecit Tacitus vel ex præcedentibus vel ex subsequentibus. Satis enim commode intelliges, quasi dictum esset: Decreta pecunia ex ærario: simulque decretum, ut per circum triumphali veste uterentur. Nec minus commode: Utque per circum triumphali veste uterentur, permissum; curru vehi haud permissum. Quale illud l. XIII. 55. 'Deesse nobis terra, in qua vivamus; in qua moriamur, non potest.' Ubi perinde dissimulatum τὸ *potest*, ut illic τὸ *permissum.* Gronovius.

Curru vehi haud permissum] Ne prorsus æquarentur potestati majori. De curru Prætorum in Circo, Juvenalis: 'Quid si vidisset Prætorem in curribus altis Exstantem?' Plinius: 'Non vetus et bigarum celebratio in his qui prætura functi, curru vecti essent per Circum.' De Consulum, Plinius alter in Laudatione Trajani: 'Nos sub tuis oculis augustior solito currus accipiet: nos inter secunda omina et vota certantia vehemur alacres, et incerti utra ex parte major auribus nostris clamor accidat.' Scripsique de his uberius peculiari De spectaculis libro, cui Saturnalia Index. *Lipsius.*

CAP. 16. *Aut gaudium*] Male hoc additur. Sic l. XIV. 'et natos vel repertos.' Sic apud Xenophontem I. Ἀναβ. ἀλεύρων ἢ ἀλφίτων, cum legendum sit tantum ἀλφίτων. Sic apud Aristotelem lib. I. Rhetor. ὅτι οὖν ἢ ὁντινοῦν, cum et apud Halicarnasseum legatur tantum ὅτι οὖν. Apud Ciceronem in Academ. 'et velut jam ante Socratem,' cum legendum sit, *et jam ante Socratem*. Multa talia indicavi in Variis lect. l. XV. c. 16. *Muretus*. Rem ita habere puto. Ob mortem Principis *justitium* indici solitum erat. C. Cæsar indixit etiam in morte sororis. Seuton. c. 24. Ibi igitur publicæ functiones intermittebantur per mœrorem. Rursus ob novum Principem feriæ celebrabantur tamquam ex publica lætitia: quod hic signatur per vocem *gaudium;* quam qui Blæso accommodant, ut propriam, falluntur. Utraque hæc causa, alia succedens alii, effecit, ut Blæsus *intermitteret solita munia:* hoc est, ab exercitu non exigeret, sed ferias ei otiumque concederet. In his omnibus nemo interpretum plane mecum sentit: sed alius alio divertit longius. Nam plerique Blæsum socordiæ et negligentiæ in sua functione administranda arguunt. *Freinshemius*.

Dux olim theatralium operarum] * Plinio etiam operæ in Circo; sed a me correcto: l. VIII. c. 6. 'L. Piso inductos dumtaxat [Elephantos intellegit] in Circum, atque ut contemptus eorum incresceret, ab operariis hastas præpilatas habentibus per circum totum actos;' ubi, *ab operis* scribendum esse confirmo. *Lipsius*.

Theatralium operarum] Eorum, qui operam suam locabant ad fabulas agendas. *Muretus*. Video quid virum magnum deceperit. Sic enim Suetonius Aug. 43. 'Ad scenicas quoque et gladiatorias operas etiam equitibus Romanis aliquando usus est.' Et cap. 45. 'Universum denique genus operas aliquas publico spectaculo præbentium etiam cura sua dignatus est.' Nerone c. 12. 'item Pyrrichas quasdam e numero epheborum, quibus post editam operam diplomata civitatis Romanæ singulis dedit.' Itaque Salinerius quoque Lipsio cornua obvertens, *ducem theatralium operarum* facit, qui regit gregem histrionum: qualis qui in Terentii Hecyræ et Heautontimorumeni Prologo loquitur, eum sumere sibi suoque gregi comœdias recitandas, quas alii composuerunt: et addiscendo multa, multa recitando non ineptum ad turbas conciendas evadere. At non de his Tacitus, cui *operæ theatrales* sunt in spectatoribus, qui plaudebant ipsi primi, et fautores plausoresque histrionibus comparabant. Hi sunt, quos Plautus egregie describit in prologo Amphitruonis: 'Ut conquisitores singuli in subsellia Eant per totam caveam spectatoribus, Si cui fautores delegatos viderint, Ut his in cavea pignus capiantur togæ. Sive qui ambissent palmam histrionibus, Seu cuiquam artifici, seu per scriptas literas, Sive qui ipsi ambissent, seu per internuntium.' Habes omnem operam, quam præstabant hæ operæ. Eodem pertinet infra: 'Ut conquisitores fierent histrionibus Qui, sibi, mandassent, delegati ut plauderent, Quive, quo placeret alter, fecissent, minus.' Nimirum *operæ theatrales* sunt *fautores delegati*. Nam quod ex Cœlio Rhodigino l. VIII. 8. nescio quod nubilum Plauti monent illustrari, et Cælius et ipsi tenebris circumfusi sunt. Plinius Epist. VII. 24. 'At Hercule alienissimi homines in honorem Quadratillæ (pudet me dixisse honorem) per adulationis officium in theatrum cursitabant, exsultabant, plaudebant, mirabantur: ac deinde singulos gestus dominæ cum canticis reddebant: qui nunc exiguissima legata theatralis operæ corollarium accipient ab hærede, qui non spectabat.' Ubi longe devius a vero doctissimus Aug. Buch-

nerus. Corrigit se, inquit, quod id, quod Quadratillæ mimi præsente domina faciebant, non honor esset, sed adulatio turpis. Immo, corrigit, quod eos, qui Quadratillæ pantomimis studuerant, id in honorem dominæ fecisse dixerat. Scribendum : *(pudet me dixisse honorem, per adulationis officium)* ut intelligas ad posterius membrum, *immo*, vel *volui dicere*. Nisi simplicius est, *(pudet me dixisse honorem, quod est adulationis officium) in theatrum*. Gruterus hic aliquid esse scabri vidit. *Cursitabant*, (pergit) quasi cupidi eam videndi. Non eam, sed pantomimos ejus. *Exsultabant* (addit) quasi exhilarati ejus aspectu. Nequaquam, sed simulantes ita se permoveri ac pertentari artificio saltantium, ut decoris obliti quiescere ac locum tenere segnes non possent. *Plaudebant, mirabantur* (subnectit) ut gratulabundi et qui magnifacerent ipsius dotes. Non ipsius, sed pantomimorum : neque ex animo ; sed ut plaudendi principium esset, utque haberent, quod imputarent dominæ. Volebant enim suos in hoc genere laudari. Lucianus περὶ τῶν ἐπὶ μισθῷ. *Ἢν μὲν γὰρ κατείπῃ σού τις ψίθυρος οἰκέτης, ὡς μόνος οὐκ ἐπῄνεσας τὸν τῆς δεσποίνης παιδίσκον ὀρχούμενον ἢ κιθαρίζοντα, κίνδυνος οὐ μικρὸς ἐκ τοῦ πράγματος· χρὴ οὖν χερσαίου βατράχου δίκην διψῶντα* (f. διψῶντος) *κεκραγέναι, ὡς ἐπίσημος ἔσῃ ἐν τοῖς ἐπαινοῦσι καὶ κορυφαῖος, ἐπιμελούμενον· πολλάκις δὲ καὶ τῶν ἄλλων σιωπησάντων αὐτὸν ἐπειπεῖν ἐσκεμμένον τινὰ ἔπαινον πολλὴν τὴν κολακείαν ἐμφανιοῦντα.* Denique, Sed eo non contenti, ait, *singulos etiam gestus dominæ*, et eos *cum canticis reddebant*, id est, imitabantur et exprimebant, accinentes saltando aliquid, quo dominæ laudes attollerent. Nulla hic sublatio laudum aut imitatio gestuum dominæ : sed cum Numidia præsens in theatro non fuisset, hi clientes ad patronam domum venientes narrabant ἀπημερήματα pantomimorum ejus, ut scenam tenuissent, quos plausus meruissent : quin etiam addebant, quæ cantica ab tragœdo pronuntiata quibus gestibus effinxissent, ipsique eos repræsentabant saltando, in quibus placuerant maxime : nulla alia de causa, quam ut Numidia talibus mancipiis aut libertis gauderet, ipsi cum viva cœnarent, in mortuæ tabulis angusto loco hærerent. Eodem pertinet, quod Suetonius refert de Nerone c. 20. 'Adolescentulos equestris ordinis, et quinque amplius millia e plebe robustissimæ juventutis elegit, qui divisi in factiones plausuum genera condiscerent, operamque navarent cantanti sibi.' Denique *duces theatralium operarum* sunt, quos idem Suetonius appellat in Tiberio c. 37. *capita factionum*. Ad has etiam operas pertinere videntur tesseræ in reliquiis antiquariorum, inscriptæ *SP.* vel *SPECT.* vel *SPECTAVIT.* in quibus laborat Laur. Pignorius. Vult autem conductos quosdam gladiatores olim rude donatos, qui spectarent : et nomina servilia in iisdem *Anthus, Faustus, Ingenuus, Olympus, Repentinus, Hermes, Felix, Philodamus, Philargurus* esse illorum, a quibus, cui tessera obtigisset, pecuniam posceret ; aut etiam ipsorum rudiariorum, qui spectassent ; denique si nihil aliud, statuendum hujusmodi tesseras in usu fuisse, ut spectatores inde aliquid lucrarentur. Suspicabar tesseras illas fuisse inter fastidia divitum, qui a clientibus suis frequentari spectaculum, sive ab ipsis datum, sive ad illud editori histriones, equos et aurigas, homines ad ferrum præbuissent, quibus plaudendi auctores utique deesse nollent, sua referre putarent : nomina autem esse custodum appositorum ad observandum, qui præsto fuissent, qui non : atque eos, qui officium fecissent, pro testimonio tesseris acceptis a custodibus istis et ad regem suum despensatoremve ejus allatis cœnulam vel sportulam vel aliud

quid præmioli meruisse. *Gronovius.*

Histrionali studio] Quoniam ibi quoque grex unus sæpe dissociandus erat et spargenda seditionum semina, ut alii histriones ab aliis secederent. *Muretus.* Hic error sequitur priorem. *Gronovius.*

Imperitos animos] Justinianus de militari testamento: ‘Supra dicta diligens observatio in ordinandis testamentis, militibus propter nimiam imperitiam illorum constitutionibus principalibus remissa est.’ *Idem.*

Delapsis melioribus] Scribe, *dilapsis*, i. e. cum meliores jam se ad curanda corpora recepissent. Sic l. II. ‘Neque Cæsari copiam pugnæ obsessores fecere, ad famam adventus ejus dilapsi.’ Et l. XI. ‘Cæteris passim dilabentibus affuere centuriones.’ Libro tertio Annalium ab excessu Neronis: ‘donec fatisceret seditio, et extremo jam die sua quisque in tentoria dilaberetur.’ *Labi* pro eodem dixit Juvenalis Sat. VI. ‘Labente officio crudis donanda:’ id est, iis, qui ad celebrandas nuptias officii causa convenerant, discedentibus ac dilabentibus. *Muretus.*

CAP. 17. *Alio vocabulo*] * Dicti sæpe item Vexillarii: ut mox, ‘Vexillarii discordium legionum:’ in Historiarum libris, *Vexillarii* XIII. XV. legionum, &c. De iisdem laboribus, quod addunt: mentiuntur. *Lipsius.*

Ac si quis tot casus] Nonne melius? *si qui tot casus vitæ superaverint.* Idem.

Si quis tot casus vita superaverit] Vetus scriptio non absurda videbitur iis qui Thucydidem et Sallustium venerantur. *Quis* amplectitur utrumque numerum: ‘quanto quis illustrior, tanto magis falsi et festinantes.’ Terentius Adelph. ‘aperite aliquis ostium.’ Unde hæc, nisi ab Homero? Iliad. O. ἡ πληθὺς ἐπὶ νῆας Ἀχαιῶν ἀπονέοντο. Et alibi: οἱ δ' ἄλκιμον ἦτορ ἔχοντες Πρόσσω πᾶς πέτεται. *Salin.*

Vita superaverit] Non inepte quidem, quibus magis adlubescit *vitæ:* sed nihil tamen prohibet, quin tueamur *vita*, casu sexto, pro vivendo, seu vivacitate. *Gruterus.* Cæsar VI. de bello Gall. ‘uter eorum vita superarit, ad eum pars utriusque cum fructibus superiorum temporum pervenit.’ Virgilius II. Æneid. ‘Atque iter emensi casus superavimus omnes.’ *Gronovius.*

Denis in diem assibus] Gordius, ut multis visum, hic nodus: nec ego tamen Alexander: solvi enim, non abrupi: et Excurs. nostros adi in *F.* Lipsius.

Decem assibus animam et corpus æstimari] Alciatus hunc ostendere locum putavit denarium decem æris esse. Quod rejicit a primo Ferretus, tanquam nihil dici potuerit alienius, planissimum enim et hinc fieri pluris esse *denarium* quam *denos æris*, Pliniumque et Volusium id confirmare; eoque ipse mirari, cur idem Plinius ‘in militari stipendio semper denarium pro decem assibus datum’ scribat. Mox et Suetonium ait non congruere cum Tacito: apud eum contendere seditiosos, ‘ut stipendio prætorianis æquarentur;’ petisse igitur binos. Inde ut in concordiam redigat Tacitum et Suetonium, repetit, quod spreverat, denarium esse decem asses, binos petisse militem, et quod dicitur, ‘ut singulos denarios mererent,’ explicat, singulos, vel alios decem asses, præter illos, quibus queruntur ‘animam et corpus æstimari:’ tum, ‘ut denarius diurnum stipendium foret,’ supra denos videlicet ordinarios asses. Vertranius notat pro ea, quæ fuerit veteris disciplinæ observatio, denarii æstimationis auctæ nullum milites commodum sensisse, quamvis in paganorum commercio denarius (in quo vetustiores denos æreos asses constituerant) sexdecim asses valuerit, Vitruvio, Plinio et Mæciano testibus. Lipsius contra Ferretum disputat: ubi quod de denario duodecim as-

sium, explosum satis. Reprehendit etiam, quod posuerat Ferretus ex Suetonio, seditiosos æquari voluisse prætorianis: de Germanico enim id dici, non de Pannonico exercitu: sed ipse deceptus est prava lectione verborum Suetonii, quæ Torrentius correxit. Nec vero necesse est Suetonium et Tacitum idem per omnia dicere: tradidit enim uterque, quod a suis auctoribus accepit. * *Gronovius.*

Hinc vestem, arma] Vides ergo, aucto a Julio vel ab Augusto stipendio, abrogatam illam Gracchi legem, qua militi e publico vestem dari jussit, sine ulla stipendii detractione. Quod fugerat me admonere in Electis, cap. de stipendio. Ambigas tamen an secuti principes iterum non reduxerint Gracchi hac parte legem. Lampridius certe in Alexandro: 'Donavit,' inquit, 'et ocreas, et braccas, et calciamenta inter vestimenta militaria:' et post in persona Principis: 'Qui acceptam a provincialibus annonam, qui vestem, qui stipendia vobis attribuit.' *Lipsius.*

Vacationes munerum] Scripsi ea de re ad libros Historiarum. *Idem.*

Præmium pecunia] Quale istud pecuniarium præmium? Pete ab Excurs. nostris, in G. Idem.

Quæ binos denarios acceperint] Simplicius forsan *acciperent*, quod marginibus allinunt. * *Gronovius.*

Quæ post sexdecim annos] Lapsus ergo Dio, qui l. LIV. diserte tradit, Augustum definisse annos Prætoriis cohortibus duodecim, aliis sedecim. Nisi tamen id decretum mutatum postea, anno DCCLVIII. Quod apparet ex eodem Dione, l. LV. ubi de præmiis militaribus; quem adi. *Lipsius.*

Sibi tamen apud horridus] Rhenanus legit *ibi tamen.* At perfamiliare esse Tacito *sibi* pro a se, *mihi* pro a me, &c. sexcenta apud ipsum exempla probant. *Pichena.*

CAP. 18. *Simul congerunt cespites*] * Statius in Silvis: 'Hic suetus dare jura parens, hoc cespite turmas Adfari.' Ammianus l. XXIII. 'Ipse aggere glebali assistens, coronaque celsarum circumdatus potestatum, talia ore sereno disseruit.' Claudianus de bello Getico: 'Dictis ante tamen princeps confirmat ituros, Aggere conspicuus; stat circumfusa juventus Nixa hastis, pronasque ferox accommodat aures.' *Lipsius.*

Properantibus Blæsus advenit] Si fuisset in unico libro *Operantibus*, non huic istud præferrem. Suetonius Claudio: 'canalem absolvit ægre, et post undecim annos, quamvis continuis triginta hominum millibus sine intermissione operantibus.' Noster infra: 'Miscetur operantium bellantiumque clamor.' Vegetius de re mil. II. 22. 'sive ad opus aliquod, sive ad decursionem campi exeunt milites, tubicine vocante operantur, et rursus tubicine admonente cessant.' *Gronovius.*

CAP. 19. *Incipientes principis curas*] Recte. An tamen *incipientis* scripsit? Sic inferiore sane ætate 'incipientem orientemve principem' dixerunt. Paneg. pro Flaviensibus: 'Illa enim, quæ te incipiente suscepta, omnibus populis jure communia.' Et initio Paneg. Maximiano et Constantino, 'oriens imperator' dicitur. *Acidalius.* Satis placent *incipientes curæ.* Sic Ovidio II. de arte: 'incipiens omnia sentit amor.' Et in XII. Metam. 'Barba erat incipiens.' Noster Hist. I. 'incipiens adhuc et nondum adulta seditio.' *Gronovius.*

CAP. 20. *Ob itinera*] Expeditionem ergo meditabantur, eoque hæc præcurabant: neque alio fine simul in æstivis erant. *Lipsius.*

Vexilla convellunt] Quidam interpretantur, quasi reperissent *explicant* pro *convellunt.* Alii exponunt corripere; ex terra, cui infigi solebant, evellere, ut præferrentur manipulis: quod profecto non absurdum est. Neque enim ignoro, *convellendi* ver-

bum hoc significatu quandoque poni. Livius XXII. 3. 'signa convelli juberet,' eandemque phrasin statim bis repetit. *

* Vide Hist. I. 41. 'Vexillarius cohortis dereptam Galbæ imaginem solo adflixit.' Nam sacramento militari continebatur, ne signa desererent. Seneca epist. 95. 'Primum militiæ vinculum est religio, et signorum amor, et deserendi nefas.' Vide quæ olim notavimus ad Florum I. 11. Sic inter has seditiones Mennius *raptum vexillum ad ripam vertit, et si quis agmine discessisset, pro desertore fore clamitans, reduxit in hiberna turbidos et nihil ausos.* Igitur hi putaverunt, si vexilla rupissent veluti solutos se sacramenti religione fore: quæ res etiam inter nostræ militiæ flagitia non ignobilis est. Neque etiam video, ad vicos diripiendos quorsum vexilla præferri voluerint. *Freinshemius.*

* Quod vero ait se nescire, quorsum ad diripiendos vicos signa prætulerint; equidem non prætulerunt signa vicorum diripiendi ergo, sed proficiscendi. Sed tamen quemadmodum paullo ante operabantur subrectis vexillis, ut appareret militari eos munere fungi, et milites esse, non viles manus undique contractarum aut oblocantium semet operarum; sic inter movendum ad secundam rabiem versis stetisse vexilla, etsi non narretur, credibile satis est, et moris securitatisque causa (non enim sine custodibus facile relinquebantur) et ut ostenderent se milites esse, fraudatos justis, et indigne habitos, atque ob id iratos et pignora capientes; non latrones et prædones meros. Vide quæ ad Livii III. 54. diximus. *Gronovius.*

Nauporto] Meminit et Velleius. Strabo collocat in Tauriscis, situ ab Aquileia stadiis 350. sed vocat Ναύποντον, corrupte, ut opinor. *Lipsius.*

Aufidienum Rufum] Haud mutarim nomen cum Gallorum ut doctissimo, ita longe optimo in *Nasidienum:* nam *Aufidia* gens, unde *Aufidienus,* æque celebrata ut *Nasidia,* unde *Nasidienus.* Gruterus.

Præfectum castrorum] Munus fuit, nescio an antiquum. Mentionem quidem ejus ante Principes nondum inveni: postea, sæpius. Vide Excurs. in *H.* Lipsius.

Quem direptum vehiculo] Ms. *dereptum* aptiore notione. *Pichena.*

Vehiculo] Honestiores ergo militum etiam tunc in vehiculo aut equo. *Lipsius.*

Invictus operis] Medicea scriptura, *intus operis:* verum censeo, *vetus operis.* In Tacito *vetus militiæ,* et in Silio ipsa hæc verba: 'gnaros belli, veteresque laborum.' *Lipsius.*

Intus operis ac laboris] Sic liber unicus et primæ editiones. Phil. Beroaldus *invictus operis ac laboris,* quod pleræque receperunt. Rhenanus *attentus operis ac labori,* ut *operis* dandi casu dictum intelligatur numero plurativo. Ferretus quoque quasi ex Medicæo, *invictus:* sed falsus et fallens alios. Vertranius *invictus operis ac labore;* eo maxime, inquit, quod Codici Tusco inest *invictus:* nisi magis placeat *intentus operis ac labori.* Ant. Augustinus apud Ursinum: *intus operis ac labore foris.* Muretum probare *immitis,* nec se improbare, quia *immitior* sequatur, Guilelmium alicubi *incus,* scribit Acidalius. Denique ad supplendum numerum sententiarum, *ut vetus* Lud. Aurelius, *intentus operi ac labori* Marcus Assuerius. De quibus, opinor, si vidisset omnia, dixisset, qui de quibusdam dixit: Nugæ meræ. Taciti mens Rufum illum, ut qui diu manipularis militaverit, expertum atque adsuetum fuisse operis ac laboris, quod peregregie exprimit vox *vetus* frequens auctori nostro. Lib. VI. 'scientiæ cærimoniarumque vetus.' Lib. eodem 'vetus regnandi.' Histor. l. IV. 'veterem expertumque belli.' Cujus contrari-

um l. xi. 'legiones operum ac laboris ignaras.' Recepi itaque in seriem eam vocem, et significatione et similitudine et jure suo id exposcentem eo tutius, quod eodem fere tempore id ipsum venisse in mentem doctissimo Lipsio, ejus postremis notis, conspexi. *Pichena.*

CAP. 21. *Damnatos sibi jam miscent*] Faërnus legebat: *ac rerum capitalium damnatos sibi immiscent.* Ursinus. Conjiciebam aliquando, *sibi admiscent*, tanquam si orta lectio altera ab veteri scribendi ratione *ammiscent.* Gruterus. Suspecta mihi est particula *jam*, ut supervacua, nec ex Corneliana phrasi. Legerim, *sibi immiscent.* Infra l. ii. 'ne quietas provincias immixti turbarent.' Lib. iv. 'quibus adhuc necessitudinibus immiscere te mihi parem.' Histor. l. v. 'nec parvis periculis immixtus.' *Pichena.*

CAP. 22. *Ubi cadaver abjeceris*] Ingratus labor est Alb. Gentilis l. ii. de nuptiis ex JC. reliquiis, quod Velleio impegerat Titius, *ubique ire* defendentis. Quis ignorat illam ætatem multa sibi permisisse, quæ neque Velleius neque æqualium ejus quisquam dicendi studiosus ausi? Addit e Livio corruptum *accitusque ibi.* Non melioribus utitur auctoribus in Assertione Titius: quæ a melioribus petit, aut corrupta aut aliena sunt. Ut cum e Gellio, 'ubi transiret' pro *ut transsiliret;* ex Panegyrico, 'ut ubique possint ire, festinant;' ubi exstat, *ut ubique prosint, ire festinant.* Sic e Virgilio: 'Gratior et pulcro veniens in corpore virtus;' quasi voluerit ille, *virtus veniens in corpus,* et non *virtus in pulcro corpore οὖσα,* vel si sit, *gratior veniens,* accidens, apparens. Tum Propertii *arcem sedisse* vel *sidisse in cineres* (si tamen sic scripsit) quis non videt esse combustam et collapsam ruisse in cineres? At Barthius *Ubi* pro *Quo* damnasse Caprum Grammaticum, ita loqui tamen hic Tacitum, cui se quam toti gregi Caprorum credere malle festive ait Adver. xxxiii. 5. Quicquid conentur, cum Latine loquimur, sicubi τὸ *Quo* requiritur, illic τῷ *Ubi* locus non est: et recte quidem dicimus *quo abjeceris;* sed pro eo non dixit Tacitus *ubi abjeceris,* verum more illo suo prægnantes sensus breviter efferendi pro eo, quod est, ubi non humaveris aut condideris, sed jacens sub dio reliqueris: vel, ubi non tenui terræ injectu contectum, sed sic abjectum relinqui jusseris feris lacerandum. *Ubi abjeceris,* ubi sine justis posueris; ubi feceris, ut fœde jaceat. Higinus fab. 165. 'cantans se in aqua aspexit, et vidit se merito irrisam, unde tibias ibi abjecit.' *Gronov.*

Ne hostes quidem sepulturam invident] Ms. *sepultura.* Nonne elegantius et brevius *sepulturæ* germano Taciti more? Lib. xiii. 'invidit operi.' Lib. xv. 'non invidebo exemplo.' Nisi aberrat memoria, quarto casu Tacitus nusquam. *Pichena.* Cum exstet in calamo exarato codice *sepultura,* revocandum est; ei enim casui jungi posse pluribus alio loco ostendi. *Gruterus.* Nimis vellem, de pluribus hic aliquid prælibasset: neque enim, quis hoc verbo sic usus sit, memini. At *sepulturam*, an *sepulturæ* scribas, ciccum non interduim: nam utrumque auctores habet optimos. Quia et cum *invidere alicui* dicitur, semper intelligi accusativum, censeo, rei quæ invidetur: et cum *invidere aliquid*, dativum personæ, cui invidetur. Cicero cum in Attio notat, 'Quis florem liberum invidit meum,' non improbat *invidere aliquid alicui*, sed *invidere aliquem* pro *alicui.* Neque id veteribus placuisse video: et vereor ne in Attio præcesserit membrum orationis, in quo esset τὸ *mihi*, in his repetendum. Scio Scioppium aliter sentire in Paradoxis, sed nihil me movet. Horatii, 'ego cur acquirere pauca Si possum, invideor;'

non ultra producendum est. Ovidii in Epistola Laodamiæ, *Troadas invideo,* corruptum est pro *Troasin invideo,* ut animadvertit Salmasius, et merito secutus est Heinsius noster. Apud Quintilianum l. IX. 3. liber optimus: 'ut huic rei invidere; non, ut omnes veteres et Cicero præcipue, hanc rem.' Qui tamen errat: nam 'invidere alicui' Plautus, Varro, Lucretius, Cicero ipse dixerunt. Quod autem cornicatur Scioppius, cum legimus, *invidit commodis eorum*, supplendum esse *invidia* vel *invidere* nominis vim habens, nihil agit. Potius *proventum*, aut *continuationem.* Sic 'ne hostes quidem sepulturam invident,' puta *mortuis: sepulturæ*, cogita *τὸ γίνεσθαι* vel *fieri.* 'Invidit operi,' nempe *incrementa* vel *successum.* 'Non invidebo exemplo,' *τὸ existere:* non prohibebo, ne fiat. *Idem.*

Ii sepeliant] Muretus *hi* et Lipsius ad marginem. *Acidalius.* Non admodum religiose scriptores circa pronomina versantur: proinde non est hic accipiendum *hi.* Plautus Menæch. 'Arcesse homines, qui illum ad me deferant.' Deinde: 'Tu servos jube hunc ad me ferant.' Præsentem dicit *illum* et *hunc.* Sticho: 'Nam pol mihi grata acceptaque hujus est benignitas.' Loquitur de viro absente. Suetonius in Cæsare: 'Rhodum secedere statuit. Huc dum hibernis jam mensibus trajicit.' Dicere debuerat *illuc*, si a præfinitionibus grammaticorum discedere noluisset. *Salinerius.* Cur Lipsio non adsenserim *hi* legenti? Male in Ms. et vulgatis *ii:* nam de præsentibus loquitur, quos quasi digito demonstrat. *Pichena.*

CAP. 23. *Cui militaribus facetiis*] Moris hujus militaris exemplum item in Aureliani vita: 'Huic signum exercitus apposuerat, Manu ad ferrum: ut si forte quæreretur quis Aurelianus aliquid fecisset vel gessisset, suggereretur, Aurelianus manu ad ferrum.' De vite autem Centurionum, protrita jam res et conculcata. *Lipsius.*

Fracta vite in tergo] In militia cives Romani verberabantur vitibus, cæteri fustibus. Clare ex Livii epit. 57. de Scipione ad Numantiam: et Plinius l. XIV. 1. Unde centuriones in bello vites gestabant. *Pichena.*

Perferendis militum mandatis] Satis enim conjicere poterant, opus ipsis futurum homine ingenioso et facundo ad desideria sua, sive ad ducem, sive ad principem, aut quocumque usus posceret, per legationis speciem perferenda. Nam ut ipsi inter se voluntatem suam noscerent (ut interpretantur) facile sine Clemente consequi potuissent. Et sane res ostendit altiori negotiationi destinatum fuisse. Mox enim coram Druso mandata militum edit. *Freinshemius.*

Cognomento Sirpicum] Caussa hujus cognomenti me fugit. An forte Sirpicus, a sirpando? quod est ligare, nodoque constringere, prisca quidem voce. Unde Sirpi, ænigmata sive nodi. Quiane verberavit obsoleto illo verbo militum aures? an quia asperior in constringendis militibus duriorque? *Lipsius.*

Cognomento Sirpicum] Scirpicum eadem dicacitate nominant centurionem, a scirpo scilicet, qui junci palustris genus est, leve, planum, procerumque, sed aridum, ex quo tegetes fiunt. Festus, et Isidorus Origin. VII. 9. Puta autem in regionibus, quibus vitis aberat, eratque copia scirpi, centuriones scirpis verberasse milites. *Aurelius.* Frustra quis in eruendi hujus cognomenti origine laboret. Quin satis certum non est id ei a militibus fuisse inditum. Potuit enim et *paternum* esse *cognomen*, ut apud Horat. Epist. I. 13. ipse ejus 'cognominis hæres,' ut ait Ovidius Fast. I. *Freinshemius.*

CAP. 24. *Tristissima quæque maxime occultantem*] Et merito. Liv. l. V. 'Gens dedita religionibus auxilium Veienti-

bus negandum, donec sub rege essent, decrevit. Cujus decreti suppressa fama est Veiis propter metum regis; qui a quo tale quid dictum referretur, pro seditionis eum principe, non vani sermonis auctore habebat.' Idem l. XXIII. 'Auxit rerum suarum suique contemptum consul nimis detegendo cladem nudandoque.' Cæsar l. VII. 'Ex omni numero, qui fuit circiter 40,000. vix 800. incolumes ad Vercingentorigem pervenerunt: quos ille multa jam nocte, silentio sic ex fuga excepit (veritus ne qua in castris ex eorum concursu et misericordia vulgi seditio oriretur) ut procul in via dispositis familiaribus suis, principibusque civitatum, disparandos deducendosque ad suos curaret, quæ cuique civitati pars castrorum ab initio obvenerat.' *Gronovius.*

Qui tum custodes imperatori] Recepit ergo iterum Germanos custodes Tiberius, destitutos post cladem Varianam ab Augusto. Suetonius Aug. c. 49. De custodibus istis, alibi abunde. *Lipsius.*

Rector juveni] *Virgilius *custodem* et *comitem* vocat l. V. 'Custodem ad sese comitemque impubis Iuli Æpytiden vocat.' Spartianus in Postumo: 'Ut Saloninum filium suum Gallienus in Gallia positum crederet quasi custodi vitæ et morum et actuum imperialium.' Symmachus *monitorem* vocat Epist. III. 13. *Aurelius.*

Præmiorumque ostentator] Non hoc voluisse videtur Tacitus, tanquam ipse ostentator, sed qui exemplum aliis esset periculorum ac præmiorum. Igitur legam, *ostentatui*, vel *ostentui* phrasi Tacito familiarissima, ut et sequenti mox pagina: *Corpora extra vallum abjecta ostentui.* Acidalius. Circumloquuti sumus, qui pœnis et præmiis propositis inculcatisque officii admoneret. *Freinshemius.*

Neque insignibus fulgentes] De cultu et incultu insignium notanda quædam observo, et promo in Excurs. in *I.* Lipsius.

CAP. 25. *Portas stationibus firmant*] Sic accepi, quasi simpliciter diceret, stationes in portis collocant: neque nunc aliter sentio: quamquam non damnem diligentiam eorum, qui verbum *firmandi* numeri quoque idoneam magnitudinem complecti rati sunt. *Freinshemius.*

Atrox clamor, repente quies] Video expulsam priscam vocem, *repens quies.* Porro huic sententiæ Silianum illud plane geminum est: 'Clamor sæpe repens, et sæpe silentia fixis In tellurem oculis.' Clamor autem, cum terrerent, ut sequitur; quies, cum timerent. *Lipsius.*

CAP. 26. *Mandata Clementi centurioni, quæ præferret*] *Perferret*, reposui jubente Ms. Supra, 'qui perferendis militum mandatis habebatur idoneus.' Lib. XIV. 'gladiumque, dum mandata perfert, abjicit inter pedes ejus.' *Pichena.* At Aurelius, 'Barda mea mens,' ait, 'si excusæ lectioni patrocinaret:' vultque *proferret* et *proferendis:* neque hic tantum, verum et apud Plinium l. XVIII. 3. 'Viator, Vela corpus, inquit, ut proferam senatus populique Romani mandata.' Et in Plinio quidem jam sic ediderunt: sed tamen notant in optimo Chiflet. esse *perferam.* Nec dubito, quin rectius. Neque enim perlata sunt, priusquam audita et pronuntiata: et pronuntiando traduntur, quod quid aliud quam *perferuntur.* Similiter apud Juvenalem Sat. VI. ver. 390. 'dictataque verba Pertulit,' genere loquendi Satiram admodum decenti in precibus præsertim parum probatis a sacerdote præeunte 'ad Deos scilicet secundum consuetudinem,' ut habet vetus Scholiastes. Non ergo *protulit.* Gronovius.

Denarius diurnum stipendium] Ferretus putavit sic accipiendum hunc locum, quasi bini denarii poscerentur. Sed falli Ferretum ostendit hoc loco Lipsius, firmatque denarium

Augusti et sequentium principum ævo duodecim assibus valuisse. Certe ex Polybiano loco II. 15. (quem contra Hotomanni conjecturam tuetur) adstruit accuratissimus Savile, eo tempore, Polybii scilicet, tot assibus permutatum. Sed Snellius de re numm. contra Lipsium ostendit, denarium Augustæis temporibus sedecim assibus æstimatum fuisse, ex Vitruvio III. 1. Hoc igitur voluerunt milites, ut loco decem assium daretur denarius *in specie*, ut nostra ætate didicerunt loqui rustici nostri, postquam per grassationes monetarias bonis suis propemodum evoluti, sero intellexerunt in re nummaria corporum magis ipsorum quam appellationis et nominis habendam esse rationem. Denarium autem drachmæ suæ compararunt Græci: sicut in hoc ipso negotio Dio l. LVII. δραχμὴν ἡμερησίαν vocat, quod noster *denarium diurnum;* frustra Budæum reprehendente Bodino in Method. Hist. Quippe ut multa multorum loca prætercam, Plinius extremo lib. XXI. diserte testatur idem denarii drachmæque pondus fuisse. Drachma porro octavam Imperialis nummi partem pendit: tantum igitur, aut, pro argenti ratione, paullo amplius stipendium diurnum isti milites petebant. *Freinshemius.*

Desideria legionum] Sic eo tempore preces petitionesque principi aut magistratibus oblatas dicebant. Explicat ita Plinius Paneg. c. 79. 'Videmus, ut provinciarum desideriis, ut singularum etiam civitatum precibus occurrat.' *Freinshemius.*

Numquamne nisi] Verior lectio e verborum trajectu: *numquamne ad se nisi filios f.* Lipsius.

CAP. 27. *Amicorumve Cæsaris occurreret*] Lego *occurrerat.* Et jam Muretus. *Acidalius.*

Manus intentantes, causam discordiæ] Ecquando manus dedere causam discordiæ et armorum, ait ille?* Apage *annos.* Gronovius.

CAP. 28. *Luna clariore pæne cælo*] Quid hoc, *clariore pæne cælo?* cassa palearum, si examinas. A Beroaldo ea lectio est, quam sperne: et substitue, *Luna claro repente cælo.* Facit sententia, et prisca scriptura, *clamore pena cælo.* Claro autem cælo is Lunæ languor: et ideo sequitur, 'postquam ortæ nubes offecere visui.' *Lipsius.*

Luna clamore pena cælo] Scriberem *clariore plena cælo.* Cæsar l. IV. 'Eadem nocte accidit, ut esset luna plena.' Τὸ *clariore* vim habet positivi; quod vel apud alios non rarum est. Homer. Ιλ. Α. Ἀλλ' ἴθι, μή μ' ἐρέθιζε· σαώτερος ὥς κε νέηαι. Ælianus Var. II. 23. καὶ οὐ μοὶ ἥδιον ἐστὶ μεμνῆσθαι αὐτοῦ. Virgilius Æn. I. 'Tristior et lacrimis oculos suffusa.' *Salinerius.* Ego nihil: sed Lipsii judicium anteferens correctionem ejus in margine apposui. *Pichena.* Cicero de consulatu suo: 'Quod ferme dirum in tempus cecidere Latinæ, Cum claram speciem concreto lumine luna Abdidit, et subito stellanti nocte perempta est.' Lucanus: 'Jam Phœbe toto fratrem cum redderet orbe, Terrarum subita percussa expalluit umbra.' *Aurelius.*

Ac suis laboribus] Rectius omnia cohæreant, si copula ista *ac* absit. *Freinshemius.*

Prospereque cessura quæ pergerent] Malim *quæ gererent.* Rhenanus. Putavi olim legendum, *quæ peragerent:* nam in Ms. prima *R* puncto superius notata, et in margine apposita *A.* Recte tamen vulgata lectio, si interpretemur, *quæ pergerent;* id est, quæ succederent, vel quæ ipsi agere pergerent. *Pichena.* Frequens hoc verbum Tacito: sed nusquam, opinor, vel ipsi vel alii *pergere aliquid* est insistere instituto, agere quod in manibus habeas. Ut commodissime accipiamus, integrum foret, *prospere cessura itinera, quæ pergerent.* Sed quis hac in re sic loquitur? Prorsus censeo Tacitum scripsisse, *quæ urgerent,* i. e.

quæ laborarent, quibus instarent. Horatius Sat. II. 7. ‘vitiis gaudet constanter et urget Propositum.’ Et Od. II. 18. ‘Marisque Baiis obstrepentis urges Summovere litora.’ Noster l. XII. ‘itaque urgeret cœpta.’ Non dicit *pergeret cœpta*. Gronovius.

Igitur æris sono] * Quem morem nec Christianos desiisse, discas e Divo Maximo Taurinensi Episcopo: qui nimis id indignatur et culpat Homilia propria, *De defectu Lunæ*. Ait inter alia hic apta: ‘Cum requirerem, quid sibi clamor hic vellet, dixerunt mihi, quod laboranti Lunæ vestra vociferatio subveniret, et defectum ejus suis clamoribus adjuvaret.’ *Lipsius.*

Et si alii bonis artibus grati] Sic Ms. et probe. Irrepserat, *et si qui alii*, quod jure spernas. *Pichena.* Non disjungenda, quæ cohærere debent, *bonis artibus grati in vulgus.* *

Stationibus] Quæ ante portas quidem, sed paullo longius: atqui et in ipsis *Custodiæ* fuerunt, et has adjungit. Nos in Militia, l. v. Dialogo 8. *Lipsius.*

Ii vigiliis, stationibus, custodiis] A Lipsio correctus locus. Ms. et alii corrupte *in vigiliis*. Hic obiter admonendi tirones, *vigilias* semper esse nocturnas; *stationes* sive *excubias* et nocturnas et diurnas. * At *custodiæ portarum*, nonne stationes? Supra, *portas stationibus firmant*. Cæsar de bello Gall. IV. ‘ii, qui pro portis in statione erant, Cæsari renuntiarunt.’ Virgilius Æneid. IX. ‘communi portam statione tenebant.’ *Stationes* videntur proprie esse, quæ hodie corpora custodiarum vocantur. *Pichena.*

Denique pro Neronibus] *Denique* tantundem valet, ac si dicas, Ut rem in compendium mittam: usurpaturque quum multa dicenda sunt, sed ad id, quod maximum atque validissimum est, properans oratio, ante exspectatum abrumpitur. Apud Hirtium de bello Alex. ‘Armeniam minorem recepisse, quam paterno nomine jure obtinere deberet; denique ejus regni causa integra Cæsari servaretur.’ Hanc vim nulla versionum hic adsequitur. *Freinshemius.*

Ut novissimi in culpam] * Seditio haud dubie a veteranis cœpit. Ii enim gravissime ferebant emeritæ militiæ commodis se fraudari, ut infra I. 33. Reliqui longinqua adhuc spe eadem præmia adsequendi haud perinde accensi, veteranos tamen turbantes secuti sunt. Hi igitur facilius ad pœnitentiam flecti poterant, eosque adorti sunt Clemens aliique ad mitigandum vulgus missi: dixit enim auctor illos ‘vigiliis, stationibus, custodiis portarum se inseruisse,’ ubi certe veteranos non fuisse clarum ex eo, quod non ducum jussu, sed suo arbitrio milites hæc ita disposuerant, supra I. 25. ubi certe apparet veteranos non sumpturos fuisse munia ista, de quibus cum maxime querebantur supra I. 17. Sequitur ergo Clementem, et qui idem agebant *tironem a veterano dissociasse.* Freinshemius.

In commune expostulantur] Muretus, *postulantur*. Et sane melius. Usitatum tamen illud Tacito Ann. l. XV. ‘Ille Armeniam quoque diversis præsidiis vacuam fieri expostulabat.’ Et l. I. ‘Marium Celsum ad supplicium expostulabant.’ Quomodo præcedit ibidem: ‘libellos præmia exposcentium.’ *Acidalius.*

Tironem] Intellegit, qui stipendia nondum complessent, abjunctos ab iis, qui sub vexillo veterani. *Lipsius.*

Cap. 29. *Nobilitate ingenita*] Culpavi, nec nunc omnino capio: nisi quod videtur simile illi dicto apud Lucanum: ‘quos Lentulus omnes Virtutis stimulis, et nobilitate dolendi Præcessit.’ Hinc apud Claudianum: ‘mista sed nobilis ira.’ In quibus plus scilicet aliquid intellegitur, quam dicitur. *Idem.*

Nobilitate ingenita] Animus erectus, impotentia, quæ plerunque nobi-

litatem comitatur. Supra: 'sed vetere atque insita Claudiæ familiæ superbia.' Unde Petronius Arbiter in Satir. nobiles eo de nomine designat: 'Cliensque cœnas impotentium captet.' Sic de feritate Civilis et Classici, 'sævitia ingenita et cupidine prædæ ad excidium civitatis trahebantur.' Erant enim Germani, qui ad sævitiam nascebantur. Sic 'insitæ feritati arte ac tempore lenocinatur.' Sic Curtio dicitur 'præter ingenitam venerationem' de iis, qui natura proni sunt in Regis cultum. Drusus ergo Claudiæ familiæ, quamvis dicendi rudis, audacter et impotenter increpat militum consternationem. Nobilitas dicta significatione apud Plautum, in Milite: 'Et quia tecum eram, propterea animo eram ferocior. Eam nobilitatem amittendam video.' Quo etiam non male traheres illud Suetonii de Claudio Imperatore, qui stupidus ad omnia, et plumbeus erat: nisi quod eum nonnunquam decebat ἡ τῆς ψυχῆς αὐτοῦ εὐγένεια. Nec illud Terentii: 'Habet bene ac pudice eductam, ignaram artis meretriciæ; mea est potens, procax, magnifica, sumptuosa, nobilis.' Hæc prolixius, quia ubique id verbi vertunt in *nobilitate ingenii*, vel *sævitia ingenii*. Salinerius. Qui dicendi rudes sunt, vix sibi constant, si pro concione verba facienda sint: quod tironi adhuc Alcibiadi evenisse ferunt, donec alloquio Socratis firmaretur. Hoc autem magis evenire opus est, ubi res cum periculo conjuncta, quod 'exercitam quoque eloquentiam debilitat,' ut ait noster III. 67. Eam perturbationem vicit Drusus *nobilitate ingenita*, hoc est, animi firmitate a majoribus suis insita. *Nobilitas* enim hic non ad genus tantum, sed ad animum etiam spectat, quem simul cum sanguine a veteribus Claudiis in Drusum fuisse propagatum innuit. Hoc forte sensu etiam accipienda hæc vox infra II. 13. ubi *nobilitatem* Germanici milites ejus landibus ferebant: si enim ad genus tantum respexissent, habuerant utique duces ex prisca nobilitate Germanico non inferiores. Sic fere Ovidius nobilitatem leonibus tribuit, ademptam ursis lupisque, 'Et quæcunque minor nobilitate fera est.' Lib. III. Tristium, Eleg. 5. Ergo *nobilitas* hic γενναιότης est. *Freinshemius.*

Ex duce metus] Ne mutemus; dictio est quam amat Tacitus. Ita l. II. 'Languescet industria, si nullus ex se metus aut spes.' Vita Agricolæ: 'Tenentibus arma plerisque, quos conscientia defectionis, et proprius ex legato timor agitabat.' A Sallustio sumpsit de rep. ad Cæs. 'Neque quemquam a multis metuendum esse, quin ad eum formido ex multis recidat.' *Lipsius.*

Intra tabernaculum ducis obrutos] Cum plerisque accipio sepultos: et clamat hoc oppositio de projectis ante vallum corporibus. Alii *obrutos* pro interfectis habuerunt, quod quidem et sentit Tacitus, et vero dixit, suo nimirum modo, quanquam non exprimeret. Dum enim sepultos narrat clanculum, multo magis clam quoque interfectos vult intelligi: sed hoc potissimum voluit indicare, ex quo et quod non diceret nosceretur. Quidam ex diversis auctorum opinionibus unam effecit, ut nimirum interfecti fuerint isti seditiosi in tabernaculo ducis, et deinde projecta cadavera. Sed invitis Tacito, et quorum ille sententias retulit. *Freinshemius.*

Corpora extra vallum] * Calpurnius Declamatione VII. in ipso argumento: 'Imperator corpora eorum extra vallum projici jussit.' Ejusdem sententiæ, quod idem Tacitus statim: 'Convulsos laniatosque, et partim exanimos, ante vallum, aut in amnem Rhenum projiciunt.' *Lipsius.*

CAP. 30. *Tutari signa*] Intelligendum hoc ex more castrorum, quem exponit Stewech. ad Veget. I. 23. 'Rapta subitis turbinibus signa,' memorantur

etiam inter adversa omina Crasso oblata. Florus III. 11. *Freinshemius.*

Desolatus] Solus reiictus, *μονωθεὶς*, ut Glossæ veteres. *Lipsius.*

Cap. 31. *Vi sua tracturus*] Credo verum esse *tracturis*, quamquam et altera ista lectio, sensum sane non ineptum habeat. Sed indicat Tacitus legiones istas vires suas intellexisse; idque mox aperte profitentur, *sua in manu sitam rem Romanam, &c.* deinde facit quod statim subjicit de exercitibus, quasi ostensurus non modicam fuisse vim, quæ in duos exercitus dividi poterat. *Freinshemius.*

Agendo Galliarum censui] Censum accipies, non qualis Romæ, ut notæ saltem essent Gallorum facultates: sed ut ex modo census tributum penderent et vectigal. Quod cum in aliis provinciis servabatur (apud Jurisconsultos titulo toto de censibus:) tum in Gallia potissimum, ditissima provinciarum. Adde sis nostra in Excurs. *K.* Lipsius.

Agendo Galliarum censui] Quæ regiones jus civitatis Romanæ non habebant, gravioribus tributis vexabantur. Censuali enim lege profiteri cogebantur, quot capita essent in qualibet familia, quot jugera terræ, quot servos quis haberet. Sed et de lacubus piscatoriis census solvendus erat, Ulpiano Pauloque jurecons. testibus. Ut hic simpliciter accipiendus non sit *census*, cum numerus civium defertur, unde agnosci possit, qui militiæ nomina dare debeant. Hinc *censiti* et *censitores* dicti. *Alciatus.*

Ab undevicesimanis] In Germania inferiori, hac ætate ubique XXI. legionem reperio, non decimam nonam. Itaque hic et sæpius, repone, *Unaetvicesimanis.* Quæ vox remotior ab usu hodie, imposuit scriptorum vulgo. Adi, si placet, ad l. I. Histor. Notas. *Lipsius.*

Orto ab unetvicesimanis] Libri omnes editi, *undevicesimanis.* Animadvertit Lipsius mendum ex historia ipsa. Ms. hic, et ubicunque de hac legione fit mentio, *unetvicesimam* appellat, quod ego itidem semper reposui. Hic igitur, ne sæpius repetendum sit, admonuisse sufficiat. *Pichena.*

Vernacula multitudo] Interpretantur de libertis, quos Augustus ad tutelam Rheni misit, apud Sueton. c. 25. non male, quia tamen ex Dionis lib. LVI. constat, eo delectu non libertinos tantum, sed alius quoque generis urbanam plebem esse coactam; atque vox *vernacula*, tamquam omnem eam multitudinem simul complectens, ab auctore consulto adhibita videtur (cui non deerat proprium vocabulum, si solos libertinos hic intelligi voluisset) latius interpretari visum est. *Freinshemius.*

Implere ceterorum rudes animos] Non damno: *sermonibus* scilicet, qui sequuntur. Valde tamen verisimile est *impellere* etiam hic scriptum fuisse, ut superius: 'impellere paulatim nocturnis colloquiis.' Maxime quod ibi sic additum *imperitos animos*, ut hic *rudes animos.* Et l. VI. 'Qua rudes animos, nomine honoris, ad corrumpendum militiæ morem propelleret.' *Acidalius.*

In suum cognomentum ascisci Imperatores] Eruditissimus vir *imperaturos*, quasi eo nomine cohonestati in spem futuræ successionis vocarentur; ut apud Gallos Delphinus. Dissentio, aioque Germanici cognomen nec vigente Cæsarum domo, successorem designasse: (nam si secus esset, Senatus ex libidine successuros Augusto præfinisset. Suetonius: 'præterea senatus inter alia complura, marmoreum arcum cum tropæis via Appia decrevit, et Germanici cognomen ipsi posterisque suis.' Dio: Γερμανικός τε μετὰ τῶν παίδων ἐπονομασθεὶς, καὶ τιμὰς, καὶ εἰκόνων, καὶ ἀψῖδος, κενοταφίου τε πρὸς αὐτῷ τῷ Ῥήνῳ λαβὼν·) neque Julia stirpe finita: nam Cæsares dicebau-

tur illi, in quos imperium devolveretur. ‘Sextus dies agitur, ex quo Cæsar ascitus sum,’ loquitur Piso, quem adoptaverat Galba. ‘Debuisse Cæsarem in acie stare,’ agitur de Domitiano etiam dum vivo patre. ‘Ejusdem anni principio Cæsar Titus,’ adhuc imperante Vespasiano. Clarius Dio: αὐτοκράτωρ δὲ ἐπὶ αὐτοῖς ὁ Οὐεσπασιανὸς, καὶ πρὸς τῆς βουλῆς ἀπεδείχθη, καὶ Καίσαρες ὅγε Τίτος καὶ ὁ Δομιτιανὸς ἐπεδείχθησαν. Qua de re igitur milites sic ἀλαζονικῶς gloriantur? quod Tiberius Imperator, id est, rerum dominus, tot victoriarum adversus tot gentes compos, cognomen Germanici, ut solum gloriosum, sibi sumit. Cæterum πληθυντικῶς *imperatores*, ut *Lollianas Varianasque clades*, *interfectos Romæ Varrones*, *Egnatios*, *Iulos;* et ut ‘Annumerabor Numisiis, et Herenniis, ut omnes legati vestri aut militum manibus, aut hostium ceciderint.’ *Salinerius*. *Imperatores* non hic accipiam ipsos Principes, sed qui principibus proximi, eorumque e sanguine honoris causa *Imperatores*, hoc est, summi exercituum duces appellabantur, ut Drusus olim, ut nunc Germanicus, qui et *Imperator* appellatur infra I. 37. et 41. et 44. et ab ipso Tiberio I. 62. Tales Imperatores sub Augusto fuerunt, de quibus mentio, I. 3. ‘Tiberium Neronem et Claudium Drusum privignos imperatoriis nominibus auxit.’ Quem honorem Tiberius Blæso postremum tribuit: noster III. 47. *Freinshemius*.

CAP. 32. *Vecordia constantiam exemerat*] Muretus *exuerat*. Non assentior. *Acidalius*.

Verberibus mulctant] Malim, *mulcant*, in hac significatione. Cicero pro Milone: ‘Qua in turba C. Vivienus senator ita est mulcatus, ut vitam amiserit.’ Livius l. XXIX. ‘In legatum, lictoribus prius indignum in modum mulcatis, impetum faciunt.’ Idem l. VIII. ‘Sperare se, corpore regio utcumque mulcato, se suos redempturam:’ et alibi, ‘Mulcare virgis.’ Quibus locis omnibus, *Multare*, non æque placet. *Lipsius*.

Prostratos verberibus mulcant] Hoc etiam ex ingenio Lipsius, et ego auctoritate Manuscripti confirmo. *Pichena*. Ideo dicebantur *subjici fustibus* L. ult. De injuriis et l. XXVIII. De Pœnis. Quæ pœna est pervetus. Nam Deuter. 25.: ‘Eum qui peccavit, si dignum viderint plagis, prosternent, et coram se facient verberari.’ *Aurelius*.

Sexageni singulos] Notat hic Lipsius, in plena legione fuisse sexaginta Centuriones. Idem in opere, quod de militia Romana elegantissime scripsit, l. II. Dial. 5. et 8. hoc distinctius explicavit. Triginta in qualibet legione *manipuli*, qui ex centum et viginti militibus constabant. Dividebatur manipulus in duas partes, quas *ordines* vocabant: cuilibet *ordini*, id est, sexaginta militibus, unus præerat Centurio. *Pichena*.

Tum adolescens et animi ferox] *Adolescentem* hoc loco pro homine triginta annis propiore poni, tum vocis hujus usus patitur; tum vero res ipsa prope cogit. Nam centurionem, et quidem severum fuisse, ex historia colligitur: quod utrumque vix cadit in tantillam ætatem, qualem quædam versiones tribuere videntur huic homini. Deinde Suetonius Calig. 56. de hoc Chærea sic scribit: ‘quem seniorem jam denotare omni probro consuerat Caius.’ At Caii cædes sexto atque vicesimo post hanc seditionem anno patrata est; neque dubitandum, quin diu antea probris illis exagitarit hominem: atque ita jam aliquot ante ejus necem annos *senior* fuerit habitus hic Chærea; h. e. si ex constitutione Servii regis (apud Agell. x. 28.) accipias, 46 annis major; quod si ex communi loquendi usu, multo etiam provectior. *Freinshemius*.

Id militares animos] Quæ impetu fiunt, durare non solent: quæ cuncta-

bunde ac composite, diuturniora sunt: sic flamma, quæ subito excrevit, subito extinguitur. Siccas febres medici maxime metuunt, non quæ subito vehementissimæ sunt, vagæque et incertæ modo citius modo serius ægrotum adoriuntur: sed eas, quæ quamvis remissiores, constanter, et statis vicibus quasi ad vadimonium occurrunt. Sic qui iram vultu, oculis, verbis, manibus produnt; nihil ab eis magnopere metuas: scias facile desituros: illi magis metuendi, qui etiam in media ira lenti sunt, qui nihil incomposite, nihil inordinate faciunt, qui ita se gerunt, ut, quod fieri posse negat Terentius, *cum ratione insanire* videantur. *Muretus.*

Nil paucorum instinctu] Rhenano placet, *vel paucorum:* nec sperno. *Lipsius.*

Neque disjecti, nil paucorum instinctu] Correxit Rhenanus *vel paucorum* omnibus comprobantibus. *Pichena.* Legam, *nec paucorum instinctu.* Nam et vox *neque* talem sibi reddi postulat, et sensus exigit. Duo enim distincte notat in illa Germanicarum legionum seditione, quod neque sparsim movebantur, neque ita ut a paucis esset motus initium, quos ceteri velut contactu sequerentur: sed corpus unum facerent, et in eo corpore non unus alii, sed sibi quisque turbandi auctor esset. Illa causa validam faciebat seditionem, hæc durabilem. *Grotius.* Hoc quidem palam est non respondere inter se τὰ *neque* et *nil;* nihiloque magis τὰ *neque* et *vel.* Sed qua in voce mendum sedeat, videndum. Nihil illos offendit τὸ *disjecti*, quod me maxime. Qui enim *disjecti?* Sparsi, inquit Aurelius. Et hæc quidem vis vocis: sed an Pannonii magis sparsi? immo mox e sparsis adunati. Tale autem quid dixisse Tacitus videtur, quod in Pannoniis fuisset, et tumultum eorum minus metuendum reddidisset. Quemadmodum *paucorum instinctu:* eo enim Percennius et Vibulenus significantur. Quid moror? Taciti manus fuit: *quod nusquam distracti, nil paucorum instinctu:* hoc est, nullo loco, nulla in re discordes. Balbus ad Ciceronem l. VIII. ad Atticum: 'ut Cæsarem et Pompeium perfidia hominum distractos rursus in pristinam concordiam reducas.' Noster l. IV. 'si matrimonium Liviæ, velut in partes, domum Cæsarum distraxisset.' Varro apud Nonium: 'Distractione civium elanguescit bonum proprium civitatis, atque ægrotare incipit et consenescere.' Atque hinc Germaniciani formidabiliores: nam Pannonii subinde distracti: ut cum 'depulsi æmulatione,' cap. 18. cum 'ferrum inter se parabant ob centurionem cognomento Sirpicum,' c. 23. *Gronovius.*

CAP. 33. *Census accipienti*] Ea forma sermonis Jurisconsulto dicta, 'Legatio ad census accipiendos. C. I. D.' De muneribus et honoribus. *Lipsius.*

Quia iniquæ] A virtutibus ejus ortæ. Invidebant, et erectum ingenium timebant. *Idem.*

Causæ acriores, quia iniquæ] Nam quidquid æquum ac justum est, certis finibus circumscriptum: neque eos egreditur. At injustum et iniquum, nullis certis terminis continetur. Tum nemo vult se injustum atque iniquum videri. Itaque, quanto quisque iniquius alterum odit, tanto majore studio conatur efficere, ut eum juste odisse videatur: alioqui enim injustum se, et iniquum esse fateatur necesse est. Ea res odium intendit. Præterea, qui justam odii causam habet, si odium aut deponat aut remittat, lenitatis ac clementiæ laudem ex eo se adepturum videt. Intelligit etiam eum, quem aut odisse desinit, aut mitius ac moderatius odisse incipit, sibi eo nomine devinctum atque obstrictum fore. Nemo autem est, quin sibi, cum potest, libenter alios obliget. Eis enim quisque superior est, quos sibi obligatos

et obnoxios habet. At, qui inique odit, si quid remittat ex odio, non ullam sibi laudem ex eo parit: sed potius ipsemet iniquum et injustum fuisse se confitetur. Neque sibi propterea obligat eum, cui jam minus iniquus est: sed ipse potius prioris illius odii ultro petere ab eo veniam debet. Atque hæc cum in omni hominum genere vera sunt, tum in Principibus verissima. Nunquam enim videri volunt errasse se. Itaque quos semel injuste odisse cœperunt, urgent ad extremum, ne principio injustum in eos odium suscepisse videantur. Qua de re dicam quiddam admirabile, sed longo usu, et multis exemplis confirmatum. Facilius impetrant veniam a multis principibus, et facilius cum eis in gratiam redeunt, qui jure eorum iram in se provocarunt, quam si quos ipsi principes sine ulla justa causa odisse cœperunt. Nam si illis ignoscant, vident se mansuetos, ac misericordes visum iri. Hos si omittant, verentur ne hoc ipso præteriti temporis injustitiam et iniquitatem agnoscere videantur. *Mur.*

CAP. 34. *Ut id saltem discernerent cohortes*] An, ut per id saltem Germanicus cohortes discerneret? Haud absimile illud Terentii in fine Adelph. 'ut id ostenderem, quod te isti facilem, et festivum putent, Id non fieri ex vera vita.' Ego sic malim: ut ea vexillorum prælatio saltem discerneret cohortes. *Pichena.*

CAP. 35. *Pretia vacationum*] *Vacationes* capiendæ sunt munerum, quæ haud multum servilibus ministeriis distantia facere cogebantur manipulares. Exacte de his Savile ad Hist. I. 46. *Freinshemius.*

Pabuli, materiæ, lignorum adgestus] Monet me illustris Heinsius dubitandum vix esse, glossam e margine textui insertam. Vox enim *lignorum* vocis *materiæ* interpretatio. *Materiæ aggestus* est aggestus lignorum: ligna enim etiam *materiæ*. Eruditissimum Glossarium: *Materia*, ξυλεία. *Boxhorn.*

Adversus otium castrorum] * Vopiscus Probo: 'per milites, quos otiosos esse nunquam est passus. Exstant apud Ægyptum ejus opera, quæ per militem struxit in plurimis civitatibus.' Hæc *opere*, *imperio*, *labore*, *manu militari* facta dicebant. Suetonius Aug. 18. 'fossas omnes, in quas Nilus exæstuat, oblimatas longa vetustate, militari opere detersit.' Plinius XI. 29. 'Necare et in Syria [locustas] militari imperio cogunt.' Quintilianus, Inst. II. 13. 'stratum militari labore iter.' Servius ad Æneid. VIII. 652. de Gallis urbem tenentibus: 'adeo ut quæ incendere non poterant, militari manu diruerent,' usus in hostium opere verbo Romano. *Gronovius.*

Faustis in Germanicum ominibus] An vero *nominibus?* Sic quidem Suetonius de Caligula: 'Densissimo et lætissimo obviorum agmine incessit, super fausta nomina, sidus et pullum et pupum appellantium.' Fausta nomina sunt, Di te servent, Auguste, Imperator, Princeps, Felix, Victor, aliaque ab adulatione vulgi nata. Dio quidem ab hac lectione est: Τόν τε Τιβέριον, inquit, ἐκακηγόρησαν, καὶ τὸν Γερμανικὸν αὐτοκράτορα ἐπεκάλεσαν. *Idem.*

Faustis in Germanicum ominibus] *Omina* hoc loco sunt acclamationes propria significatione. * Sic legerim infra Hist. II. 74. 'fausta Vitellio omina precantem.' Et forte Hist. II. 80. 'læta omina excepit.' Et Hist. IV. 49. 'læta Pisoni omina.' *Freinshemius.* Ovidius Metam. lib. XII. 'felicem diximus illa Conjuge Pirithoum, quod pœne fefellimus omen.' Et alibi, 'et reddidit omina votis,' de salutantibus inter se. Nec aliter Suetonius in Caligula, 'super fausta omina,' non *nomina*. *Gronovius.*

Et, si vellet imperium] Id Velleius ita exprimit: 'Defuitque qui contra

remp. duceret, non qui ducerentur.' Nec alio fine legata petunt: tamquam illum scilicet habeant pro herede. *Lipsius.*

Promptas ostentavere] Scilicet legiones. Nemini quicquam debeam, si hoc præponam τῷ *promptis*, quod hic invectum est. Nam eadem Cornelius usurpat, quæ alibi summus scriptorum ejusque delicium Thucydides lib. 5. Ὅσας δὲ πόλεις παρέδοσαν Λακεδαιμόνιοι Ἀθηναίοις, ἐξέστω ἀπιέναι, ὅποι ἂν βούλωνται, αὐτοὺς καὶ τὰ ἑαυτῶν ἔχοντας. Horatius: 'Eamus omnis exsecrata civitas.' Noster lib. IV. 'Inerat modica militum manus tutela templi freti.' Et, 'immensamque vim mortalium spectaculo intentos.' *Salinerius.* Suavius forsan, *promptas ostentare se.* Rescripsi præterea *promptas*, sed auctoritate codicis Medicæi, ut subaudiatur *legiones:* innuerintque isti, non se solum paratos agnoscere Imperatorem Germanicum, sed etiam legiones omnes, quarum ipsi tanquam internuntii. Videntur autem istud omne, non tam voce ostentasse quam gestu. *Grut.* Ms. *promptas.* Ego nihil mutavi: seipsos enim promptos ostentant. *Pichena.*

Ferrum a latere] Recte *a latere.* Nam mos priscus gladium ex humero suspendere, et dimittere ad latus. Homer. Iliad. B. Ἀμφὶ δ' ἄρ' ὤμοισιν βάλετο ξίφος ἀργυρόηλον: *Circum humeros jecit clavis gladium argentatis.* Odyss. B. Περὶ δὲ ξίφος ὀξὺ θέτ' ὤμῳ: *Gladium circumdedit armo.* Virgilius: 'Tum lateri atque humeris Tegeæum subligat ensem.' Idem: 'atque ensem collo suspendit eburnum.' Nec id Heroum modo sæculo, sed obtinuit postea; atque adeo apud Romanos. Claudian. 'Gestatosque patri scapulis radiantibus enses.' Et Germanos. Windichindus: 'Subnixi stabant [Saxones] parvis scutis, habentes ad renes cultellos magnos.' Ad renes enim (ut ejusmodi scriptorum Atticismus est) valet Ad latera. *Lips.*

Dextram vi attinuissent] Sallustius Histor. III. 'Oppius postquam orans nil proficiebat, timide veste tectum pugionem expedire conatus a Cotta Vultejoque impeditur.' Statius lib. Theb. 'exuerat vagina turbidus ensem, Aptabatque neci, comites tenuere.' *Aurelius.*

Quidam singuli propius incedentes] Muretus *accedentes.* Melius ad sententiam. *Acidalius.* At sic quoque auctor infra cap. 61. 'incedunt mœstos locos, visuque ac memoria deformes.' Immo et Cicero, de inventione, l. II.: 'Facilius autem ad inventionem animus incedet, si gesti negotii et suam et adversarii narrationem sæpe et diligenter pertractabit.' *Gronovius.*

CAP. 36. *In ancipiti republica*] Lego *respublica*, nominandi casu, ut præcesserunt *severitas, largitio.* Notavit et Muretus. Sic lib. IV. 'inritas leges, rempublicam in ancipiti conquestus.' *Acidalius.* Corrupte olim. Recte Ms. *respublica.* Pichena. Quia sic in unico libro est, concedo. Alioqui facile, quod habebant editi, tueare; nam quemadmodum *in ancipiti respublica* dicitur intellecto verbo *erat*, sic *in ancipiti republica* juxta belle dicitur, intellecto ejusdem verbi participio, *futura.* Gronovius.

Legata quæ petiverant] Recte ergo in Suetonii Tiberio scriptum: 'Militi post duplicata ex Augusti testamento legata, nihil umquam largitus est:' ubi male Beroaldus *publicata.* Lipsius.

CAP. 37. *In hiberna cujusquam non abscessere*] Malebam: *in hiberna usquam:* sed Josiæ Merceri, amici olim nostri, verissima lectio et distinctio: *Largitio differebatur in hiberna cujusque.* Nam in castris æstivis junctim legiones habebantur, in hibernis singulæ seorsim. Volebant ergo differri, et interim divelli: sed miles fraudem suspicatus abnuit. *Idem.*

In hiberna cujusquam] Vitium hujus lectionis animadversum viris doctis. Medicinam tentavere, quæ facillima fuit, observato more militiæ.* Vitium ex ingenio vidit correxitque Mercerus. Ego manuscripti fide confirmo. *Pichena.*

Non abscessere quintani unetvicesimanique] Ergo reliqui abscessere, prius quam iis in castris pecunia ipsis persolveretur? Necessario videtur sequi ex hac lectione; sed nihil tale Tacitus: immo diserte contrarium mox: ' fisci de Imperatore rapti.' Infra I. 42. ' non missione, non pecunia satiatos.' Quod dicam, non habeo, nisi forte placet legendum: *Non abscessere, donec, &c.* ut de omnibus istis legionibus intelligatur: quæ certe omnes in pari causa. Sed quia subjicitur primam et vicesimam legiones in hiberna reductas fuisse, aliquis forte putavit illud, *Non abscessere*, de quinta et unetvicesima tantum legione dici. Sed considerandum erat eam primanorum vicesimanorumque reductionem factam fuisse persoluta jam pecunia. Ergo hic videtur fuisse auctoris sensus. Largitio differebatur in hiberna: legiones præsentem exigebant, ea accepta redierunt in hiberna. Prima et vicesima in Ubios; reliquæ duæ ad Vetera: quarum mentionem distulit, donec alterarum seditionem plene enarrasset; deinde horum etiam tumultum pœnamque exsequutus est infra c. XLIV. *Freinshemius.* Sic interpretor immotam priscam lectionem. Cum acquiessent primani et vicesimani, tardum fuit quintanis unetvicesimanisque exspectare, donec in hiberna veniretur: ideoque occlamitaverunt minitabundi, non se vestigium moturos, non in officio futuros, nisi et nummi repræsentarentur: nec destiterunt tumultuari, donec concederet Germanicus. Hoc cum extorsissent duæ legiones improbæ, si non necessario, at prudenter placuit, ut modestioribus et moram passis ultro par honor haberetur; ne illi videntes contumaciam furoris sociis profuisse, rursus exasperarentur, et male obrutum incendium resurgeret. *Gronovius.*

Cum fisci de Imperatore] Tangit non dubie morem priscum, quo pecunias solitum deponere ad signa: ii enim militares dii, id templum. Vegetius II. 20. Suet. Domit. c. 7. *Lipsius.*

Fisci de imperatore rapti, inter signa] Sacci, qui pecuniam imperatoris continerent, ab illo per milites rapti, et inter signa militaria traducti sunt, ubi privata militum pecunia, ex dimidia donativi, decem saccis adservabatur, ex more veteri, de quo Vegetius II. 20. Eo pertinet edictum Domitiani, vetans ' plusquam mille nummos a quoquam ad signa deponi,' teste Suetonio. Quare miles quidam ita legavit, ' Dari volo a Julio actore aureos tot: et in castris quos habeo tot,' ut est apud Julianum, l. XCVI. D. de legatis I. Indeque dictum *peculium castrense*. Vertranius.

Legiones nihil contatus] Imo, *contatas:* uti ad legiones ipsas referas. *Lipsius.*

Legiones nihil cunctatas] Sic optime Man. Male prius, *cunctatus;* quod antea ex ingenio animadverterat sagacissimus Lipsius. *Pichena.*

CAP. 38. *Bono magis exemplo, quam concesso jure*] Soli enim illi jus plectendi militis, qui exercitus rector. Et Augusti quidem instituto (quod apud Dionem libro LIII.) solis Proprætoribus sive legatis Augusti, quos gladio succinxerat, id jus fuit: postea etiam proconsulibus, universisque provinciarum rectoribus, ex lege VI. De off. præsid. Saltem ut punirent milites gregarios. leg. IX. De custod. reorum: ' Qui exercitum accipit, jus animadvertendi in milites caligatos habet.' *Lipsius.*

Bono magis exemplo, quam concesso

jure] Digna quidem, unde postea exemplum caperetur, sed potestatem præfecti egressa sententia. Sic est. Ipsum factum in exemplum ire potuit, quo deinceps alii simili in necessitate uterentur: quanquam non eo consilio fecerit iste: sicut in his Livii XXXIV. 2. 'utrum pejor ipsa res, an pejore exemplo agatur.' *Freinsh.*

CAP. 39. *Ab Senatu egressi*] Sive placet, *digressi*. Vulgo est, *regressi:* sed falso, nequedum ulli missi. Intellegit legatos, vel qui a Senatu decreti ad ferendum Proconsulare imperium, de quibus supra: vel qui a Tiberio missi ad turbas sedandas, de quibus jam audierat. Hoc Dio sentire videtur. Res sic videtur: sed ut aperte fabuler, *ab Senatu digressi* vel *egressi*, haud satis placet: magis lectio Florentini codicis, *legati ab Senatu, regressum jam:* ut a superiore exercitu regressum iterum ad Aram Ubiorum velit, ibique conventum. Ac plurimum fortasse ibi, aut Coloniæ Agrippinæ, agebat: quidni, vel in uxoris patrisque ejus gratiam? *Lipsius.*

Legati ab Senatu egressi jam apud Aram] Prisca omnis lectio, *regressi:* quam falsam esse viderunt viri docti et mutaverunt. Sed ego sane malim, *legati ab Senatu regressum jam apud Aram Ubiorum Germanicum adeunt.* Alioqui neque illud *jam*, quo referas, habeas, et *egressos ab Senatu* legatos metuo ut satis Latine dixeris. At *legati ab senatu*, eleganter, et Corneliano compendio. Regressus Germanicus, quia ab exercitu inferiori adscenderat ad superiorem, quem sacramento adigeret, a quo tum redux ad inferiorem illum, qui apud Ubios. *Mercerus.* Faërnus legebat *regressum*, pro, *regressi*, et ad Germanicum referebat. De qua lectione mihi non liquet. *Ursinus.* Satis mirari non possum, tam multa præteriisse Beroaldum, aut si quis alius hos libros ex Medicæo manuscripto transtulit et evulgavit. Quid hac lectione clarius in eo incorrupta, *ab Senatu, regressum jam:* tamen interpolant; *interea legati ab Senatu egressi, jam apud aram Ubiorum Germanicum adeunt.* Acutior Mercerus, nullo libri auxilio vitium et emendationem odoratus. *Pichena.*

Nocte concubia vexillum] Quod vexillum? illudne sub quo veterani habebantur? non videtur. Non enim illi solum, sed duæ legiones in eadem culpa: quarum signa aquilæque in castris, non in tabernaculo ducis. Refer ergo ad aliud vexillum, et observa ritum antiquum. Signum futuræ pugnæ, vexillum purpureum fuit; quod adservabatur merito in tabernaculo ducis, quia illi soli jus et arbitrium proponendi. Hoc insignite et κατ' ἐξοχὴν, Vexillum dictum. Docte Glossæ veteres: Ῥούσιον φάρσος, *vexillum.* At de more, Cæsar belli Gallici l. II. 'Cæsari omnia uno tempore erant agenda: vexillum proponendum, quod erat insigne cum ad arma concurri oporteret.' De bello civili: 'Sequenti die cum iter facere Cæsar vellet, renunciatum est a speculatoribus Pompeium de tertia vigilia in acie stetisse. Hoc nuncio allato, vexillum proposuit.' Plutarchus formam ejus satis describit in Fabio: Τὸ τῆς μάχης σημεῖον ἐξέθηκεν. Ἔστι δὲ χιτὼν κόκκινος ὑπὲρ τῆς στρατηγικῆς σκηνῆς διατεινόμενος: *Signum pugnæ proposuit: est autem tunica coccinea, super prætorium extensa.* Quod Plutarchus χιτῶνα dicit, Tunicam etiam Isidorus: Russata, quam pœniceam vocant; nos coccineam. Hac sub consulibus Romani usi sunt milites, unde etiam Russati vocabantur. Solebat enim pridie quam dimicandum esset, ante prætorium poni, [vellem dixisset, *ante prætorium poni*, vel, *supra prætorium;* id enim verius] quasi admonitio et indicium futuræ pugnæ.' Plutarchus iterum in Bruto: Ἅμα δὲ ἡμέρᾳ προύκειτο μὲν τῷ Βρούτου χάρακι καὶ τῷ Κασσίου σύμβολον ἀγῶνος, φοινικοῦς χιτών: *Una cum*

luce, propositum fuit in Bruti et Cassii castris signum pugnæ, tunica punicea. Non ergo simpliciter velum fuit, sed tunicæ forma. Mansit is mos ad tempora imperii labentis. Ammianus l. XXVII. 'Signis ilico fixis ex more, cum undique ad arma conclamaretur, imperio principis et ductorum stetit regibilis miles: vexillum opperiens extollendum, quod erat opportune subeundæ indicium pugnæ.' Hoc illud vexillum est, quod lymphati milites postulant, et cum eo jus scilicet cædis et armorum. *Lipsius.*

Vexillum in domo Germanici] De hoc multa Lipsius. Considerandum autem annon fuerit, quale Dio lib. 40. describit in adversis ominibus Crassi, *τῶν μεγάλων τοῖς ἱστίοις ἐοικότων, καὶ φοινικᾶ γράμματα πρὸς δήλωσιν τοῦ τε στρατοῦ καὶ τοῦ στρατηγοῦ σφῶν τοῦ αὐτοκράτορος ἐχόντων. Freinsh.*

Quam castra primæ legionis: illic signa et aquilam amplexus] Hæreo an distinguendum sit, *quam castra, primæ legionis illic signa.* Videntur enim duæ hæ legiones unis in hibernis fuisse: sic tamen, ut ritu Romano, quæque legio cum signis seorsum locaretur. Ideo ait Plancum confugisse ad aquilam et signa primæ legionis. Supra, tres legiones Pannonicæ castris æstivis simul habebantur: separatæ tamen aquilæ, donec per furorem, 'una tres aquilas et signa cohortium locarent,' ait Tacitus. Receptam tamen interpunctionem tueri videtur, quod sequitur, 'Quantum dedecoris adierit legio, facunde miseratur:' ut videantur hæc in unius legionis castris gesta. *Lipsius.*

Sed deum ira resurgere] Nempe eam rabiem. Fatalem eam rabiem esse incusans, neque sponte militum, sed deorum ita recrudescere, ut recte Freinshemius. Quod moneo, ne quem pelliceat, *res vergere*, quod non nemo conjecit, et vidi, quibus placeret. Tacitus Hist. lib. II. 'Eadem illos Deum ira, eadem hominum rabies, eædem scelerum causæ in discordiam egere.' Cicero pro Ligario: 'Ac mihi quidem, si proprium et verum nomen nostri mali quæratur, fatalis quædam calamitas incidisse videtur, et improvidas hominum mentes occupavisse, ut nemo mirari debeat humana consilia divina necessitate esse superata.' *Gronovius.*

CAP. 40. *Eo in metu arguere*] Faërnus scribebat: *Eo in motu.* Ursinus, *Eo in metu*, id est, ea in trepidatione. *Freinsh.*

Aspernantem uxorem] Puto verius, *aspernante uxore.* Lipsius.

Aspernantem uxorem] Pendet hic sensus a voce *perpulit.* Freinshem.

Sinu filium gerens] Quum scilicet in curru aut navi sederet. Nec enim pedes tantum iter confectura erat, ut veriti videntur interpretes, qui puerum brachiis matris, qui collo suspenderunt, quo scilicet commodius portaretur. Ita mox II. 75. eadem Agrippina mariti 'feralis reliquias sinu tulit.' *Idem.*

Nec minus tristes qui] Lego, *quæ:* de feminis enim sermo, conjugibusque amicorum. *Lipsius.*

Nec minus tristes qui manebant] Scilicet amici Germanici, ejus suamque vicem dolentes, quod solatio conjugum fraudarentur: par enim erat, hos omnes ducis uxorem comitari. Rectior itaque vetus scriptio, quam nova castigatio *quæ.* Salinerius. Germanicus nimirum ejusque amici, quorum conjuges abscedebant: nec enim *quæ* legendum esse arbitror, referendumque ad conjuges amicorum; cum verisimile sit in re tam trepida, et abeunte ducis uxore, earum paucas in castris mansuras fuisse. *Freinshem.*

CAP. 41. *Velut in urbe victa facies gemitusque*] Malim distinguere, *sed velut in urbe victa facies* (scilicet, erat) *gemitusque ac planctus.* Notetur verbum *advertere* hoc eleganti significatu: sic Ann. l. IV. 'Atque illic eadem actitando, recentia veteraque odia ad-

vertit.' Ann. l. vi. ' Neque exuerat pædorem, ut vulgum miseratione adverteret.' Plin. Epist. i. 10. sic etiam utitur: ' Multa in Euphrate sic eminent et elucent, ut mediocriter quoque doctos advertant et afficiant.' Seneca Epistola 115. paullo aliter: ' Qui lacernas coloris improbi sumunt, qui perlucentem togam, qui nolunt facere quicquam, quod hominum oculis transilire liceat. Irritant illos et in se advertunt.' Quamvis hic alii *avertunt* malint. *Acidalius.* Distinctio Acidalii non placet, quamvis et Freinshemius eam secutus sit. Ea, inquit, facies rerum, non florenti Cæsari et castris suis subnixo, sed urbi captæ conveniens, hoc est, discessus hic muliebris agminis trepidus atque inhonorus, gemitusque ac planctus, etiam militum animos visu audituque percussit. *Gronovius.*

Quod tam triste] Videtur deesse aliquod verbum ; et fortasse legi potest, *Quod tam triste spectaculum.* Ursinus. Vox substantiva desideratur: quam adscripserat Muretus, *quod spectaculum tam triste?* sed addito P. Danesii nomine. *Acidalius.* Quasi non passim veteres hoc compendio sermonis utantur. Petronius: ' Ne quid tristius exspectarem, comitatus faciebat. Et, si quid tristius paras.' Intelligo autem in Tacito, *genus hominum et rerum.* Gronov.

Ad conciliandа studia vulgi] * Jurisconsultus, l. ix. De custod. reorum: ' Qui exercitum accipit, jus animadvertendi in milites caligatos habet:' cum exceptione dixit, quia in digniores non habet. Legi in lapide vetusto,

C. OPPIO. C. F. VEL.
OMNIBVS. OFFICIIS.
IN CALIGA. FVNCTO.

Et ab eadem sententia Seneca quinto De Beneficiis scripsit, ' Marium a caliga ad consulatum pervenisse:' id est, ab infimis ordinibus. Item Plinius l. vii. Ventidium ' inopem juventam in militari caliga tolerasse.' Quamquam non abnuam, quin caliga digniorum etiam militum: sed cum discrimine, puta aureis argenteisve clavis distinctæ. Unde cum additione *Speculatoria caliga,* apud Sueton. et Tertullianum. *Lips.*

Cap. 42. *Quirites vocando*] Lampridius Alexandro Severo: ' Severitatis autem tantæ fuit in milites, ut sæpe legiones integras exauctoraverit, ex militibus Quirites appellans.' *Gron.*

Illa signis a Tib.] Apparet religionem aliquam fuisse in militia ordienda. Credo autem hanc primam legionem conscriptam, post cladem Vari. *Lipsius.*

Tu tot prœliorum socia] Plerique ad Tiberium trahunt: rectius opinor quam qui ad Germanicum. Nec moveor vocabulo *ducis,* quod utique huic quam illi in præsens aptius est; sed ad præteritum tempus merito refertur, cujus memoriam militibus hic refricat Germanicus. *Freinshem.*

Cap. 43. *Ut Belgarum istud decus sit*] Gloriemur Belgæ. Nos jam olim Cæsaris testimonio, ' omnium Gallorum fortissimi:' nos nunc Germanici, idonei et validi ' subvenire Romano nomini, comprimere Germaniæ populos.' Nos Civilis voce, ' Gallorum robur.' Præclara ista, at non illud, Πάλαι ποτ' ἦσαν ἄλκιμοι Μιλήσιοι: *Olim fuere strenui Milesii.* Lipsius.

Iisdem istis cum militibus] Omnino legendum *commilitibus.* Ipsis enim elui vult hanc maculam, ipsos exsolvi hac culpa. Frequens autem ducibus milites benigniore vocabulo *commilites* appellare. Sic Historiarum primo in Pisoniana: ' Quis ad vos processerim, commilitones.' *Grotius.* Sensum eundem in prisca lectione patere censeo: quam tamen mutari facilius ferrem, si τὸ *commiles* Latinum esse vocabulum constaret. Sed constat non esse; cur enim passim toties *commilitones* appellant? Pellexit illustrem virum locus Plinii, apud quem corrupte le-

gitur l. xxxvii. 2. 'reipublicæ datum mille talentum, legatis et quæstoribus, qui oras maris defendissent, HS. bina millia, commilitibus singulis quinquaginta :' cum sit in Mss. *reipublicæ et quæstoribus qui oras maris defendissent datum mille talentum militibus singulis sena millia sestertiorum.* Sic plane membranaceus bibliothecæ Academicæ : sic complures a Budæo inspecti, qui Plutarcho et Appiano adhibitis rescribit ; 'Præfectis et quæstoribus, qui oras maris defendissent, datum mille talentum, militibus singulis sena millia sestertium, comitibus quinquagena.' Lib. III. de Asse. *Gronov.*

Cap. 44. *Legatum legionis primæ C. Cetronium*] In antiqua inscriptione nominatur quidam *Q. Cetronius Q. F. Passer*, qui potest ad hunc C. Cetronium, qui a Tacito nominatur, pertinere. *Ursinus.*

Judicium et pœnas] *Judicium exercere* usitate dicimus : *pœnas exercere* non item ; sed sæpe primæ notæ scriptores, duobus nominibus positis, verbum subjiciunt, quod alteri tantum conveniat : ut ἐξ ἀναλόγου alterum intelligatur. Homerus σῖτον καὶ οἶνον ἔδοντες· cum tamen vinum *bibere*, non *comesse* soleamus. Idem ἵπποι ἀερσίποδες καὶ ποικίλα τεύχε' ἔκειτο. Equi tamen non jacebant, sed stabant. Ergo etiam, si, *pœnas exercere*, nemo dixisset, intelligeremus hoc modo : *judicium et pœnas exercuit ;* judicium exercuit pœnasque sumpsit : et ex optimis vetustissimisque scriptoribus, talia quamlibet multa proferremus. Sed nihil est necesse eo confugere. *Exercere pœnas* rectissime dicitur, ut cognoscere est vel ex illo Virgilii loco : 'Hac iter Elysium nobis : at læva malorum Exercet pœnas, et ad impia tartara mittit.' *Muretus.*

Centurionatum inde egit] Nescio an, *legit :* qua forma Senatum legere dicimus. Satis autem ambitiosa hæc lectio, militibus adhibitis quasi arbitris : cum solius id Imperatoris alias, et ex more, esset. Tale notat noster in Cæcina : 'Utque licentia militem imbueret, interfectorum Centurionum ordines legionibus offerebat, eo suffragio turbidissimus quisque dilecti.' Hist. III. Etsi Germanicus tamen plenam totamque electionem militi non largitus. *Lipsius.*

Centurionatum inde egit] Recensionem ac cognitionem de centurionibus. *Muretus.* Eruditissimus vir mallet *legit*, sed me dissentiente : quia *egit centurionatum* nil aliud est, quam legit Centuriones in locum cæsorum, de quibus supra, 'prostratos verberibus mulcant, sexageni singulos, ut numerum centurionum adæquarent :' et hæc seditio oritur a prima, et a vicesima legionibus : quæ suos Centuriones jam trucidaverant. *Agere* pro *legere :* 'regimen summæ rei penes Germanicum agendo Galliarum censui intentum :' quæ ne aliorsum accipias, atque a Tacito dicta sunt. Ejusdem sequentia mihi legas : 'interea Germanico per Gallias (ut diximus) census accipienti.' Ad ultimum *legere centurionatum* non est penitus dissimile τῷ *legere senatum* et ἀναλόγως dicitur, ut *equitatus, peditatus.* Salinerius. Quid si *agere Centurionatum* sic dictum, ut *Delectum agere?* Et fuit hic velut delectus Centurionum. *Acidalius.* Plane accedo sententiæ Berneggeri soceri mei, non fuisse novam hanc centurionum electionem, sed tantum recensionem, quod patet ex toto loco, et præsertim illis verbis ; *retinebat ordines,* tum et illis ; *solvebatur militia.* Freinshem. Non potest placere utcunque pingatur. *Centurionatum agere* Latine dicitur, ut *agere potestatem, agere proconsulatum, agere regnum :* ubi *agere* est gerere, administrare. Item *legere centurionatum* non respuent aures Romanæ, ut *legere sortem vitæ,* si cui et hujus et cujuscumque alterius loci libera est optio. Sed neuter sermo

rei, qua de Tacitus, aptus est. *Legere* autem *centurionatum*, ut *legere senatum*, ferri non quit: senatus enim corpus est senatorum: an et *centurionatus* corpus centurionum: immo gradus militiæ honoratæ. Hoc modo corpora multorum, et personæ singulæ *legi* dicuntur, ut *legere senatum*, *legere magistratum*, *legere militem*, *legere exercitum*: *munus* aut *officium* non dicitur *legi*. Quid igitur iste ait *agere centurionatum* poni pro legere? cum nec *legere* Latinum sit hoc sensu, neque *agere* pro legere. Quid est autem *legere censum*? Nec felicius alter, qui comparat *delectum agere*. Cur non et *agere censuram*, *agere experimenta*, *agere inquisitionem*? Sed qua in re conveniant, dicam. Nempe *delectum agit* delector, *censuram* censor, *experimenta* qui experitur, *inquisitionem* inquisitor. Sic ergo *centurionatum agit* non nisi qui centurio est: et quemadmodum *agere delectum* non est delectores recensere aut examinare, *agere censuram* censores ad obrussam exigere, *agere inquisitionem* inquisitores legere, *agere experimenta* probare δοκιμαστὰς, ita neque *agere centurionatum* est probare et recensere centuriones. Quod vero tertius inculcat non eam fuisse electionem novorum sed examen veterum, quis non agnoscit? sed quid hoc juvat? an *agere* est recensere aut examinare? an *recensere* aut *examinare centurionatum* est examen centurionum instituere? Fractus igitur locus, cujus sententia satis conspicua, verba nihil Romanum sonant. Nihil hærerem, si viderem scriptum: *Centurionum inde delectum egit*: neque aliud quam, quod vocant, examen aut recensionem intelligerem. Etsi enim *delectus agi* proprie dicitur in illis, qui ex privatis milites aut centuriones fiunt: tamen hoc ipsum, quod hic agitur, qui commodius Latine pronuntiem, non reperio, et ex illis, quos jam habeas olim lectos, nova trutina libratis, alios retinere quo sunt loco, alios rejicere, utique *delectus* est. Posset et scribi: *Centurionatus inde exegit*: ut alibi *exigere vulnera*, de quo in Observationibus. *Gronov.*

CAP. 47. *Immotum adversus eos sermones fixumque*] Virgilius: 'Si mihi non animo fixum immotumque sederet, Ne cui me vellem vinclo sociare jugali.' Quid ergo tot per editiones in marginibus venditat ὁ πάνυ, *immotus*? *Idem.*

Quos igitur anteferret? ac ne postpositi] Male Rhenanus: *Ecquos igitur anteferret*. Sic enim dubitaret, an essent aliqui anteferendi: ut in illo, 'Ecquis erit mecum?' At de hoc nulla dubitatio: non enim poterat esse simul duobus locis, eoque necessario alteruter exercitus erat adeundus prior. Illud ambiguum erat, utros anteferret: et hoc τῷ *quos* recte exprimitur. Male idem, Vertranius, Muretus, Acidalius delent τὸ *ac*. Sensus enim: et, si alteros utros prætulisset, angebat eum metus, ne propositi eam contumeliam interpretarentur, et sævirent magis. *Idem.*

Majestate salva] Vera et callida gnome. A Thucydide videri potest, l. VI. Τὰ γὰρ, inquit, διὰ πλείστου πάντες ἴσμεν θαυμαζόμενα, καὶ τὰ πεῖραν ἥκιστα τῆς δόξης δόντα. *Lipsius.*

CAP. 48. *Nam in pace caussas et merita spectari*] Mur. *caussarum merita*. Non necesse. *Acidalius.*

CAP. 49. *Permissa vulgo licentia atque ultio*] Prudens hercle factum. Neque absimiliter Cato Censorius, de quo habemus apud Plutarchum in vita ejus, si unus ex servis capital meruisset, judicium relinquebat conservis amolitus hoc modo a se et injustitiam et invidiam. *Gruterus.*

Honesta vulnera] * Sed et huc pertinet, quod de sacra cohorte Thebanorum, quæ ex amatoribus, et eis qui amabantur, constabat, memoriæ proditum est, eam totam a Philippo Macedone in pugna Chæronensi esse

concisam, qui cum eos victor inspexisset, omnes adversis vulneribus confossos, 'Male pereant,' inquit, 'qui hos turpe quicquam aut facere aut pati arbitrantur.' Ex ea cohorte unus in prœlio cum pronus cecidisset hosti a quo se confossum iri videbat, 'Quæso te,' inquit, 'gladium mihi per pectus adigito; ne is, qui mihi in amoribus ac deliciis est, si me averso vulnere confossum viderit, erubescat.' Auctor Plutarchus in Pelopida. Lacedæmonii quoque insepultos abjiciebant τοὺς ὀπισθοτρόπους. Muretus.

Vulnera accepissent] Recte quidem Mureti libellus, *excepissent*, si Man. annueret. Sed in eo nihil mutatur, quamvis ipse affirmet, in quibusdam veteribus (fortasse impressis) legi, *eccepissent*. Pichena.

E legionibus sex, et viginti] Distinctio præter historiam. Interpunge, *e legionibus, sex et viginti soc.* Quattuor enim dumtaxat legionum miles, in id bellum ductus: nec plures in Germania inferiori erant. Clarum ex sequentibus, ubi legiones enumerat: 'Mox prima legio: sinistrum latus unaetvicesimani clausere, dextrum quintani: vicesima legio terga firmavit.' *Lipsius.*

CAP. 50. *Limitemque a Tiberio cœptum scindit*] Lipsius mavult *scandit*, me quidem assentiente, quamvis alii (Cluverius Germ. III. 9.) credant eum hoc loco parum dextre conjecisse; limitem enim, inquiunt, poterat Germanicus cum exercitu scandere, at quomodo silvam? at *scindere* utrique convenit, quippe et *silvam scidit*, id est, cecidit, et *limitem scidit*, id est, perfodit ac disjecit: id autem fecit quo castris locandis pateret spatium. Hinc *castris in ipso limite locatis frontem ac tergum vallo, latera concædibus munitus* fuit. Ego autem existimo *scandendi* verbum egregie convenire. Cum enim silvæ ut plurimum collibus atque montibus incumbant, quis dubitet, *silvam scandere* recte et adposite dici? apud Tacitum II. 16. 'Pone tergum insurgebat silva:' deinde *scindendi* vox nescio quem ridiculum sensum præbet, nempe Germanico exscindenda silva erat, ut castra metaretur? Primo igitur *scindere silvam* non videtur dici posse pro exscindere; et si diceretur, non posset accipi de parte silvæ cædenda, sed de tota: hoc autem absurdum: deinde stulte fecisset Germanicus si limitem scidisset: nam ingenti labore quid aliud sibi comparasset, quam stativa incommodiora, iter impeditius? Itaque *in limite* castra posuit, hoc est, ut ego capio, supra limitem sive in superficie limitis, ad quod non opus erat cæsa silva, quippe in limite arbores non fuisse, facile intellectu. Limitem autem castris ponendis suffecisse, ex aliis auctoris locis patet, quibus prælia in limitibus commissa scripsit, ut H. II. 42. H. III. 21. Et hæc omnia aperte ostendit auctor: 'frontem ac tergum vallo; latera concædibus munitus.' Vallo enim si potuisset, ex disciplina majorum tota castra circumdedisset: id igitur jam fecit quatenus licebat: licebat autem a fronte tantum atque tergo; nempe in ipso aggere. Latera autem ne forte ascensuro hosti paterent, concædibus munivit. *Freinshemius.* Censeo cum Mureto *limitem* hunc ex eo genere esse, quibus, ubi flumina, mare, montes non erant, adversus incursiones barbarorum imperium Romanum muniebatur. Tacitus Ann. II. 'Cuncta inter castellum Alisonem ac Rhenum novis limitibus aggeribusque permunita.' Spartianus Hadriano: 'in plurimis locis, in quibus barbari non fluminibus, sed limitibus dividuntur, stipitibus magnis in morem muralis sepis funditus jactis atque connexis, barbaros separavit.' Sic Ammiano lib. XXX. Valentinianus laudatur 'oppidorum et limitum conditor tempestivus.' *Gronovius.*

Ferro flammisque pervastat] Forte

rectius *pervastata*. Freinshemius.

Cap. 51. *Sine vulnere milites*] Putabam legendum : *sine vulnere militis, qui semisomnos, &c. ceciderat*. Idem.

Usipetes] Alibi semper, *Usipios*, idem Tacitus appellat, et utroque modo alii etiam auctores. *Pichena*.

Incessitque itineri et prælio] Sic lib. XIII. 'Non ignaro duce nostro, qui viæ pariter, et pugnæ composuerat exercitum.' Curtius 'itineri simul paratus et prælio.' Xenophon. 2. παιδ. sub finem : αὐτὸς δὲ συνταξάμενος ᾗ ἄριστον καὶ πρὸς τὸ ἀνύειν τὴν ὁδὸν καὶ πρὸς τὸ μάχεσθαι, εἴτι δέοι, ἐπορεύετο. *Muretus*.

Cap. 53. *Julia ob impudicitiam*] Qui feminam hanc impudicitiæ arguant, multi testes. Seneca de Benef. lib. VI. c. 32.* Plinius, 'Apud nos hujus licentiæ exemplum non est aliud, quam filia D. Augusti, cujus luxuria noctibus coronatum Marsyam litteræ illius Dei gemunt ;' vel, ut clarissimus Torrentius emendat, *illius describunt* : etsi ego malim, *degemunt*. De hoc Marsya, præter ea quæ dixi Antiquis, Sidonius, 'Marsyæque timet manum ac rudentem.' Id est, tribunal metuit et forum. Emendo, *tridentem* Arnobius lib. II. 'Quia fornicem Lucilianum et Marsyam Pomponii obsignatum memoria continetis.' Vide Dionem lib. LV. *Lipsius*.

Spreveratque ut imparem] Lipsius ad libidinem refert. Ego ad generis claritudinem, quasi Livia Tiberium despiceret tanquam haud æqualem. *Pichena*. Genere et familia. Magna heic ambitio. Noster Ann. II. 43. de Plancina : 'Vix Tiberio concedere ; liberos ejus ut multum infra despectare.' Et mox ibidem : 'Contra Druso proavus eques Romanus Pomponius Atticus dedecere Claudiorum imagines videbatur.' Adde III. 23. et 29. VI. 27. et Histor. II. 50. *Gruterus*. Similiter fere, sed magis merito, Fabia apud patrem suum conqueritur, *quod juncta impari esset*. Freinsh.

Longinquitate exsilii ratus] Id est, diuturnitate. Nam relegata Julia anno 748. ex quo ad hunc diem anni fere viginti. *Lipsius*.

* Neque Lipsii, neque Freinshemii interpretatio placet. Cum dicit *obscuram necem*, intelligo causam necis. At non adeo remotum est Rhegium ab domina urbe, ut si nota illic publice foret, fama ejus Romam tardius perveniret. Nec vero, utrum diu quis exsilium toleraverit, an modo exierit, interest ad judicandum, fato an fraude humana perierit. Res igitur ipsa videtur velle, ut scribamus : *longinquitate exitii*. Quod enim non subito eam peremit, sed ægrum spiritum inter inopiam trahere aliquamdiu passus est, donec contabesceret, eo speravit se posse consequi, ut fraus lateret, quemadmodum illi, qui lentis et tabificis venenis grassantur. *Gronovius*.

Sempronium Gracchum] * Vidimus nummos hujus Gracchi, TI. SEMPRONIUS. GRACCUS. IIII. VIR. Q. DESIG. id est, quatuorvir, quæstor designatus : in parte altera, DIVI. IULII. F. *Lipsius*.

Ab L. Asprenate] Credo cognomen esse gentis Noniæ. De Asprenatum claritudine et familia consulari Plinius XXX. 7. Suetonius in Aug. cap. 43. *Idem*.

Verti frustra speraverat] Forte rectius *speraverit*. Freinshemius.

Cap. 54. *Ut quondam T. Tatius*] Pugnat aperto Marte secum Tacitus, lib. II. Historiarum : ubi vult sodales Titios (ita enim scrib. non *Tatios*, ex lapid. et libris ; dictique a prænomine Tatii) institutos non retinendis sacris, sed memoriæ Tatii sacrandæ. Quæ caussa hoc quidem loco aptior erat ; fortasse et verior : 'Faces Augustales subdidere, quod sacerdotium ut Romulus Tatio regi, ita Cæsar Tiberius Iuliæ genti sacravit.' Dionysius hanc rem non attigit, contentus dixisse, honeste sepultum Tatium, et quotan-

nis ei publicas inferias factas. *Lipsius.*

Sodales Tatios] Hos sic dictos nusquam præterea legi: neque scio cur *Titios* scriptum non sit melius: sic enim Budæ in Hungaria refert inscriptio, *Diis. conservatoribus. Genius. Capelianus. leg. aug. pr. pr. sod. Titius.* Sodalium Titiorum meminit Varro, quos dictos a Titiis avibus, solitis in auguriis observari, lib. IV. Linguæ Latinæ scribit. Eodem spectat Lucanus lib. II. 'Et doctus volucres augur servare sinistras, Septemvirque epulis festis, Titiique sodales.' Sed de nomine non contendo, qui *centuriam Tatiensem* et *Titiensem* pro eadem a Tito Tatio lego, sed ab eodem *Titiam curiam*, et *Titiensem tribum*, apud Pompeium. In hoc hæreo, quod Varro prædicto loco nullum de Tatio verbum fecit, e cujus votis paulo ante refert, quæ fuerint Romæ dedicata. Magis autem miror Cornelium, qui tam sui dissimilis, hic Sabinorum sacris retinendis, a rege Tatio, et Historiarum lib. II. a Romulo, Tatii memoriæ, *sodales Titios* institutos ponat: quorum alterutrum sit falsum necesse est. Sane Romulus T. Tatio funus amplissimum faciendum curavit, et ejus manibus parentalia annua decrevit: at sacratorum sodalium aut flaminum nulla apud Livium, Dionysium, Plutarchum penitus mentio est. *Vertranius.* Lipsius ait, pugnare secum Tacitum, cum hic Sodales Titios institutos dicat, retinendis Sabinorum sacris: at lib. II. Histor. Tatii Regis memoriæ a Romulo sacratos. Julius Salinerus idem esse affirmat, propter regni societatem, atque utrobique id a Tacito dictum, ut tantum sciretur, quo exemplo Tiberius sodales Augustales instituerit. Nos fortasse aliter pugnam conciliabimus; ut Tatius sodales quidem instituerit, patriis sacris retinendis; Romulus vero post illius mortem eos solemnitate quadam confirmaverit, atque sacraverit, ut Sabinum populum eo magis deliniret. *Pichena.*

Indulserat ei ludicro Augustus] * Quod Suidas notat, in Ἀθηνόδωρος: cave ad Tiberii tempora referas, sed Augusti: κατὰ δὲ τοὺς καιροὺς ἐκείνους καὶ ἡ παντόμιμος ὄρχησις εἰσήχθη, οὔπω πρότερον οὖσα. Emenda etiam supra in Suida, Βαθύλλου. Duo Pantomimi sive histriones (vulgo enim in historia, ut hic Tacito, miscentur eæ voces) eximii, Pylades et Bathyllus. Posterior, ignis et delicium Mæcenatis. Dionem non capiunt vulgo, qui hunc amorem honeste tetigit lib. LIV. Ὅθενπερ πάνυ σοφῶς ὁ Πυλάδης ἐπιτιμώμενος ὑπ' αὐτοῦ (Αὐγούστου) ἐπεὶ Βαθύλλῳ ὁμοτέχνῳ τε οἱ ὄντι καὶ τῷ Μαικήνᾳ προσήκοντι διεστασίαζεν, &c. Ubi tamen, &c. *Lips.*

Cap. 55. *Initio veris et repentino*] Mur. *et* delet. Recte sane abest. *Acidal.*

Rebellionem sæpe alias] Mur. hic inserit *et*. *Rebellionem et sæpe alias et supremo*. Acidalius.

Gener invisus inimici soceri] Scio recte dici, *soceri gener*: sed suspicor, Tacitum scripsisse, *gener invisus, inimicus socer*. Invisus enim socero gener, quia filiam ei rapuerat: inimicus genero socer, quia Romanis amicus. *Pichena.* Duo verba postrema, non sunt adnectenda prioribus, neque habenda casus secundi, sed pluralis numeri: frequens enim auctoribus usurpare eam figuram. Unde nuper Senecæ reddidimus Hercule Furente, versu 1283. suasu membranarum, *pavidasque matres*, cum prius occurreret passim, *pavidamque matrem*. Quare frustra quoque rapitur in medicinam locus Taciti Annal. XI. 16. 'Non alium infensius arma contra patriam ac Deos penates, quam parentes ejus exercuisse:' intelligit quidem unum patrem scriptor, sed enuntiat tamen aliter. Sic neque mutandum illud in vita Agricolæ cap. 5. 'Trucidati veterani, incensæ coloniæ, intercepti exercitus,' quamvis unica tantum colonia igne hausta. Ut neque quod sequitur cap. 32. 'Vacua castella, senum coloniæ,' &c. nisi velimus mille item aliis locis interpolare os orato-

rium auctoribus classicis: quo quid protervius? *Gruterus.* Genitivi singulares sunt: quod putidum esset monere, si complures pro nominativis pluralibus non habuissent. *Freinshemius.*

Cap. 56. *In monte Tauno*] Alii, *Tauro* scribunt. Ubi is, mecum alii ignorant. *Lipsius.*

Flumen Adranam] Quod Junius noster *Ederam* accipit in Hassis: qui Fuldam amnem illabitur. *Idem.*

Nando tramiserit] Lego: *trucidatum sit: juventus flumen Adranam nando tramiserat, Romanosque pontem cœptantes arcebant.* Acidalius. Malim, *tramiserat*: haud enim hæc pendere velim a superiori, *ut.* Pichena.

Mattio] Ματτιακὸν Germaniæ urbs est Ptolemæo. Marspurgum Hassiæ esse, non abhorret a vero. Adfirmare enim hæc talia, in tanta mutatione temporum, stultum: et tamen suavis hodie ingeniorum lusus. Ab hoc autem Mattio, Mattiacos nostros quidni deducam? Ut non solum contermini jam et socii, sed etiam consanguinei sint Batavorum. *Lipsius.*

Cap. 57. *Rebus commotis*] Imo scribo, *rebusque motis* ex sententia, et Taciti exemplo, lib. xiv. 'Ducem tantum defuisse, qui rebus motis facile reperiretur.' *Idem.*

Cap. 58. *Proditores etiam iis*] Thucydides lib. iii. τὸ μὲν καθεστὸς τοῖς Ἕλλησι νόμιμον ἴσμεν· τοὺς γὰρ ἀφισταμένους ἐν τοῖς πολέμοις, καὶ ξυμμαχίαν τὴν πρὶν ἀπολείποντας, οἱ δεξάμενοι, καθ' ὅσον μὲν ὠφελοῦνται, ἐν ἡδονῇ ἔχουσι· νομίζοντες δὲ εἶναι προδότας τῶν προτοῦ φίλων, χείρους ἡγοῦνται. *Gronovius.*

Utrum prævaleat] Segestes orat pro filio, ejusque errorem juventæ illius, et suis meritis condonari petit. Pro filia non audet orare, quod non sponte virum reliquerit, sed necessitate ad patrem reversa fuerit; quippe capta ab eo, infra i. 59. Contra filius, cum Arminium sequi posset, ad patrem, quem Romanarum partium esse notat, voluntate rediit. Ergo filiæ causam integram Germanici judicio permittit, cumque duo in ea maxime consideranda sint, et, quod ex Arminio conceperit, ad pœnam; quod ex se nata sit, ad veniam valeat, Cæsaris arbitrio servat, utrum utri præferre velit. *Freinshemius.*

Veterem in provincia] Nescio an verius, *vetere in provincia*: id enim ad securitatem Segestis, ne sedem acciperet in provincia nova obnoxia hosti. Per veterem autem provinciam, ceperim Galliam: infra, *Coleret Segestes victam ripam; redderet filio sacerdotium.* Tamen fieri potest ut sedem jam ante defectionem in Gallia habuerit: atque ita, *veterem.* An *uberem* placet? an aliud e veteri scripto elicis, qui habet, *væra?* Lipsius.

Ipsi sedem vetere in provincia] Inclinabat Lipsius ad hanc lectionem, judicii ductu, cum antea legeretur, *sedem veterem.* Manuscr. fere convenit: habet enim *vetera*, addita littera *e*, supra literam, *a*, quamvis a recentiori manu. Recepi itaque. Tacitus l. iii. 'in hibernaculis veteris provinciæ componit.' *Pichena.*

Cap. 59. *Numquam satis excusaturos*] Forte, *accusaturos*: et statim, *ignorantiam imperii Rom.* Lipsius.

Hominem Germanos nunquam] Hic primum malim, *Redderet filium sacerdotio.* Rectius enim ita, quoniam ille sacerdotio aufugerat. Deinde quæ sequuntur, languent. Ego videor erigere; simul et asperare probrum in Segestem: *Coleret Segestes victam ripam; redderet filium sacerdotio: enimvero Germanis nunquam satis excusaturum, quod inter, &c.* Ex *Hominem* non nimis violenter *Enimvero*: ex *Germanos*, facillime *Germanis* fit. *Excusaturum* autem etiam alias legitur. Lipsius olim voluit *Excusaturum* hoc sensu: Hominem natum neminem Germanos excusare posse, quod passi sint Romanos ad Albim pervenire. *Acidalius.* Durior paulo locutio: fuerit forte, *hominem Germanis n. s. excusaturum.* Freinshe-

mius. Lege, *homines Germanos.* Et *excusaturos* intellige posteritati. *Grotius.* Nulla opus est mutatione. Hoc enim vult; Hominem, nimirum Segestem, nunquam satis excusaturos Germanos, sive præsentes, sive posteros, quod ejus, avitæ obliti ac hostis libertatis, perfidia in patriam, studio in Romanos; horum imperii, non nisi servilia indicentis, inter Albim ac Rhenum, datos a Natura custodes libertatis, insignia sint conspecta. Neque alienum aut absurdum videri debet illud, *hominem*, quo Segestem Arminius designat. Sic enim loquimur, quoties nostros, si adversi sint nobis, aut infidi, aut nos offenderint, agnoscere merito dedignamur, passim extant exempla. Ad hanc fere formam Dominus Joh. IV. ad Matrem, res non suas intempestive curantem; 'Quid mihi tecum est, Mulier!' Non aliter ac si matrem hic non agnosceret. Et infinita talia apud auctores. *Boxhornius.* Meo judicio recte Grotius, *homines Germanos.* Livius l. XLII. 'Regem educandum filium Romam misisse, ut jam inde a puero assuesceret moribus Romanis hominibusque.' Est genus excusandi, quod non inanibus verbis, sed rebus quæritur. Sic Statius Theb. I. 'Tu modo dissimilis rebus mereare secundis Excusare tuos.' Id est, præstare, ut illis ignoscatur, ut pro purgatis habeantur. Hoc intelligit Tacitus, significatque, qui vere Germani sint, et hoc nomen tueantur, eos meminisse oportere, quoad vivant, elaborandum sibi, ut hanc maculam diversis et fortibus factis deleant, nec in eo unquam sibi satisfacere. Adde quæ diximus Obser. II. 13. Nam quod iste obnititur, quid est *nunquam satis excusaturos hominem*, qui, si culpa ejus id acciderit, nemini excusandus, sed omnibus accusandus debet videri? ita dicendum erat, *amicos Segestis nunquam hominem satis excusaturos* apud alios Germanos. Freinshemius παραφράζει, Germanos hujus proditionis nota nunquam liberaturos, quod ejus opera factum est. Hoc est, *nunquam excusaturos*, non *nunquam satis excusaturos.* Gronovius.

Ignorantia imperii Romani] Non mutarem, etsi Lipsius, *ignorantiam*, legere mallet: ait enim Tacitus, Germanos inter Albim et Rhenum incolentes, quibus notum imperium Romanum, virgas et secures expertos: alias vero gentes ejusdem imperii ignaras, istarum etiam rerum nescias. *Pichena.* Certe aliæ gentes, quæ Romanum imperium haud agnoscunt, non suppliciis, non tributis, quæ stipendiariis provinciis indicunt, atteruntur. *Freinshemius.*

Ille delectus Tiberius] Aliis, Delectus ad imperium. Quod quanquam verum sit, et horum etiam verborum hic sensus esse possit; potius ad bellum contra Germanos, cui dux delectus fuit Tiberius, quam ad principatus successionem hic respici putem. Ipse quidem II. 26. gloriatur, 'se novies ab Augusto in Germaniam missum.' *Freinshemius.* Admitterem, si esset *delegatus.* Sed longe amplius est *delectus*, et Tiberium extollendo auget laudem eorum, a quibus vir talis irritus discessit. Ille *delectus* igitur est ille, quem unum ex omnibus dignum Augustus putavit, ut hæredem successoremque ordinaret. *Gronovius.*

CAP. 60. *Teutoburgiensi saltu*] Nomen etiamnum retinet inclytus Romana clade saltus, *Teuteberg:* et victoriæ cognomine insignis campus, *Winfeldt*, ad opidulum Hornam, in *Westfalia.* Lipsius.

CAP. 61. *Visuque ac memoria deformes*] Et hoc inter cætera minutiora adnotabo, in Man. legi *deformides.* Pichena.

Suo ictu mortem invenerit] Sall. Catil. 'Ita ille patricius, ex gente clarissima Corneliorum, qui consulare imperium Romæ habuerat, dignum moribus, factisque suis exitum vitæ invenit.' *Gronovius.*

CAP. 63. *Campumque quem hostis insederat, eripi*] * Vide Salmasium ad Solin. p. 905. Idem Silius 'prærepto limite' dicit de primo. Hoc Manilio est 'præcludere circum' l. v. ver. 80. 'Vel prima tenentem Agmina in obliquum currus agitare malignos Obstantemque mora totum præcludere circum.' Illud *in obliquum* repræsentat Silius: 'Obliquum Durius conversis pronus habenis Opposuit currum atque eversum propulit axem Atlantis senio invalidi.' Est enim *malignus* in adversarium, qui hanc ei moram objicit: et præcludit ei circum, in quo nullum ei locum dat antevertendi aut laudem in eo quærendi. Quod non consideravit Scaliger, cum correxit in Manilio, *perludere*. Gronovius.

Circum silvæ paulatim adclives] Ex Man. In vulgatis, *adclines*. Pichena.

Ut opus, et alii prœlium inciperent] Faërnus locum hunc, ut videtur, mutilum, ita restituebat: *ut alii opus, alii prœlium inciperent*. Ursinus. Ad marginem libri Mureto adscriptum, *ut par opus alii*. Vere inde conjicio: *placuit, ut pars opus, alii prœlium inciperent*. Acidalius. Frustra laborant in loco sano et nihil laboranti. Vide nostra ad Livium III. 37. *Gronovius.*

CAP. 64. *Inclinantis tum legiones*] Forte aptius; *inclinantis jam legiones*. Freinshemius.

CAP. 65. *Truci sonore*] Rhenanus vir doctus, quique nos scriptis non parum adjuvit suis, hunc locum et alterum ex libro IV. sequenti, ibi, 'sonorem alterius prælii non acciperet,' mire suspectos habet: vereturque ne librarius aliquis Sidonianæ lectioni assuetus, pro *sono*, *sonorem* infulserit. Sed magis est ut Cornelius noster, &c. * Item l. VI. 'Odorari licet, et sentire sonorem.' *Vertranius.*

Invalidi ignes] Similis prorsus descriptio Xenophontæa, in desperatione pari; περὶ Κύρου ἀναβάσεως γ' Ταῦτα ἐννοούμενοι καὶ ἀθύμως ἔχοντες, ὀλίγοι μὲν αὐτῶν εἰς τὴν ἑσπέραν σίτου ἐγεύσαντο, ὀλίγοι δὲ πυρὰν ἔκαυσαν, ἐπὶ δὲ τὰ ὅπλα πολλοὶ οὐκ ἦλθον ταύτῃ τῇ νυκτί· ἀνέπαυέ τε δὲ ὅπου ἐτύγχανεν ἕκαστος, οὐ δυνάμενοι καθεύδειν ὑπὸ λύπης, καὶ πόθου πατρίδων, γονέων, γυναικῶν, παιδῶν, οὓς οὔποτε ἐνόμιζον ἔτι ὄψεσθαι: *Hac cogitatione mæsti et desperantes, pauci sub vesperam cibum sumpserunt, pauci ignem accenderunt, ad arma non multi ea nocte ibant. Jacuit quisque, ubi casus eum posuit, cum dormire non possent, tristitia et desiderio patriæ, parentum, uxorum, liberorum: quos videre ultra spes non erat.* Porro de Castrorum his ignibus, in *Militia* nobis scriptum. *Lipsius.*

Interruptæ voces] Quæ, aut quorum? Vigilum. Ita capiendi auctor ipse Tacitus Hist. v. 'Vigiles flagitium suum ducis dedecore excusabant, tamquam justi silere, ne quietem ejus turbarent. Ita intermisso signo et vocibus, se quoque in somnum lapsos.' Duo igitur solennia Romanis vigilibus, Signum et Voces. Signum, capio Buccinam: Voces, istas quas interposuisse videntur munere suo functi, ad vigiles alios excitandos. Colligo ex Ambrosio Hexaëm. v. 15. ubi militari more de vigiliis gruum: 'Ceteris quiescentibus, aliæ circumeunt. Post ubi vigiliarum tempus fuerit impletum, perfuncta munere in somnum se præmisso clangore componit, ut excitet dormientem, cui vicem muneris traditura est.' *Lipsius.*

Interruptæ voces] *Militum*, non *vigilum*: ut enim in lætitia omnia vigent, et continuo personant strepitu: sic in rebus adversis, contra est. Noster Annal. II. 'Sumto justitio, deseruntur fora, clauduntur domus, passim silentia et gemitus.' *Lib.* vero III. 'Dies quo reliquiæ tumulo Augusti inferebantur, modo per silentium vastus, modo ploratibus inquies.' Egregie Silius l. x. Punicor. de superstitibus cladis Cannensis: 'Trunca atque ægra metu, seu mag-

na elisa ruina, Corpora debilibus nituntur sistere membris. Clamor sæpe repens, et sæpe silentia fixis In tellurem oculis.' Libanius declamatione, quæ Patrocli inscribitur: ὁ μὲν δὴ ταῦτα, οἱ βάρβαροι δὲ παρὰ τὰς ὁλκάδας σκηνώσαντες, ἐν ᾄσμασι ἐπαννύχιζον καὶ αὐλοῖς· ὥστε τὸν Ἀτρέως, ὅπη ἂν ἔβλεψε, δυσχερεῖ θεᾷ περιπεσεῖν, τοῦ μὲν ναυστάθμου τοὺς Ἕλληνας ἔχοντος ἐν ἀθυμίᾳ καὶ σιωπῇ, &c. Sic et hoc loco, auctor noster opponit *interruptis* Romanorum *vocibus*, Germanorum *lætos cantus, ac trucem sonorem.* Gruterus.

Atque ipsi passim adjacerent vallo, oberrarent] Faërnus legebat: *Atque ipsi passim adjacere vallo, oberrare tentoriis.* Ursinus.

Ducemque terruit dira quies] Lucanus l. VII. 'Dira quies et imagine mœsta diurna.' *Gronovius.*

En Varus, et eodem iterum fato] In Man. habetur: *En Varus, et eodemque iterum fato victæ legiones:* suspicor legendum, *En Varus, en, eodemque iterum, &c.* Certe particula, *en*, ingeminata, vim etiam orationis ingeminat. *Pichena.*

Simul hæc et cum delectis] Faërnus legebat: *simul hæc, cum delectis scindit agmen:* deleta *et* conjunctione. *Ursinus.* Infeliciter. *Gronovius.*

Egeritur humus] Corbulæ et sportæ. *Lipsius.*

CAP. 66. *Tanta inde consternatio*] Apud veteres Romanos, (ut alibi Lipsius notat) hoc maxime cautum erat. Polybius enim l. VI. ait, turmas equitum quotidie excubasse in castris; deinde sequitur: 'Atque hi curant, cum alia, tum equos maxime; ne, aut vinculis impediti et illigati, lædantur, inutiles futuri ad militiam; aut soluti et ruentes, turbas et consternationem excitent in castris.' *Pichena.*

CAP. 67. *At victoribus decus, gloriam*] Melius ex Manusc. distinxi; cum male in omnibus libris interpunctum esset: *gloriam, quæ.* Sensus est: Victoribus decus et gloriam superesse; deinde memorat, *quæ domi cara*, scilicet, parentes, liberos, &c. *quæ in castris honesta*, id est, dona militaria. *Idem.*

In castris honesta] Olim aut nuper in militia feliciter ab iis gesta. *Lips.*

Orsus a suis] Ferri potest intellegique, quod plures suos equos distribuerit: præoptem tamen, *a suo.* Ut Commentario Cæsaris primo: 'Cæsar primum suo, deinde omnium, e conspectu remotis equis.' Statim etiam, 'Hostis facile excidium,' sententia desiderat, non, *Hosti*, quod inolevit. *Idem.*

Equos dehinc, orsus a suis] Rectius haud dubie, quam *a suo.* Credibile enim est plures distribuisse, ut equitum quantum posset efficeret: præsertim cum superiori prælio plus equorum quam hominum amissum fuisse videatur, 'equis' enim 'maxime vulnera ingessisse' Arminium dixit auctor I. 65. Itaque cum duces atque legati plures equos alere consuevissent, usus militiæ poposcit, ut iis, qui suos amisissent, alios darent. Sic apud Curtium VII. 'Cum Antiphanes scriba equitum Amyntæ denunciasset, ut ex suis equis more solito daret his, qui amisissent suos.' Cæsarem de Bello Gall. VII. 'Eorum adventu, quod minus idoneis equis utebantur, a tribunis mil. reliquisque, sed et equitibus Romanis atque evocatis, equos sumit, Germanisque distribuit.' *Freinshemius.*

CAP. 68. *Orta die proruunt fossas*] Nauseam movet, cum hoc loquendi genus puteat. Igitur lego, *igitur orta die proruunt, fossis injiciunt crates.* Turnebus. Non adsentior. Proruebant enim fossas, demoliendo vallum, terramque superadgestam. *Pichena.* Pro germana mihi est lectio, quam Turnebus restituit. Ad exprimendam Germanorum aviditatem atque ferociam nihil aptius. Nec audiam virum doctum, qui vulgatam exponit: id enim fieri potuisset, si vallum pro fossa,

non autem fossa pro vallo fuisset. Sed nec a labro fossæ terram injecisse crediderim, quod enim consilium eorum fuisset, si inopinantibus superventuri, ecfodere humum, quæque in tuto gravia, tela inter hostium moliri voluissent? At crates per noctem facile parare potuerunt, quibus celeriter in fossas conjectis imparatos Romanos in castris suis occuparent. Ergo Tacitus hic significare voluit omnia magna cum celeritate acta fuisse: *Proruunt*, inquit, *fossis injiciunt crates, summa valli prensant.* Similem Gallorum impetum descripsit Cæsar Commentariorum de Bello Gall. VII. 18. *Freinshemius.* Vide tamen, ut veteres hoc verbo utantur. Cæsar Gall. III. 'Celeriter ad munitiones pervenerunt, atque his prorutis.' Livius IX. 'Pars fossas explerent, pars vellerent vallum, atque in fossas proruerent.' Eodemque: 'Dolabræ calonibus dividuntur ad vallum proruendum fossasque implendas.' Et mox: 'proruto vallo erupit acies.' Lib. XXII. 'Montes lapsu ingenti proruit' terræ motus. Lib. XXVI. 'Albam a fundamentis proruerunt.' Frontinus, II. 5. 'repente adortus et desertum proruit vallum et castra cepit.' Noster Ann. II. 'prorutæ arbores.' Histor. III. 'hostem postera die profligare ac proruere.' Et, 'balista ingentibus saxis hostilem aciem proruebat.' Et sic semper: neque usquam memini me legisse *proruere* pro impetum facere, incurrere. Livii locus erat XXV. 30. ubi vulgo, 'ab cohorte et equitibus ex occulto proruentibus.' Sed Put. et meliores *procurrentibus.* Alter Curtii IV. 16. 'Subditis calcaribus proruere in hostem.' Sic plane libri etiam optimi: sed legendum *prorumpere*, ut apud Maronem: 'et medius densos prorumpit in hostes.' *Gronov.*

Æquis locis æquos Deos] Id est, in neutram partem pronos. Nonnullos enim audivi interpretari, *æquos*, id est, fautores. *Pichena.*

Hosti facile excidium] Rectum est, *Hosti*, non, *hostis.* Hoc enim ait, hosti cogitanti facile excidium offusum de improviso sonum tubarum, &c. *Mercerus.* Distinctionem, quæ sententiæ fraudi, muto: *Hosti facile excidium et p. a. s. cogitanti sonus, &c.* Si *hostis* legas, contraria plane verborum mens ei, quam voluit auctor. *Acidalius.* Recta lectio et planus sensus. Germani putabant cum paucis et semermis rem sibi, et perinde facile castrorum excidium fore: iis igitur arma tubæque inopinato objectæ in majus accipiuntur. Ne quem moveat vir doctissimus qui scribendum censuit: *Hostis facile excidium.* Freinshemius.

Cuncta in victoria habuere] Sensus: quamvis tot adversa premerent, tamen gaudio partæ victoriæ libenter tolerasse, eamque instar vis, sanitatis, copiarum habuisse. Sic fere Cic. ad Att. III. 20. 'in universa salute inerunt omnia.' *Idem.*

CAP. 69. *Et fomenta*] Vide Suidam, in Λαμπάδιον, et me in Plinii Panegyricum. *Lipsius.*

Odia in longum jaciens] * Sic, 'Caussando nostros in longum ducis amores.' Id est, causas prætexendo, ne carmina referas, ultro facis, ut ea vehementius desiderem. Verum aliter Servio visum: sed nostro interpretamento Cornelius favet. Quisnam autem lites mihi conciat, si μεταφορικῶς interpretatus *in longum jaciens*, ab iis qui vallum et fossas in longum ducendo, ea extendunt, et augent? Nemo certe, quia dicta verba commode non aliter explanari valeant; et metaphoræ plurimum orationis magnitudini conferant. Vel si proprie accipere vis *odia in longum jaciens*, id est, differens sive prolatans, per me facias licet, et ἀντίπτωσις erit pro *odia in longum jacientis*; non absimilis huic: 'meminissent C. Asinii et Messallæ ac recentiorum Arruntii et Eserníni ad summa provectos incorrupta vita

et facundia.' Quæ *μετάβασις* amica Thucydidi, l. IV. *εἶπον δὲ τούτοις, καὶ Κερκυραίων ἅμα παραπλέοντας τῶν ἐν τῇ πόλει ἐπιμεληθῆναι.* De quibus agens Scholiastes *τὸ ἑξῆς ἦν, παραπλέουσιν, ἀλλὰ μεταβάσει ἐχρήσατο ἀπὸ δοτικῆς ἐπὶ αἰτιατικήν. Salinerius.* Non omittebat, inquit, semina jacere longinqui odii, quod aliquando in perniciem eorum erumperet. Quum enim animum Tiberii, ut clausum aliis, ita sibi uni apertum, exacte nosset, sciebat eum offensas atque odia semel concepta alta mente reponere atque fovere, donec oblata occasione ultionis, ipsa mora tristibusque meditationibus aucta roborataque proferret. *Quæ reconderet auctaque promeret*, de Tiberio dicuntur: male non nemo ad Sejanum transtulit. *Freinshemius.*

CAP. 70. *Sapiens a prudenti*] Clarum est scribi debere, *sapiens ab imprudenti.* Lipsius.

Sapiens a prudenti] Aperto vulneri multi multis modis medentur. Ego, *insciens a prudenti.* Similitudo litterarum non abest, sensus postulat. Recteque, *insciens*, sive ignarus, *prudenti* opponitur: infra l. II. 'milesque pavidus, et casuum maris ignarus, dum turbat nautas, vel intempestive juvat, officia prudentium corrumpebat.' *Pichena.* Ego scriptum fuisse puto *sapiens ab rude, nil consilia, &c.* Opponit hæc et Curtius VIII. 13. 'et quanta inter rudes poterat esse sapientia.' *Freinshemius.*

Pernoctavere sine utensilibus] * Adde pecun. vet. II. 7. et Pricæum ad Apuleii Milesias. *Gronovius.*

Penetratumque ad amnem Visurgim] Ego vero hic obhæreo. Supra scriptum: *Reducto ad Amisiam exercitu, legiones, ut advexerat, reportat.* Si ad Amisiam Germanicus classem conscendit, Rhenum et Galliam petiturus, quo casu nunc ad Visurgim? Tempestate, inquies. Bene, sed quomodo Vitellius, qui et ipse paullo ante ad Amisiam, et (ne tempestatem iterum suspicere) terra iit, nunc quoque ad Visurgim? Hæc si probe narrantur, Germaniam profecto petiere: non Galliam repetiere: aut fallunt me locorum omnes situs. *Gronovius.*

CAP. 71. *Cunctantius filio*] Ex Man. Alii minus recte, *cunctatius.* Pichena.

CAP. 72. *Tanto se magis in lubrico dictans*] Potius forte *dictitans*, ut et Muret. Sic forte et Ann. II. *Rhescuporis sanciendo, ut dictabat, fœderi, dictitabat* legendum. *Acidalius.* Malim, *dictitans;* ita enim amat Tacitus. *Pichena.*

Facta arguebantur, dicta impune erant] Hæc verba Petrus Danesius putabat ex alio Taciti loco irrepsisse, eaque, ut prorsus ab hoc aliena, rejiciebat, consentientibus libris. *Ursinus.* Quid sibi velint, ignoro. Nam et loco posita sunt verba, et verissima, quod totus titulus in Digestis Ad legem Juliam majestatis docet ac demonstrat, ne post tot secula quidem tot tyrannos argui verba plane ausos sancire, etsi per interpretationem eo trahi legem paterentur. Quin et aperte Jurisconsultus: 'nec lubricum linguæ ad pœnam facile trahendum est.' Sed latebra est in illo *non facile.* Interim vere Tacitus et commode de prisca vi legis. *Gronovius.*

Primus Augustus] Sullæ discipulus. Cic. Fam. Ep. III. 11. 'Veruntamen est majestas (ut Sulla voluit) ne in quemvis impune declamare liceret.' *Idem.*

Cassii Severi libidine] Scribam infra, ad librum IV. *Lipsius.*

Libidine qua viros fœminasque] Nihil deperiret orationis nitori, si scriberetur: *Cassii Severi libidine, qui viros fœminasque inlustres procacibus scriptis diffamaverat.* Gronovius.

Pompeio Macro prætore] Huic Pompeio cognomen fuit *Macer.* * Est et hoc cognomento illustris JCtus, cujus fragmenta sunt in Digestis Justiniani: atque alius ex Liciniorum familia historicus, qui sæpe citatur Livio, cum alias, tum corrupte IV. 23. 'apud Marcum Licinium,' pro *Macrum:*

eadem literarum metathesi, quæ simillimum mendum adspersit Strabonis loco l. 13. ubi de Pompeio Macro: *υἱόν τε ἀπέλιπε (ὁ Θεοφάνης) Μάρκον Πομπήϊον·* Theophanes *filium reliquit Marcum Pompeium:* scribendum enim *Μάκρον.* Hinc soror hujus nostri prætoris (idem enim est) *Pompeia Macrina* vocatur VI. 18. Quorum avum potius Theophanem, quam ut ibi scribitur, *proavum* ratio temporum videtur evincere. *Freinshemius.*

Carmina, incertis auctoribus] Intellegit ea ipsa carmina quæ exstant Suetonio, c. 59. *Lipsius.*

Gravissimum exitium] Seneca de Benefic. 'Sub Tiberio fuit accusandi frequens ac pæne publica rabies, quæ omni civili bello gravius remp. afflixit.' *Idem.*

CAP. 73. *Nomen Augusti*] Malim hic legere *numen;* et vice versa H. II. 33. *Nomen Othonis,* ubi *numen* est. *Freinshemius.*

Scripsit consulibus] Errat igitur Dio fine l. LVII. qui ait Tiberium voluisse damnari eum qui statuam cum hortis vendidisset: sed obstitisse pudorem: quia primus a consule sententiam rogatus esset. Nam Tiberius, ut vides, non interfuit. *Lipsius.*

CAP. 74. *Prætorem Bithyniæ*] De scriptura ambigit sidus exoriens suæ Galliæ Jos. Mercerus: nec de nihilo. Prætorem Bithyniæ ait: nonne debuisset *Proconsulem?* Et re quidem et ex vero. Nam Bithynia, divisione Augusti inter eas provincias quæ Senatui et populo relictæ: id est, proconsulares. Dio, et Strabo. Quid dicam? Vulgatam haud tuear, nisi si quid post Augustum in ea re mutatum, quod observes haud semel. *Idem.*

Qui formam vitæ iniit] Non Hispo, sed Crispinus, de quo potissimum: idque ex sequentibus patet: 'sed Marcellum insimulabat:' ipse scilicet Crispinus accusator. Idem alibi in Tacito observavi: ut lib. XV. 'Qui magna cum invidia senatum adeunt:' ubi illud, *qui,* refertur ad vocem, *patres,* non ad *manumissos.* Pichena.

Ex pauperibus divites] Videri possit a Demosthene, Philip. IV. Καὶ γὰρ τούτων μὲν ἐκ πτωχῶν ἔνιοι ταχὺ πλούσιοι γεγόνασι, καὶ ἀδόξων ἔνδοξοι καὶ γνώριμοι: *Nam horum quidam ex pauperibus statim divites facti, et ex ignobilibus gloriosi ac nobiles.* Lipsius.

Pœnitentia patiens tulit] Faërnus optima, ut videtur, conjectura restituebat: *quantoque incautius efferbuerat, tanto patientius tulit, absolvi reum, &c.* Ursinus. Muretus *tanto patientius tulit absolvi.* Concinnius hoc sane. *Acidalius.* Non ita visum Tacito, cui pretium fuit dissimulare τὸ *tanto:* quemadmodum solent et minus brevitati studentes post *Quo* et *Quam* omittere *Eo* et *Tam:* nec leviores auctores secutus, aut hic tantum, prudentiæ lectoris intelligendum reliquit τὸ *magis.* Idem ergo sensus verborum veteris scripturæ, quasi haberetur: tanto, ut pœnitentiam commotioris animi approbaret, magis patiens vel patientius tulit. *Gronovius.*

Ad reciperatores itum est] *Petrus Faber Semest. II. 35. se concoquere negat illa verba, *quam jam passus erat:* quomodo enim jam subiisse pœnam dici, de cujus criminibus tum primum senatus non ex appellatione judicaret, et nondum pronuntiasset? itaque mali interpretis esse hoc additamentum, et Gruterus Buchnerusque laudant. Sed falluntur: nam ex eadem epistola discimus, cum sese ultro repetundarum Marius damnasset, neque eo contentus esset Plinius; valuisse sententiam Julii Ferocis cos. des. 'Mario quidem judices interim dandos; evocandos autem, quibus diceretur innocentium pœnas venditasse.' Elapsum est igitur aliquid temporis, dum isti e provincia arcessuntur et ventitant: atque interea judices dati lites æstimarunt. Hinc ergo recte dicitur eam *pœnam jam passus:* et sententia Collegæ fuit, de Mario repe-

tundarum pœna, quam per judices a senatu datos jam sustinuerat, *modo consularis, modo septemvir epulonum, nunc neutrum* (quæ verba et ipsa partem exacti supplicii significant) debere senatum sibi satisfactum putare. At crimina, de quibus tum senatus judicabat, erant atrocia illa, quæ *ultra repetundarum legem quærebantur*. Contra Marcellum Donatum faciunt etiam, quæ scribit noster lib. IV. 22. 'Refert ad senatum, datisque judicibus Urgulania Silvani avia pugionem nepoti misit.' *Gronovius.*

CAP. 75. *Nec patrum cognitionibus satiatus*] Suetonius in Tiber. 33. 'Magistratibus pro tribunali cognoscentibus plerunque se offerebat consiliarium.' Idem de Claudio 12. 'Cognitionibus magistratuum ut unus e consiliariis frequenter interfuit.' *Pich.*

Dum veritati consulitur] *Veritati* hic nullus locus. Scribe *severitati*. Ea enim recte opponitur precibus et ambitui. *Grotius.* Forsitan hoc recte se habet: inclinem tamen ut legam *severitati*, ad quam proprie pertinent, quæ ad morum integritatem faciunt. Posset tamen *veritas* hic accipi pro æquitate, sicut alias *verum* pro æquo. *Severitati*, eo nempe sensu, quo apud Hirtium de bell. Alex. cap. 28. 'paulatim tamen et occulte militarem disciplinam severitatemque minuebant:' et cap. 56. 'multa Romæ male et inutiliter administrari, quæ dissolvendæ disciplinæ severitatique essent.' Noster I. 75. 'Cupidine severitatis acerbus.' Solin. cap. 53. 'Sericum in usum publicum damno severitatis admissum.' *Freinshemius.* Neque legendum *severitati*, neque *veritas* est æquitas sive ἐπιείκεια, sed simpliciter justitia, sanctitas et integritas judiciorum. Cicero pro Cœlio: 'Equidem vos abducam a testibus, neque hujus veritatem judicii, quæ mutari nullo modo potest, in voluntate testium collocari sinam.' Lib. I. in Verr. 'Sin istius ingentes divitiæ judiciorum religionem et veritatem perfregerint.' Lib. V. fine: 'si ullam ad rem, nisi ad officium et veritatem, omnes meæ curæ, vigiliæ, cogitationesque elaborarunt.' Noster lib. III. 'quatenus veritati et innocentiæ meæ nusquam locus est.' Lib. IV. 'neque Philippum potentia, sed ex vero statuisse.' *Consulere* ergo *veritati* est operam dare, ut *integrum judicium sit*, ut loquitur noster lib. III. Sic, si patiantur judices senatorii ordinis sese corrumpi, 'opinione Po. Ro. rationem veritatis, integritatis, fidei, religionis ab hoc ordine' abjudicatum iri ait Cicero, I. in Verrem. Hæc si non sufficiunt, adde quæ ad Senecam de ira, II. 29. diximus. *Gronovius.*

Tentantis eadem] Adi Senecam De Beneficiis l. II. 7. *Lipsius.*

CAP. 76. *Levari in præsens proconsulari imperio*] Potest fieri, ut hoc fuerit nihil aliud quam 'optat ephippia Bos piger.' Memineris tamen, quod initio dixit hujus libri: 'Nec provinciæ eum statum abnuebant,' &c. Atque istis consonant multæ apud M. Tullium præsagæ querelæ: quemadmodum act. I. in Verrem: 'Inveteravit enim jam opinio perniciosa reipublicæ, vobisque periculosa; quæ non modo Romæ, sed et apud exteras nationes percrebuit, his judiciis pecuniosum hominem, quamvis sit nocens, neminem posse damnari.' Unde spes impunitatis et avaritia libidoque provinciales urgendi, vexandi, exhauriendi major. Cum igitur natura ferat imperiorum, ut male apud paucos, male per conciones republica administrata, τὸ πλῆθος ἀποτεθηριωμένον πάλιν εὕρῃ δεσπότην καὶ μόναρχον, ut egregie disputat Polybius lib. IV. ita mirum non est provinciam dure habitam a magistratu senatorio, corruptis judiciis, nec ulla spe reliqua vel evadendi vel vindicandi injurias a potestatibus illatas, respicere unum, a quo sine ambagibus spes sit impetratum iri, 'ubi jus, ubi injuria opus

sit,' ut Junii et Vitellii loquebantur. Atque hoc significat Dio lib. LIII. ubi agit de ordinatione provinciarum sub Augusto: ὕστερον δὲ, ἐπειδή τινες αὐτῶν οὐ καλῶς ἦρχον, τῷ αὐτοκράτορι καὶ τὰ ἐκεῖνα προσετέθησαν. Dabat et spem meliorum ipsius Tiberii disciplina, qui miram provinciarum curam præ se ferebat: quippe qui præsidibus onerandas majore tributo eas suadentibus rescripserit, 'boni pastoris esse tondere pecus, non deglubere:' Suetonius cap. 32. Et exemplum severitatis præbuit in procuratore Asiæ Lucilio Capitone Ann. IV. 15. Quin et contationem suam in mutandis præsidibus eodem studio consulendi provincialibus excusabat, teste Josepho lib. XVIII. 8. quasi animo haberet, quod apud Statium ait Eteocles: 'Non parcit populis regnum breve.' Denique cogitant homines, etsi plerumque in eo decipiantur, quod ait Isocrates Nicocle: 'Ρᾷόν ἐστιν ἑνὸς ἀνδρὸς γνώμῃ προσέχειν τὸν νοῦν μᾶλλον ἢ πολλαῖς διανοίαις καὶ παντοδαπαῖς ζητεῖν ἀρέσκειν. *Gronovius.*

Quod vulgus] Confirmo scrib. *quod in vulgus.* Ita prisci scriptores, et ipse Tacitus: 'Multaque in vulgus grata usurpavit, incedere sine milite, pedibus intectis, et pari cum Græcis amictu.' *Lipsius.*

Quod vulgus formidolosum] Lipsius, *in vulgus.* At sic etiam recte. Vulgus enim illam in Druso sanguinis appetentiam formidabilem judicavit, ac sævitiæ indicium: idque et pater suspicatus est. *Pichena.* Tolerari posset hoc, sed tolerari. Verum egregie pro Taciti genio Lipsius, *quod in vulgus formidolosum.* Sic I. 52. 'Nunciata ea Tiberium lætitia curaque adfecere.' Hist. I. 18. 'Observatum id antiquitus dirimendis comitiis, non terruit Galbam,' &c. *Freinshemius.* Cur id soli *vulgo formidolosum?* An non etiam vel maxime illustribus et sapientibus viris metum terroremque injicit adolescentis Principis ingenium, sanguine nimium gaudentis? Profecto. Legam igitur potius; *quod multis formidolosum;* iis nimirum, qui ex his initiis prudenter futura colligebant. Nisi malis construere cum sequentibus; *quod vulgus formidolosum arguisse dicebatur.* Hoc enim proprium est formidolosi et simul imprudentis vulgi, arguere facta Principum. Sapientes sunt cautiores; quibus non desunt vera de malis Principibus judicia, sed vix aperiuntur. *Boxhornius.* Pichenæ interpretationi obstat vox *dicebatur.* Quod est *quidam dicebant,* ut de re non nimis certa: quale quod Tiberius cum filio in secreto egerat. Id vero non convenit populo: ejus enim affectio publice nota fuit. Rectius igitur Lipsius *in vulgus.* Cicero ad Atticum, II. 22. 'quod egregie non modo iis, qui utuntur opera, sed etiam in vulgus gratum esse sentimus.' Nisi malis, *quod vulgo formidolosum.* Sic enim amat loqui l. XI. 'formidolosum paci virum insignem.' Lib. XIII. 'formidolosum id imperatori dictitans.' Agricola: 'quippe legatis quoque consularibus nimia ac formidolosa erat' legio. Et rursum: 'id sibi maxime formidolosum.' *Gron.*

CAP. 77. *At theatri licentia proximo priore anno cœpta*] Reposui ex Man. particulam, *At,* in impressis omissam. *Pich.*

De modo Lucaris] 'Lucar,' inquit Festus, 'appellatur æs, quod ex lucis capitur; et lucaris pecunia, quæ in loco dabatur.' *Ferretus.* Plutarch. Διὰ τί τὸ τελούμενον εἰς θεὰς λοῦκαρ καλοῦσιν; ἢ ὅτι πολλά ἐστιν ἄλσα περὶ τὴν πόλιν ἀνειμένα θεοῖς, ἃ καλοῦσι λούκους, καὶ τὴν ἀπὸ τούτων πρόσοδον εἰς τὰς θέας ἀνήλισκον. *Lucar,* θεατρικὸν, Carisius et Glossarii. Tertullianus adversus Gnosticos: 'Ipse [de S. Joanne Baptista loquitur] clausula legis, et prophetarum, nec prophetes, sed Angelus dictus, contumeliosa cæde truncatur in puellæ salticæ lucar.' *Muretus.* In fragmento marmoreo incisum

est: *De lucari. ludorum. sæcularium.* Item, *Lucaris. nomine, &c.* nam *Lucar*, ut docet Plutarchus, dicebatur, τὸ τελούμενον εἰς τὰς θεὰς, sive ut apud Glossarum scriptorem, τὸ θεατρικὸν, ut notavimus ad librum de legibus, et antiquis Senatus consultis, in quo sæcularium ludorum fragmentum hoc protulimus. *Ursin.* *Lucar* scribebant, quod est *locar*, τὸ θεωρικὸν, merces pro loco in spectaculis: ex ea depravata scribendi consuetudine *Lucar* a lucis deducunt ineptissime. Inde *Locarii* qui sedes in theatro locabant. Martialis: 'Hermes deliciæ locariorum.' Varro *locarium* dici notat quod datur in stabulo et taberna qui consistant. *Salmasius.*

Ne domos Pantomimorum] * Martialis, 'Eutychus ille tuum, Castrice, dulce latus.' Hanc insaniam quam bene notat damnatque Tertullianus! 'Etenim ipsi actores' (ait, libello De spectaculis) 'et administratores spectaculorum, quadrigarios, scenicos, xysticos, arenarios illos amentissimos, quibus viris animas, feminis aut illis etiam corpora sua substernunt, propter quos in ea committunt quæ reprehendunt, quam magnifaciunt? deponunt et diminuunt ignominia et capitis minutione:' quem libens adduxi, ut eruam correctione elegantem sensum: *quibus viri animas, feminæ autem illis etiam corpora sua substernunt:* idque verissimum. Vir magnus, qui conatus est ante me, non attigit. *Lipsius.*

CAP. 78. *Centesimam*] Dico libro II. *Idem.*

Sexdecim stipendiorum finem] Putem multo convenientius restitui posse *sextodecimo stip.* ut error iste natus sit ex numerorum nota. Aliud enim est, opinor, *sexdecim stipendiorum finis:* et omnium stipendiorum totiusque militiæ *finis sextodecimo stipendio* circumscriptus. *Freinshemius.* Fateor sic posse accipi: sed non posse aliter accipi, et quidem pro eodem, quod substituit Freinshemius, metuo dicere. *Finis sexdecim stipendiorum* est finis militiæ complexus non plura stipendia quam sexdecim, sistens in sexdecim stipendiis completis. Nempe *finis alicujus* non tantum est, quo finitur aliquid, sed etiam qui quodve finit. Sic Cicero de officiis I.: 'Vulgaris liberalitas referenda est ad illum Ennii finem:' id est, quem Ennius facit vel statuit. Sic *finis sexdecim stipendiorum*, quem sedecim stipendia statuunt. *Gronovius.*

CAP. 79. *Orantibus Florentinis*] Fesulam, quam Φαισύλην Theon appellat ex Hyadibus unam, Fesulæ civitati nomen dedisse recentiores scripsere. Ea a Gothis diruta, concessisse cives in proximam planiciem, et urbem habuisse, quæ a flore, sibi Caroli Magni munificentia pro insigniis donato, nomen Florentiæ sumpserit: quæ falsa esse, nedum hic Taciti locus, sed et alii auctores ostendunt. Procopius a Totila non potuisse expugnari auctor est. Sed et in fragmentis Frontini de coloniis ita legitur: 'C. Cæs. et Ant. et Lepid. III. VIR. colonia Florentina deducta a III. viris adsignata L. Julia centuriæ Cæsarianæ in jugera CC. per cardines et decumanos termini rotundi pedales distant a se in pedes CCCC.' Meminit et Ptolemæus: ut dubio procul antiquam nobilemque coloniam extitisse credendum sit, Francorum beneficio minime conditam: celebrat eam et Plinius lib. XIV. 3. et in Scholiis Græcis Φλωρέντεια. Quapropter helleboro indigere arbitror, qui *Fluentiam* dicunt. *Alciatus.*

Congruentia his Interamnates] Non temere in Manuscr. *Antemanates:* fortasse dempta litera legendum, *Antemnates.* Varro lib. IV. de ling. Lat. 'Antemnæ, quod ante amnem, qui influit in Tiberim.' Urbs fuit in Sabinis. Et quia Antemnæ, et Interamnia non longe ab urbe Roma, et ipso Tiberi; haud facilis est inqui-

sitio, propter antiquitatem, cujus harum urbium Tacitus meminerit. Vulgatam itaque scripturam non contemno, sed de lectione libri veteris attestor. *Pichena.*

Difficultas operum] Quidam de sumptibus accipiunt. Sed consentaneum est, Patres in tanta opulentia magnificentiaque publica, non tam magnitudine sumptuum fuisse deterritos, quam desperatione metuque, ne incassum insumerentur. *Freinshemius.*

CAP. 80. *Caussæ variæ traduntur*] Non temere hoc mutem: sed proclivis est suspicio esse scribendum; *Caussæ varie trahuntur:* ut supra: *Cur abstinuerit spectaculo ipse, varie trahebant, alii, &c.* Acidalius.

Ut callidum ejus ingenium] Est enim hominum acutorum proprietas hærere ubique, et novas subinde dubitandi caussas sibi subjicere; quod etiam notat Lipsius ad Politica sua III. 4. 11. *Freinshemius.*

Ut mandaverit quibusdam] * De his fortasse intelligit Sueton. in Tiber. c. 63. *Unum et alterum consularem oblatis provinciis, non ausus a se dimittere, usque adeo detinuit, donec successores post aliquot annos præsentibus daret.* Dio l. LVIII. Has artes sequentes quoque principes imitati sunt. De Nerone Tacit. l. XIII. 'Syria P. Anteio destinata, et variis mox artibus elusus, ad postremum in urbe retentus est.' De Vitellio lib. secundo histor. 'Cluvius comitatu principis adjectus, non adempta Hispania, quam rexit absens, exemplo L. Arruntii, quem Tiberius Cæsar ob metum, Vitellius Cluvium nulla formidine, retinebat.' Elusus etiam a Domitiano Julius Agricola, ut ex vita ipsius. *Pichena.*

CAP. 81. *Quæ tum primum illo principe*] *Quæ tum*, h. e. iis temporibus, *primum illo Principe*, primo donec imperavit Tiberius, *ac deinceps*, nempe subsequentibus principibus. *Freinsh.*

ANNALIUM LIB. II.

CAP. 1. *Gentis Arsacidarum*] Strabo l. XV. Τοιοῦτον δὲ καὶ τὸ παρὰ τοῖς Παρθυαίοις. Ἀρσάκαι γὰρ καλοῦνται πάντες· ἰδία δὲ ὁ μὲν Ὀρώδης, ὁ δὲ Φραάτης, ὁ δὲ ἄλλο τι. Ubi vir magnus, Imo *Arsacidæ* vocabantur, inquit, non *Arsacæ;* et ita legendum dictare cum Grammaticorum canonas, tum Dionem et alibi Strabonem. Idem tamen ad l. XII. Paphlagoniæ reges *Pylæmenes* vocabantur: Cappadociæ plerique *Ariarathes:* Thraciæ plurimis *Cotys* nomen fuit: Parthorum *Arsacæ:* sic ibi. Nimirum si πατρωνυμικὸν formandum sit, Grammaticorum canones Ἀρσακίδης volunt, ut *Priamides, Tydides:* sed ipsi haud dubie salutabantur et se scribebant quisque, *Arsaces;* non *Arsacides*, simul imperare cœperant, etsi prius alio nomine fuissent. Sic apud Sallustium, *Rex Mithridates Regi Arsaci*, scribit. Is erat Phraates secundus Pacori filius, gente *Arsacides*, nomine inter suos *Arsaces.* Dio l. XXXVI. τοῦ γὰρ Ἀρσάκου τοῦ τῶν Πάρθων βασιλέως ἀποθανόντος ἐν τῷ χρόνῳ τούτῳ, Φραάτην τὸν διάδοχον αὐτοῦ προσεδόκασεν οἰκειώσεσθαι. Hic Arsaces erat Pacorus, quem modo nominabamus. Sic et Trogus testatur memoriæ conditoris Parthos hunc honorem habuisse, 'ut omnes exinde reges suos Arsacis nomine nuncupent.' Lapis vetus Romæ:

SERASPADANES. PHRAATIS
ARSACIS. REGVM. REGIS. F
PARTHVS
RHODASPES. PHRAATIS
ARSACIS. REGVM. REGIS
PARTHVS.

Recte igitur et Strabo Ἀρσάκαι. *Gronovius.*

Partemque prolis] Strabo l. XVI. Ὁ Φραάτης καλέσας εἰς σύλλογον Τίτιον, τὸν ἐπιστατοῦντα τότε τῆς Συρίας, τέτταρας παῖδας γνησίους ἐνεχείρησεν ὅμηρα αὐτῷ, Σαρασπάδην, καὶ Κεροσπάδην, καὶ Φραάνην, καὶ Βοώνην, καὶ γυναῖκας τούτων δύο, καὶ υἱεῖς τέτταρας, δεδιὼς τὰς στάσεις καὶ τοὺς ἐπιτιθεμένους αὐτῷ: Tantum in iis emendaverim, Φραάτην καὶ Βονώνην. Fuerunt enim inter obsides Phraates et Vonones. Vide eumdem scriptorem, libro VI. Hac ipsa de re Justinus l. XLII. 'Sed et filii nepotesque Phrahatis obsides Augusto dati.' *Lipsius.*

CAP. 2. *Sequentium Regum*] Adeo ergo multi interjecti inter Phraatem, et filium ejus hunc Vononem? Ego sane duos reperio, Phraatacem, et Orodem. Sed quia confusum hoc totum stemma, et multa ejus in Tacito mentio: dedi in Excurs. super eo, quod opus, littera *A*. Lipsius.

Solium Arsacidarum] Hegesippus, in oratione Agrippæ regis: * 'Offerunt vestes, monilia, elephantos quoque Romanis, unum tributum reges imponere.' Postrema huc faciunt, et emendem: 'elephantos: quodque Romanis unum (vel, summum) tributum.' *Lipsius.*

Solium Arsacidarum] Claudianus IV. Cons. Honorii Pan. 'Si tibi Parthorum solium fortuna dedisset, Care puer, terrisque procul venerandus Eois Barbarus Arsacio consurgeret ore tiaras.' Apud Hegesippum, quem tentat ὁ πάνυ, legendum censeo: *offerunt vestes, monilia, elephantos; quodque Romanis visum est tributi genus imponere.* Vel, *visum tributorum genus imponere.* Gronovius.

Ubi illam gloriam] *Ubi* particula elegantem vim habet in exhortando, aut etiam exprobrando omissa bona, quibus eramus fisi vel gloriati. Virg. Æneid. v. 391. 'Ubi nunc nobis Deus ille magister Nequidquam memoratus, Eryx? ubi fama per omnem Trinacriam?' Ex Homero Iliad. v. Πάνδαρε, ποῦ τοι τόξον, ἰδὲ πτερόεντες ὀϊστοὶ, Καὶ κλέος; Psalmo XLII. 3. 'Ubi Deus tuus?' *Freinsh.*

Raro venatu, segni equorum cura] Xenophon l. VIII. Pædias: Τῆς πολεμικῆς δ' ἕνεκα ἀσκήσεως, ἐπὶ θήραν ἐξῆγεν, οὔσπερ ἀσκεῖν ταῦτα ᾤετο χρῆναι, ταυτὴν ἡγούμενος καὶ ὅλως ἀρίστην ἄσκησιν πολεμικῶν εἶναι, καὶ ἱππικῆς δὲ ἀληθεστάτην. Καὶ νῦν δὲ Βασιλεὺς, καὶ οἱ ἄλλοι περὶ βασιλέα, ταῦτα ποιοῦντες διατελοῦσιν. *Lipsius.*

Fastuque erga patrias epulas] Quas scilicet contemnebat despiciebatque. Tacitus lib. IV. in fine: 'juxta, gratiam, aut fastus janitorum perpetiebantur.' Petron. Arb. 'Contubernalis mea mihi fastum facit.' *Pichena.* *Patrias epulas*, non tantum cibos intelligo: sed in universum morem convivandi, Parthis solennem, qui Suetonio Cal. c. 5. 'convictus Megistanum' dicitur. *Freinshemius.*

Et quia ipsorum majoribus aliena] Recte se habet: etsi Muretus malit, *ipsorum moribus.* Pichena. Multo elegantior atque Tacito dignior lectio *moribus* quam *majoribus.* Freinshemius.

CAP. 4. *Ob insignem corp.*] * Aristot. 4. πολιτ. Æthiopas in Regibus eligendis sequi proceritatem corporis: alias autem quasdam gentes pulchritudinem et decorem formæ: quod posterius Strabo tribuit Medis, et quibusdam populis Indiæ. *Muretus.*

CAP. 5. *Celerandæ victoriæ intentior*] Lipsius ait, priscam lectionem esse, *interior.* At ne quis erret, ego oculatus testis adfirmo, in manuscr. non aliter legi, quam, *intentior.* Pichena.

Tractare præliorum vias] Lego *præ-*

liorum vices. Clarum et a se (nam quid sunt *viæ præliorum?*) et ab adjunctis statim verbis, *quæ sibi sæva vel prospera evenissent.* At hercule *vias* tamen verum, ex sequentibus istis: 'Fundi Germanos acie.' *Acidalius.*

Sæva vel prospera] Verius hic esset, *scæva*, id est, sinistra. *Lipsius.* Fuit cum lascivirent in hoc vocabulo passim inculcando ingenia: sed raris processit. *Sævum* est interdum grave, durum, asperum, crucians: et sic utique non ex sententia et optatis. Sic: 'sæva tempestas,' 'sævus dolor,' 'sævæ catenæ,' 'sæva paupertas,' 'necessitas.' 'Fortuna sævo læta negotio,' gaudens adversa secundis miscere. Sallustius in Catil. 'quoniam, quæ occulte tentaverat, aspera fœdaque evenerant.' Quid hoc aliud quam *sæva?* et omnia, quam *adversa?* Gronovius.

Acie et justis locis] Nove dictum, pro æquis locis. *Lipsius.*

Damno armorum adfici] Cum ea, quæ haberent, quotidianus usus absumeret, alia difficulter subveherentur. *Freinshemius.* Muretus vocem *Armorum* delet, scribens, *quam spatiis itinerum damno adfici.* Vix abest, quin vere. Quid autem si eandem vocem sic traducas? *Suum militem haud perinde vulneribus armorum, quam spatiis itinerum damno adfici. Vulnera* enim *armorum* non ineleganter. Sane si quid hic mutandum, ita plane malim. Etsi etiam nihil mutem. Nam vulgatum optimi sensus, optimæ structuræ. *Acidalius.* Legendum censeo: *armentorum;* equorum imprimis. Ita loquitur Annal. XIII. 'Quotam partem campi jacere, in quam pecora et armenta militum aliquando transmitterentur?' Mendum natum ex contracta scribendi ratione, *armtorum*, pro, *armentorum*, unde librariorum oscitantia factum est, *armorum.* Explicent mihi, quæso, eruditi, qui vulgatam lectionem hactenus probant, quæ sint illa *armorum damna*, de quibus in hac deliberatione Germanicus conqueritur; quorumque causa mare ingredi, et sic minore incommodo Germaniam invadere constituit? Nemo, aut fallor, dixerit per *damna armorum* intelligi, nimis gravia terrestri itinere quaqua ea circumgestanti militi fuisse. Non enim id admitteret mos rigidus et disciplina militiæ Romanæ, per quam aliis etiam insuper gestandis miles onerabatur. Neque etiam ea mens esse potest, *armorum damna* sensisse milites, quum ea quæ haberent quotidianus usus consumeret. Nam et eadem damna in navali expeditione sentiuntur; neque legimus, hujus rei unquam rationem habuisse de expeditione consultantes Imperatores. Apparet nullum idoneum sensum admittere vulgatam lectionem. Voluit aliud longe damnum hoc consilio prævenire in posterum Germanicus. Equis per paludes inferioris præsertim Germaniæ, nondum adulta æstate, vix via, aut admodum impedita; plurimi in iis defecerant. Jacturam hanc in posterum Gallia non erat resarcitura, ut hactenus; utpote equis prope exhausta. Hoc est illud, quod statim subjungitur, et sententiam nostram inprimis confirmat; 'Fessam Galliam ministrandis equis.' Ergo ob hanc etiam rationem de maritimo itinere Germanicus cogitavit. Interim consilii rationibus non respondit eventus. Orta enim atrocissima tempestate, *equi*, ut paullo post loquitur, *jumenta*, sarcinæ, etiam arma præcipitantur; certo documento, incerta admodum et periculosa esse ista consilia, quorum rationes dubiis Oceani insistant; in quo, nulla hominum culpa, gravia tamen et atrocia iis damna aliquando inferuntur. *Boxhornius.*

Promptam ipsis poss.] Nam triremes et classem in Rheno, et ad Oceanum, ordinariam Romani habebant. At eo ævo Germani navigiorum rudes: mox quam didicerunt, Saxones, Normanni, et piratarum illa agmina dicant;

qui Europam per sæcula aliquot magnis classibus cladibusque infestarunt. *Lipsius.*

Promptam ipsis possession.] Quamnam *possessionem?* vereor ne legendum *profectionem*. Paullo enim ante querebatur spatia itinerum, et longum impedimentorum agmen; et huic omnia reliqua conveniunt, quæ adjuncta, alteri voci eorum nihil. *Acidalius.* Quæ est illa *possessio?* An maris? Haud credam. Non tam maris petebat, quam maritimi itineris beneficio Germaniæ possessionem. Et quomodo possessio maris hostibus ignota? Scribe; *promptam ipsis*, Romanis, *profectionem*, maritimam, *et hostibus ignotam;* id est, ignoraturis hostibus quam adversæ Germaniæ oram ex vasto illo, et longe lateque sese exporrigente Oceano Romani essent subituri. Quod inter prima semper et callida consilia Ducum fuit: ut, nempe, in agrum hostilem ea via pergerent, e qua in diversa licet irrumpere. Et hanc promptam Germanici profectionem, hocque ejus consilium, intelligit Arminius; ubi paullo post, in Oratione ad suos, eam exagitat, ut ignavam: 'Classem et avia Oceani quæsita, ne quis venientibus occurreret.' *Profectionis* autem vocabulo etiam alibi utitur Tacitus. Hoc ipso libro; 'sed Germanicus nondum comperto eam profectionem, incusari, Nilo subvehebatur.' Vides levi et prope nulla, sed tamen necessaria, mutatione, pulcherrimam sententiam Tacito, aut Germanico, restitutam. *Boxhornius.* Nihil mutandum. Facile Romanis, inquit, occupatu esse mare. Nam *possidere* est occupare interdum. Cæsar Gall. IV. 'vel sibi agros attribuant vel patiantur eos tenere, quos possederint.' Liv. 24. 'Causam nactus erat, tam divitis hominis bona possidendi vendendique;' id est, invadendi vel occupandi. Idem in l. XXXI. 'Urbem ad quam defendendam missa erat, per scelus possedit.' Neque aliter noster in vita Agricolæ: 'Monam insulam, cujus possessione revocatum Paullinum rebellione totius Britanniæ supra memoravi.' *Gronov.*

CAP. 6. *P. Vitellio, et Cantio*] Docti viri (Lipsius ad marg.) legunt, *Scantio*, nescio an ex aliqua historia mihi ignota. Si conjecturæ locus sit, magis placeret, *C. Antio*, ne a scriptura veterum librorum longius discedamus. *Ursinus.* Haud aliquid ausim mutare præter libros, cum etiam vivant quadratariorum opera, *Cantii* aliquot, imo et *Cantiæ;* quos invenire est in volumine Inscriptionum nostrarum; paginis LXX. 5. CCCXXII. 2. CCCLXXXV. 2. MLXXXVIII. 15. *Gruterus.* Non hæc ad meum gustum; nec de *Cantiis* legi quidquam unquam. Legi de *Scantiis:* et orat. in Rullum, de *Scantia silva*, aliquid Cicero submurmurat. Lubentius legerem *Canutio:* nisi malis *Calventio*, aut *Calvisio*, quæ sunt Romana nomina. *Aurelius.* Suspectum hoc mihi nomen et homo ignotus, quem tamen præcipua apud Germanicum gratia fuisse ex hoc loco constat, ut mirum sit alibi in rebus ejus non nominari: adeoque parum abest quin corruptum hoc nomen existimem, aliumque nobis hominem quærendum, et fortasse *Sentium*, qui Germanico comes post mortem ejus Syriam obtinuit. *Freinshemius.*

Appositis utrinque gubernaculis] Id quidem genus navigii binis gubernaculis, hodie invisum. Reperio et apud Suidam prisci scriptoris verba, nescio an hanc ipsam rem narrantis: Πλοῖα μονήρη, ἔστιν ἃ καὶ δίκροτα κατεσκευάσαντο. Τινὰ δὲ καὶ ἐκ τῆς πρύμνης καὶ ἐκ τῆς πρώρας ἑκατέρωθεν πηδαλίοις ἤσκηντο, ὅπως αὐτοί τε μὴ μεταστρεφόμενοι καὶ ἐπιπλέωσι καὶ ἀναχωρῶσι, καὶ τοὺς ἐναντίους ἐν τῷ παράπλῳ καὶ ἀπόπλῳ αὐτῶν σφάλλωσιν. *Lipsius.*

Hinc, vel illinc] Ne tollas: sunt enim mera Taciti verba, qui Histor. III. ita scribit in re simili: 'inter undas

volvuntur, pari utrinque prora, et mutabili remigio, quando hinc vel illinc appellere, indiscretum, et innoxium est.' *Aurelius.*

Multæ pontibus stratæ] Κατάστρωτοι. *Muretus.*

Augebantur alacritate militum] Qui hujus loci sententiam diligentius inspexerit, probabit, ut opinor, Faërni conjecturam, qui *agebantur*, legebat, quod de navibus proprie dicitur. *Ursinus.* Muretus voluit, *Citæ remis agebantur alacritate.* Non ea mens Taciti: cui ipsi nec conveniunt vel illa postrema verba, *in speciem ac terrorem.* Sed tu τελείαν στιγμὴν pone post vocem *remis:* deinde a capite scribe, *Augebantur alacr. milit.* Hæc enim mens Taciti, mille naves, ut præcessit, sufficere visas, sed auctum hunc numerum alacritate militum in speciem ac terrorem. *Acidalius.* Apposite quidem Faërnus, litera detracta, *agebantur;* sed nescio quomodo magis arrideat lectio vulgata, vetustate quadam peregrina. *Gruterus.* *Terrorem* non tam ad hostes pertinere arbitror, quam ad quemcunque spectatorem: aut si ad hostes referas, de sequenti tempore accipies: quomodo Virg. Æn. VIII. 620. 'terribilem cristis galeam' vocat, quam nondum viderant hostes. *Freinshemius.*

Insula Batavorum] Quod nomen etiam nunc in superiore insulæ parte durat: vocatur quippe incolis *de Betauw* sive *Betouw* et variante dialecto *Betuwe.* Cluverius.

Accipiendisque copiis] Si qua alia insula, in hac mundi pila. *Lipsius.*

Transmittendum ad bellum opportuna] Lego, *accipiendisque copiis et transmittendis, ad bellum opportuna.* Acidalius. Corrumpit rem elegantissimam. Ovid. Metam. XII. 'Permanet Aoniis Nereus violentus in undis, Bellaque non transfert.' Neque enim hoc mutare ausim. Plinius in Panegyr. 'Cum Danubius ripas gelu jungit, duratusque glacie ingentia tergis bella transportat.' *Gronovius.*

Mutat Mosa flumine] Vahalis hoc tempore præfert nomen suum usque ad arcem *Leuvenstein*, prope *Workom*, ubi Mosæ junctus in hujus vocabulum transit. Sed quoniam illic hodieque *Novus Mosa* vocatur, inferius autem *Vetus Mosa;* ubi et *Vahalis* nomen rursus assumunt pars earundem aquarum iterum divisarum; crediderim Cæsaris ac Taciti seculo omnia media partem Vahalis fuisse; Mosam autem statim ab oppido Megen (non commissum Vahali apud castrum S. Andreæ, non apud Castrum Leonis aut Lævini: nam hæ duæ fossæ serioris ævi videntur) decucurrisse per alveum illum nunc licet tenuem, qui a Novo Mosa in lævum devergens, primum *Ediconis Mosa,* deinde *Vetus Mosa* indigetatur, dextra *Heusda,* sinistro monte *Getrudis* (unde nunc lacus, at olim solidam circa humum certum amni alveum præbuisse indicant reliquiæ vicorum sub undis latentes) infra *Dordrechtum* usque et inter *Geroflitium* et *Flardingam* demum hos confluentes fuisse: ubi quod *veteri Mosæ* miscetur, nunc etiam *Vahalis* nomen obtinet. *Cluver.*

CAP. 7. *Dum adiguntur naves*] *Adigere* hic idem puto quod *adducere,* maxime quum ipsa res hoc doceat. Agi proprie dicuntur naves, quæ remis impelluntur, unde et *actuariæ* dictæ. *Freinshemius.* Ann. XI. 17. 'triremes alveo Rheni, cæteras navium, ut quæque habiles, per æstuaria et fossas adegit.' *Gronovius.*

Decurrit] Homer. Iliad. Ψ. Οἱ δὲ τρὶς περὶ νεκρὸν ἐΰτριχας ἤλασαν ἵππους Μυρόμενοι. Suetonius in Claud. 'Cæterum exercitus honorarium ei [de Druso loquitur] tumulum excitavit, circa quem deinceps stato die quotannis miles decurreret.' Divinitus describitur hæc decursio l. v. Æneidos. Talia erant *Equiria* quæ mense Februario et Martio fiebant in Campo Martio, de quibus Ovid. lib. II.

et III. Fastorum. *Muretus.* Dio memorat istas decursiones in funere Augusti, aitque 'equites, tam qui militabant, quam qui non militabant, cursitasse.' *Aurelius.* Distinguit ipse Tacitus II. 54. 'Exercitio equitum, decursibus cohortium interesse.' Intelliguntur tamen equitum etiam exercitia his verbis *decursus legionum*, tamquam accessio quædam. Sic enim quem attulimus locum repetit auctor III. 33. 'præsedisse nuper feminam [Plancinam innuit] exercitio cohortium, decursu legionum:' ubi mentio equitum prætermittitur, neque tamen minus intelligitur, sicut his ipsis verbis, quæ nunc explicamus. *Freins.*

Tumulum iterare] Cur ita? An quod Tiberius tumulum inceptum non probasset, et ideo minus probaret reparatum? An quia Pontificum, Principisque consensus deerat? nec daturus erat Tiberius, tum summus Pontifex summusque Princeps? Paulus Sent. 'Lapsa monumenta licebat reficere intactis corporibus: tamen solemnibus antea præstitis, et pro reliquiis defunctorum votis et supplicationibus adhibitis.' At de non reparandis tumulis absque Principis et Pontificum permissu, extat lex. *Prætor.* § *Non perpetuæ.* de sepulch. viol. et L. *ossa.* de reliq. et sumptibus funerum. D. Sed vera ratio est, quod Tiberius laudi Germanici invideret, quam propter tumulum mortuis legionibus datum, apud viventes legiones esset consequutus. *Aurelius.*

CAP. 8. *Batavique in ea parte*] Sententiam video, sed elegantiam Cornelianam in scribendo hic desidero. Quis credat illa esse a Taciti manu, *Batavique in parte ea?* Emenda; *Batavique interea, dum insultant aquis, &c.* Boxhornius. Cæsar Gall. I. 'Si pacem P. Rom. cum Helvetiis faceret, in eam partem ituros atque ibi futuros Helvetios, ubi Cæsar constituisset.' Livius XXXVIII. 'pabulatores lignatoresque Romani in eam partem, in qua colloquium futurum erat, ducti sunt.' *Gronov.*

CAP. 9. *Tum permissum, progressusque*] Muretus *tum* delet, nulla causa. *Acidalius.*

CAP. 10. *Penetralis Germaniæ Deos*] Valet, *penetrales,* prisco scribendi more: id est, *penates.* Et tamen vis quædam in verbo est, quasi intimos penates. *Lipsius.*

Prœlium denuncians] *Denunciare* hic nihil aliud est quam indicere. Sic ferme apud Curtium IV. Dario prœlium denunciat Alexander: 'Ite, nunciate regi vestro, et quæ amisit, et quæ adhuc habet, præmia esse belli: hoc regente utriusque terminos regni, id quemque habiturum, quod proximæ lucis adsignatura fortuna est.' Tale, inquam, prœlium denunciavit Arminius, non certamen singulare, quod nec prœlii nomine venit Latinis. *Freinshemius.*

CAP. 11. *Haud imperatorium ratus*] Cæsar Gall. IV. 'Cæsar his de causis, quas commemoravi, Rhenum transire decreverat: sed navibus transire neque satis tutum esse arbitrabatur, neque suæ, neque populi R. dignitatis esse statuebat: itaque etsi summa difficultas faciundi pontis proponebatur, propter latitudinem, rapiditatem, altitudinemque fluminis; tamen id sibi contendendum, aut aliter non transducendum exercitum existimabat.' *Gronov.*

Equitem vado tramittit] Sallust. in frag. Hist. II. 'suos equites hortatus, vado transmittit.' *Aurelius.*

CAP. 12. *Explorandos militum animos ratus*] Eustathius ad Il. B. vs. 73. Ὅτι θέμις τοῖς στρατηγοῖς ἔστιν, ὅτε πειρᾶσθαι τῶν στρατιωτῶν πρὸ τοῦ πολέμου, εἴτε οἰκείᾳ γνώμῃ πολεμοῦσιν, εἴτε ἀνάγκῃ· τοῦτ' ἐστὶν εἴτε προθύμως ἔχουσι πολεμεῖν, εἴτε καὶ μή· ὡς ἂν προθύμους μὲν ὄντας, ἐπιῤῥώσειαν εἰς πλέον, μὴ προθυμουμένους δὲ εἰς θάρσος ἀγάγοιεν. *Gron.*

Penitus noscendas mentes] Scribe *penitas*. Apuleius l. xi. 'Penita mente conditum.' *Pricæus*. Sed Tacitus Ciceronem sequi maluit. De Orat. i. 'motus animorum, quos homini natura tribuit, penitus pernoscendi.' Bruto: 'Cethegus, cui de republica satis suppeditabat oratio: totam enim tenebat eam penitusque cognorat.' Horatius Epist. i. 18. 'Ut penitus notum si tentent crimina.' *Gronov.*

Cap. 13. *Egressus augurali*] Nihil muto: in castris Romanis ad dextram Prætorii Auguraculum fuit, ubi duces auspicarentur et ex pullis auguria captarent: quod Græcis οἰωνιστήριον est. Hyginus Mss. verbis tamen corruptis, 'Auguratorium parte dextra prætoriatur a principalem agnovimus, ut dixi, ne et augurium recte capere potest: parte læva tribunal statuitur, ut augurio accepto insuper ascendat ad exercitum felicia hospicio adloquatur.' Ita Tacito Auguralis ara commemoratur in castris Corbulonis, l. xv. Erudito tamen viro, *egressus Augustali*, legend. videtur: quia in Quintiliano scriptum lib. viii. 'Carmen funebre, proprie Nænia, et tabernaculum ducis, Augustale.' Non idem mihi videbatur. *Lipsius.*

Ferina pelle] Sic Homerus Il. iv. inducit Agamemnonem contectum pelle leonis, quod vocat δέρμα λέοντος. * Et Æn. lib. i. 'Lupæ fulvo nutricis vertice lætus.' *Aurel.*

Fruiturque fama sui] Non est necesse hæc ita intelligere, tanquam jucundiores fuerint laudes suæ Germanico, quam par est viro omnia reponenti in conscientia sola: non: sed sic omnia tentoria iisdem resonasse vocibus; ut ne unum quidem invenerit, qui sinisterius de se loqueretur. Fruebantur igitur aures magis, quam animus. Vere Sen. de Clement. l. i. 2. 'Eadem de illo homines secreto loquuntur, quæ palam.' Nec falso Plin. Panegyr. ad Trajanum: 'Queri libet, quod in secreta nostra non inquirant principes, nisi quos odimus; nam si eadem cura bonis quæ malis, quam ubique admirationem tui, quod gaudium exultationemque deprehenderes, quos omnium cum conjugibus ac liberis, quos etiam cum domesticis aris focisque sermones? Scires mollissimis istis auribus parci?' *Gruterus.* Verbum *frui* elegantissime hic positum est, significat enim ex re quadam plenissimam delectationem atque voluptatem percipere. Florus ii. 7. 'nec aliter illa consulari sententia, quam modulatissimo aliquo tibiarum, aut fidium cantu, fruebantur.' Aug. de Civ. Dei xi. 25. 'ea re frui dicimur, quæ nos non ad aliud referenda per se ipsam delectat: uti vero ea re, quam propter aliud quærimus: unde temporalibus magis utendum est, quam fruendum, ut frui mereamur æternis.' *Freinshem.*

Hic nobilitatem ducis, decorem alius] Sumpsit a Xenophonte 3. Κυρουπ. ἔλεγον τοῦ Κύρου ὁ μέν τις τὴν σοφίαν, ὁ δὲ τὴν καρτερίαν, ὁ δὲ τὴν πραότητα· ὁ δέ τις καὶ τὸ κάλλος, καὶ τὸ μέγεθος. *Gronov.*

Plurimi patientiam] Acceperunt quasi mansuetudo intelligeretur: ceteri *patientiæ* ipsum vocabulum retinent, nescio an bono ubique sensu. Latinis enim, ut hoc loco, tolerantia est atque robur adversa incommoda sustinendi: unde Cæsar Civ. iii. 96. exercitum suum 'miserrimum ac patientissimum' vocavit. *Freinshem.*

Reddendamque gratiam] Patroclus ad milites Il. Π. Ἄνερες ἐστὲ, φίλοι, μνήσασθε δὲ θούριδος ἀλκῆς, Ὡς ἂν Πηλείδην τιμήσομεν. Diodorus in excerptis l. xxxv. de Mario: μεγάλην εὔνοιαν ἐν τοῖς στρατιώταις περιεποιήσατο· πάντες γὰρ τῆς εὐεργεσίας χάριν ἀποδιδόντες ἐν ταῖς μετὰ τούτου μάχαις φιλοτιμότερον ἠγωνίζοντο, συναύξοντες αὐτοῦ τὴν ἡγεμονίαν. Hanc qui debere se gratiam

non putarent, Appio Claudio duce vincere noluerunt. *Gronov.*

CAP. 14. *Nox eadem lætam Germanico quietem tulit, viditque se operatum*] Muretus, *quietem tulit: vidit se operat.* deleto, *que.* Mihi videbatur, *tulit, vidit quippe se operatum.* Acidal.

Addicentibus auspiciis] Versiones aut Latinam vocem retinent, aut de avibus interpretantur: quod quamquam ambiguum, minus tamen abiret a vero, si in istiusmodi Linguis avium nomine *pulli* quoque continerentur. Nam de his proprie intelligenda hæc sunt auspicia. * *Freinshem.*

Quæ sapientia prævisa] Recte Freinshemius: Quæ commoda, quasque opportunitates ad futuram pugnam providentia sua comparasset. Sed hic sensus exigit, ut *provisa,* non *prævisa,* legamus: aliud enim *prævidere,* aliud *providere:* illud animadvertere futurum est; hoc consulere in futurum. *Gronov.*

Immensa barb. scuta] Dicimus in Germania, infra. *Lipsius.*

Non galeam] Tacit. de mor. Germ. ‘Vix uni, alterive cassis vel galea.’ *Aurelius.*

Primam utcumque] Vide in Germania, infra. *Lipsius.*

Cæteris præusta] Legas forte, *prævasta.* Præcessit: ‘enormes hastas.’ Nisi tamen illud in contemptum Germanorum, utpote inermium, dictum censeas. *Acidalius.* Virgil. Æn. VII. ‘Stipitibus duris agitur, sudibusve præustis.’ Et eodem, ‘Hic torre armatus obusto.’ *Aurelius.*

Nulla vulnerum patientia] Videntur adumbrata e Thucydide, qui Brasidam inducit hortantem suos contra Illurios: eosque iisdem moribus fingit l. IV. ubi inter cetera: Οὔτε γὰρ τάξιν ἔχοντες, αἰσχυνθεῖεν ἂν λιπεῖν τινα χώραν βιαζόμενοι, ἥ τε φυγὴ καὶ ἡ ἔφοδος αὐτῶν, ἴσην ἔχουσα δόξαν τοῦ καλοῦ, ἀνεξέλεγκτον καὶ τὸ ἀνδρεῖον ἔχει. *Lipsius.*

Patris patruique] Drusi et Tiberii. *Idem.*

CAP. 15. *Quisque testari*] Pro *obtestari.* Quod frequens auctori nostro. Nam infra: ‘illo in corpore decus Cheruscorum testabatur.’ Et Annal. XII. ‘illum diem, illam aciem testabatur, aut recuperandæ libertatis.’ *Aurel.*

Onusta vulneribus tergum] Omnino aut *onustum,* aut *terga* scribendum: et hoc potius numero plurativo. Visum et sic Mureto. *Acidalius.* Cum constet omnia referenda esse ad verbum, *objiciant,* legerim, *onustum vulneribus tergum,* vel *onusta vulneribus terga,* ut ambæ partes hujus periodi invicem sibi respondeant. *Pichena.*

Adversis Diis] Ita correxi: vulgo, *odiis.* Lipsius.

Adversis Diis objiciant] Quis, (malum,) hic, *odiis* supposuit? Recte Lipsius ex ingenio. In Man. non, *adversis odiis,* ut vulgo, sed, *adversis Dis.* Pichena.

Aliud sibi reliquum] Malim, *Non aliud sibi reliquum,* aut, *Nihil aliud sibi reliquum.* Rhenanus. *Nihil,* intellige. *Ferretus.* Ego *nil* antepono ex Beati sententia: neque placet per interrogationem dictum intelligere. *Vertranius.* Ita legitur hic locus in codice manuscripto: *quid aliud sibi reliquum:* cum in vulgatis editt. desit *quid.* Ursinus. Lipsius ad marginem notat, *An aliud.* Mihi rectius videatur, detrahere interrogationem, et immittere, *Nec aliud sibi reliquum, &c.* scilicet *meminissent,* quod præcedentibus junctum ad hæc quoque verba trahendum. Lipsius olim voluit; *Non aliud sibi reliquum.* Quod ait et Rhenanum vidisse. *Acidalius.* Legendum putem *aliud quid.* Tres vocis prioris literæ voci sequenti non dissimili omittendæ causam dedere. *Grotius.*

CAP. 16. *Ripæ fluminis cedunt*] Putem legendum esse *flumini:* nam et verbum *resistunt* huc accommodatur, *ut ripæ flumini cedunt, aut prominentia*

montium insistunt. Campus erat inclusus collibus et amne Visurgi, ex cujus cursu inæqualem formam flexuramque accipiebat, cum ipse non recto alveo iret, sed alibi ripas excederet (firmant hoc *incidentes ripæ* seq. capite) alibi objectu montium repelleretur, atque ita sæpe mutaret iter, sinusque plures efficeret. *Freinshem.*

Pura humo] * Sic 3 Reg. cap. 4. 'Mundabo reliquias Jeroboam, sicut mundari solet fimus usque ad purum.' *Aurelius.*

Ut ordo agminis, in aciem] Id est, ut incederent eo ordine, qui in acie servandus erat. Incedebant ergo (ut alibi loquitur) *simul itineri, et prœlio.* Muretus. Lipsius ad marg. *adstitere.* Malim *adsistere*, vel *adstiterat;* et hoc magis. Paulo namque post idem sequitur, *qui campis adstiterant.* Acidalius. Sunt qui malint *adstitere:* ego, literula detracta, *adsistere;* infinitum pro imperfecto. *Gruter.* Quærendus erat hostis, nec certum erat, ubi et quando prorumperet: ideoque *incedendum* erat *itineri et prœlio*, ut loquitur I. 51. ita dispositis ordinibus, ut ubicumque occurrisset hostis, statim acies fieret ex agmine, nulla mutatione facta, nisi ut consisterent, et pro itinere prœlium capesserent. Nam si tum demum construendi fuissent ordines, quum in conspectu hostis esset, res trepidatione et periculo non caruisset, hoc enim 'plerumque iis accidere consuevit, qui in ipso negotio consilium capere coguntur,' ut Cæsar verbis suis et exemplo Titurii Sabini confirmat. Gall. v. 33. possentque memorari multæ clades ob hoc unum acceptæ. *Freinshem.* Peccatur hic vulgo distinguendo. Quid est enim, *ut ordo agminis*, si a sequentibus separetur? Hinc suspiciones et mutationes doctorum virorum. Uno spiritu lege: *ut ordo agminis in aciem adsisteret:* hoc est, pro se quisque intentus ac paratus; ut, sicunde apparuisset hostis, aut signum dux daret, omne agmen presso pede staret acie structa vel ad excipiendum vel ad invadendum hostem. Sic infra: 'hic pedes adstitit.' *Adsistere in aciem* est incessum sistere atque inhibere formata acie, vel ita, ut stent in gradu milites ad præliandum. Genus quoque loquendi haud vulgare. *Ut adsisteret in aciem*, est, Ut adsisteret fieretque acies, vel essetque stabilis et firma acies. Sic Appuleius l. III. 'fixus in lapidem steti gelidus,' ex certa Mich. Piccarti emendatione: et l. IV. 'jacens in mortuum.' Quæ significant, defixus et quasi lapis factus: jacens et quasi mortuus. Claudianus quarto Honorii consulatu: 'Tristis conditio pulsata fronte recedit. In civem rubuere genæ.' Ubi dubium est, voluerit auctor, sic ut adscripsimus, an *recedit In civem. rubuere genæ.* Neutrum enim improbum: sive hoc malis, quod erit, Servilis conditio recedit, et fit civis; sive illud, quo exponitur, Civis fit et suffunduntur genæ. Sic 'relinqui in prata' Plinio XVIII. 28. quod non aratur, ut pratum fiat: et eidem c. 29. 'in callum præcoquuntur acini:' 'tundi in pollinem;' XIX. 5. 'in farinam;' XXXIII. 7. 'tundi in exitum ptisanæ,' ut exiret quasi ptisana, Tertulliano. De incessu hujusmodi locus est insignis Sallustii de bello Jugurthino c. 49. quem incepimus explicare in Omissis quarti Observationum p. 429. valde infeliciter tractatus Salmasio in Reliquiis de re militari p. 70. 71. et 107. *Gronovius.*

CAP. 17. *Imperatorem advertere*] Sic Histor. lib. IV. 'Advertit ea res Vespasianum:' et Liv. lib. I. emendante me: 'Adverteratque ea res etiam Sabinos tanti periculo viri.' Nam hactenus *averteratque*, scriptum reperias, ignorantia historicæ dictionis. Ceterum, illud mirum unde hic aquilæ nostris terris

haud temere visæ. Ac subvereor ut falsa species objecta Germanico, aliæque alites fuerint. *Lipsius.*

Sequerentur Romanas aves] Aquilas intellegit, quæ a C. Marii ævo propriæ Romanis. De quibus in Excurs. *C.* Idem.

Romanas aves] Silius Italicus l. v. 'ales priscum populis de more Latinis Auspicium.' Sic Ovid. in fast. 'Regna Palatinæ prima dedistis aves.' Virg. 'Maternas agnoscit aves.' *Aurelius.*

Illa rupturus] Fortasse legendum, *illa erupturus.* Ursinus. Idem Mureto tribuunt Acidalius et Pichena.

Moles ruentium, et incidentes ripæ] Noli mutare, *mole ruentium incidentes ripæ.* Si plane hunc sensum vis, qui alias pauxillo diversus, efficitur idem ex illis ipsis quoque verbis. Capies enim ἓν διὰ δυοῖν, quæ figura Tacito crebra. *Acidalius.*

In summa arborum nisi] Non est mihi animus quod aliis, multa huc scilicet advocare, quæ faciant Tacito ornando: quin punctis singula signare contentus sum, sed tamen non abstineo manum, quin adscribam, simile ludibrium insertum historiæ Punicæ Silio Italico l. v. 480. 'Annosa excelsos tendebat ad æthera ramos Esculus,' &c. *Gruterus.*

CAP. 20. *Seio Tuberoni*] De Tuberonis consulatu extat mentio in veteri hac inscriptione:

CERERI. AVGVST. MATRI. AGR. L. BENNIVS
PRIMVS. MAG. PAGI. BENNIA
PRIMIGENIA. MAGISTRA. FECER.
GERMANICO CÆSARE II.
L. SEIO TVBERONE COSS. DIES. SACRIFICI. XIII. K. MAI. *Ursinus.*

Murum succederent] *Muro,* usitatius esset. Sed nihil temere mutandum reor: nam a Tacito, ut supra diximus, communis usus scribendi non est in omnibus nimium requirendus. *Ursinus.* Muretus, *ut si muro succederent.* Mihi non placet. *Pichena.*

Salus ex victoria] Muretus, *In victoria.* Bene, nec tamen opus. *Acidalius.*

CAP. 22. *Conscientiam facti satis esse*] Sufficere vel sapienti vel sibi. *Factis,* si haberent libri, tolerarem: sed vulgatum mutari non placet. *Gronovius.*

CAP. 23. *Æstate jam adulta*] Ἀκμάζοντος ἤδη τοῦ θέρους. *Muretus.*

Placidum æquor] Sallust. III. Histor. 'Cohors una mari placido a duobus prædonum myoparonibus circumventa.' *Gronovius.*

Dum turbat nautas] Curt. l. VII. 'Vacillantesque milites, et, ne excuterentur, solliciti nautarum ministeria turbabant.' *Idem.*

Qui tumidis Germaniæ terris] Hoc est, inflatis. Alioqui posset etiam legi, *humidis.* Rhenanus. Faërnus legebat: *qui humidis Germaniæ terris.* Ursinus. Montosis, ut ego intelligo; montibus enim Germania abundat, qui ut plerunque specubus cavernisque scatent, ita vim maximam ventis addunt. Tac. in vita Agr. 'Terræ montesque causa, ac materia tempestatum.' *Pichena.*

Insulas saxis abruptas] Malo, *abruptis.* Acidalius. Ita Man. et optime: ut sint insulæ infestæ, vel abruptis saxis, vel occultis vadis. Male prius, *saxis abruptas.* Pichena.

Eodem quo ventus ferebat] Non male etiam, *eodemque quo ventus:* atque ita jam didici in Florentino esse. Livius l. XXVI. 'Acer etiam Septemtrio ortus inclinatum stagnum eodem quo æstus ferebat.' *Lipsius.*

Mutabat æstus, eodemque] Ita restitui ex Man. Antea corrupte, *eodem quo ventus.* Pichena. *Mutabat* æstus, et *ferebat* eodem quo ventus: pro *mutabatur,* et *ferebatur.* Hoc unus Ital. I. videtur adsecutus; nam ceteri omnes illud *ferebat* agendi significatione acceperunt. *Freinshemius. Mutabat* pro *mutabatur* admitto; non

ferebat pro *ferebatur.* Est enim genus loquendi proprium, et *fert æstus,* ut *ferre* dicitur *via* (de quo ad Liv. XXXIX. 27.) ut 'ferentis venti.' Intelligimus et fluctus, et quicquid deprehenderat. *Gronovius.*

Alvei manantes] Nec displiceret scribi, *nantes.* Lipsius.

Alvei manantes per latera] Quid si legendum sit, *innantes per latera?* Quod puto. Nam illo verbo utitur Tacitus, ut supra l. I. 'Quo levior classis vadoso mari innaret.' Et *alveos* pro navibus accipio, ut Juven. Sat. XII. 'Cum pleno fluctu medius foret alveus.' Voluit Tacitus soluta oratione expressum, quod Virgilius in re fere simili, Æn. l. I. 'Accipiunt inimicum imbrem, rimisque fatiscunt.' Quippe *innare* est intus recepta aqua natare. *Aurelius.* Mihi videtur optime hic sensum expressisse Ital. II. *per allegerire i vascelli che andavano alla banda.* Sic enim *manandi* vocabulum potius interpretari liceat, fluitare sive nare, (licet etiam *nantes* hoc loco pro *manantes* scriptum fuisse facile crediderim Lipsio,) quam aquam accipere, vel admittere, quomodo illi acceperunt; nam et vocis proprietati propior hic est intellectus, et jure non absurdus. *Freinshemius.* Mihi vero nec placet *nantes:* et multo magis miror *manare* proprie esse natare.* *Gronovius.*

CAP. 24. *Aut ita vasto et profundo*] Notum antiquorum somnium de Oceano terram undiquaque cingente. Florus I. 13. 'Galli ab ultimis terrarum oris et cingente omnia Oceano profecti.' Dionysius Periegetes: Ὠκεανὸς περιδέδρομε γαῖαν ἅπασαν. *Freinshemius.* Vix assequor, quid sibi velit: nam terram undique mari cingi non antiquorum magis quam horum hominum est somnium, si somnium est. In Taciti verbis aliquid agnosco, quod somnium veterum vocare possis: quale et apud M. Senecam suasor. I. 'Ita est rerum natura: post omnia Oceanus: post Oceanum nihil.' Sed illæ ipsæ terræ, quas propiorum seculorum navigatio deprehendit, quæque trans Oceanum nos coërcentem jacent, Oceano cingi et contineri non desinunt. Timide autem suspicabar scripsisse Tacitum: *hostilibus circum litoribus, aut ita vasto et profundo, ut credatur novissimum ac sine terris, mari.* Idem.

Corpora equorum eodem elisa] Minus quidem fœdum famem tolerare equis *enisis* quam *elisis:* sed tamen haud putarem ideo substituendum *enisa.* Fere in mari pereunt equi: cadavera jam facti impinguntur litori a fluctibus; quod heic factum. *Gruterus.* *Elisa* recte; nam equos in mare præcipitatos dixit prius, quo naves levarentur: atque ita inlisa vadis et rupibus equorum corpora. Et firmant, quæ sequuntur infra: 'post constrata equorum virorumque corporibus litora.' *Aurelius.*

CAP. 25. *Non ausum congredi hostem*] Legerim hæc et sequentia, *Non auso, c. hoste, pulso, pavente.* Lipsius.

Superabiles Romanos prædicabant] Mirum ni illud *prædicabant* ab interprete quopiam est: cui deesse tale quid videretur. Additiones ejusmodi aliquot e Curtio sustulimus. In proxime præcedentibus omnino cum Lipsio legendum, *non auso congredi hoste:* item *pulso, pavente;* non accusandi casu, ut vulgatur. *Acidalius.* Meo judicio τὸ *prædicabant* non est nisi Taciti, et verbum pro materia lectum. Neque vero Lipsius audiendus. Quin quæsita elegantia est: nec novum profecto possessoris nomen pro re possessa poni. Sic, 'jam proximus ardet Ucalegon.' Adde si libet IV. Observ. 24. *Hostem* igitur *non ausum congredi* est loca et res hostis non ausi congredi, &c. *Gronovius.*

CAP. 26. *In Hiona miles*] Vera cor-

rectio Beroaldi, *in hiberna miles*, ex Taciti verbis ipsis. Rhenanus qui, *Iuhiona*, legit; et ego, qui serio olim refelli, digni ambo, qui piemur. *Lipsius.*

Se novies a D. Augusto] Contra historiæ fidem; quod et Lipsius notavit. Quid si ergo rescribas, *se toties a D. Augusto.* Sæpius enim Tiberius, nec tamen novies, in Germaniam ire jussus est ab Augusto. *Boxhornius.*

Romanæ ultioni consultum est] Lego *esset;* et Muretus mecum. *Acidalius.* Ita posui, Muretum secutus. *Pichena.*

CAP. 27. *Juvenem improvidum*] 'Tam stolidum quam nobilem.' Seneca. *Facilem inanibus, χαῦνον. Muretus.*

Magorum sacra] * Ad inventorem Zoroastren refertur: quem tradit Eudoxus vixisse sex millibus annorum ante mortem Platonis: multis annorum millibus ante divinum Mosen: cui et ipsi opinionem aliquam hujus nefariæ superstitionis affingere homines impudentissimi conati sunt. Ejus discendæ causa Plato et Democritus longinquas admodum peregrinationes susceperunt. De ejus vanitate videndus Plinius l. XXVI. c. 4. et l. XXX. c. 1. et 2. *Idem.*

Somniorum etiam interpretes] * 'Isiacos conjectores, somniorum interpretes,' &c. Sed neque unquam tales impostores fatuis, neque talibus impostoribus fatui deerunt. Semper damnabuntur, semper consulentur. Somnia pro somniis habenda sunt. De temperatura corporis nostri e somniis judicari aliquid potest. Alia qui e somniis quærit, vigilans somniat. *Idem.*

Amitam Scriboniam] Digna lectu de tota hac re apud Senec. epist. LXXI. *Lipsius.*

Et necessitatum] Solus Ital. II. *necessitates* non cum aliis pro familiaritate, usu, necessitudine sed mecum pro *angustiis* videtur accipere, quamquam vix satis efficaci vocabulo, *Spese*, exprimat. Certe res ipsa, si probe consideres, hanc expositionem docet, illas respuit. Neque de vocabuli significatione dubium. Ne longius abeamus, ipse Tacitus III. 54. 'pauperes necessitas in melius mutet.' H. IV. 22. 'per licentiam absumpta sunt, quæ adversus necessitates in longum suffecissent.' G. 15. 'quod pro honore acceptum, etiam necessitatibus subvenit.' *Freinshemius.* Immo rectius ille, qui *necessitates* accepit pro sumptibus vel impensis. Et hoc confirmant loca duo posteriora: ut et quæ I. 11. 'vectigalia et necessitates.' *Angustiæ* autem, quæ vox tantopere placet hic Freinshemio, quid aliud sunt quam egestas, inopia? Quæ sequitur quidem immodicos sumptus, sed non petitur ex destinato neque ad societatem placet. Quam belle igitur, 'socius libidinum et egestatis!' Immo prodigentiæ, sumptuum. Proponit ei avitam nobilitatem, ob quam ostendit eum posse ad imperium pervenire: modo se dignum illo præstet munificentia et conviviis gratiam quærendo, (eo efficacioribus, quod ab hac ambitione remotus esset triparcus Tiberius) nec parceret pecuniæ, vel si mutuandum gravibus sub usuris esset quod donaretur: (sic enim et Julius auctor dominationis fecerat:) utque ostenderet sese adjutorem consilii, quod dederat, ipse, quasi pro Libone laborans, similiter faciebat, luxuriosus et damnosus; revera, ut plures conscii fierent temerariæ ambitionis, per quos Libonem convinceret. *Gronov.*

CAP. 28. *Qui servi eadem noscerent reperit*] Nam et servi deferentes dominos in crimine majestatis audiuntur, l. *Famosi*, D. ad L. Jul. Majest. quamvis alioqui testimonii dictionem non habeant, Terent. in. Phor. et vix adversus dominos audiantur. L. *Vix certis.* D. de judiciis. *Muretus.* Lego, *reperti.* Sum Sponsor ad hanc rem:

et pro pignore cape veritatem ipsam, qua nihil pretiosius. *Aurelius.* Credo scriptum fuisse : *qui servi eadem noscerent, reperti:* quomodo hoc ipso lib. LXII. 'negotiatores reperti,' et VI. 33. 'repertique corruptores.' *Freinshemius.*

Cum prohibere posset, scire malebat] Nam mali principes aucta eorum scelera cupiunt, quos cupiunt funditus eversos : crudeliumque est, malle dissimulatis aliquamdiu, et sic crescentibus sceleribus, tandem atrociter punire, quam in tempore prævenire atrocioris pœnæ necessitatem. Sed et crediderim hac dissimulatione aliquamdiu usum Tiberium, rerum omnium destinationumque Libonis jam gnarum, ut interea eos deprehenderet, qui se impiis aut stolidis potius hujus consiliis forte essent illigaturi. *Boxhornius.*

Avidumque famæ malæ] Accepit nonnemo, quasi dictum foret, *avidum sermonum*, ut infra XIII. 6. 'in urbe sermonum avida.' Sed longe diversus hic sensus, idem nimirum, qui in his XI. 27. 'Nomen tamen matrimonii concupivit, ob magnitudinem infamiæ ; cujus apud prodigos novissima voluptas est.' *Freinshemius.*

Et vocantur Patres] Faërnus legebat : *senatus cognitionem poscit : advocantur Patres.* Ursinus.

CAP. 29. *Veste mutata*] * Sane delatos receptosque reos capillum et barbam promittere, vestemque solitos demutare, testimoniis receptissimis fidem faciunt Agellius III. 4. Plinius ad Suram VII. epistolarum et M. Seneca, l. IX. decl. 4. *Vertranius.*

Vocem adversus pericula] Supplicem scilicet : nam supplicatio emollit iras. *Aurelius.*

Eadem formidine] Omnes enim timebant Principis offensam. *Lipsius.*

CAP. 30. *Et C. Livius*] Nescio an, *Cluvius.* Lipsius.

Et C. Licius] Cum deinceps non recurrat *Livius* iste et recenseat Tacitus inter Libonis accusatores *C. Vibium Serenum* l. IV. 29. suspicor restituendum : *et Q. Vibius.* Nimirum degeneravit nomen ignotum in multo notius : quod non semel accidisse ostenderem pluribus, si concinnarem commentaria. *Gruterus.* Mihi videtur hic sermo esse de eo ipso *C. Vibio* Sereno, qui postea procos. Hispaniæ in insulam deportatus, IV. 13. deinde a proprio filio accusatus est, instigante Tiberio, nec occultante 'vetus odium adversus exsulem Serenum : nam post damnatum Libonem, missis ad Cæsarem literis, exprobraverat, suum tantum studium sine fructu fuisse.' l. IV. 29. *Freinshemius.* Lege, *Q. Vibius:* et mox iterum, *donec Vibius.* Infra Annal. IV. ita diserte nominatur, et post damnatum Libonem questus dicitur 'suum tantum studium sine fructu fuisse.' Non debuit ergo in hac historia omitti. *Grotius.*

Viam Appiam] Via Appia a porta Capena, quæ nunc S. Sebastiani dicitur Brundisium usque ducebat. Horat. *Muretus.*

Atroces vel occultas] Quæ ad mortem eorum pertinerent, aut cædem. *Lipsius.*

Vetere SC.] Quod hic Senatusconsulto tribuit, Cicero Partitione, Institutis, et ea pro Deiotaro *moribus majorum* tribuit. Nobis amplius patere nihil potest. *Vertranius.*

Prohibebatur] Causa erat, quia, ut Cato dicere solebat, 'quot servi, tot hostes.' Macrobius I. Saturnal. c. 11. *Muretus.*

Novi juris repertor] Vanissimum Tiberii illud εὕρημα fuit, quo servos privatorum publico actori tradi jussit : dum enim veretur, ne SC. offendat, callidus (si Diis placet) in jus gentile committit, quo dominium, quod obtigit, quemque tenere fas est. At ex hoc novo Tiberii invento nolenti domino sua res eripitur : quo mihi non *repertor novi juris*, sed assertor veteris injuriæ videtur, cujus usum sub Au-

gusto prodidit Dio l. LV. Quid enim fuit, cur potius jus singulare non introduxit, quo servi vel in dominos torquerentur, ubi de crimine majestatis actum, quod ad personas principum attinuisset? Utique sequentes principes id non latuit, x. de quæstionibus. Ea certe sine ullo mancipationis circuitu expeditior et planior fuisset via. *Vertranius.*

Mancipari] Addici. *Ferretus.* Pro composito simplex, ut Hist. l. II. ' luxui et saginæ mancipatus emptusque.' Igitur emancipatione publicus servus traditos a delato reo privatos accepit, non ut Æmilio placebat, addictione, quæ a judice causa cognita decernitur. *Vertranius.* *Mancipatio* genus alienationis, quod fiebat libripende et quinque testibus præsentibus. Ulpianus l. XIX. Boëthius in Topica. *Muretus.*

Actori publico] Servus erat publicus, qui publicis tabulis publicisque rebus præponebatur: itaque alibi *servus publicus*, alibi *actor publicus*, alibi *persona publica* appellatur. *Ferretus.* Osidii Antiochum *servum actorem* l. XCVII. D. de leg. III. invenio, ex quo actor publicus servus quoque videtur, qui actis præpositus decreta magistratuum et quæ ad judicia pertinerent, excipiebat, et, ut aiunt, in acta referebat. Unde est, quod apud Marcellum, ' cavet quis servo publico se alii restituturum,' XVIII. D. de adoptionib. et idem apud Ulpianum ' pro absente apud Prætorem stipulatur,' II. 12. rem pupilli salvam fore. Ideo vero servo munus illud mandatum, quia jure civili libera persona alteri acquirere nihil potuit. Servus igitur reipubl. adhibendus fuit, qui sicut Communis nomine stipulatus ei acquireret obligationem, teste Iulio Paulo XL. de usuris, ita singulorum nomine stipulatus singulis quærere posset, qui ex parte domini magis, quam essent, viderentur. Cornelius Histor. I. ' servum publicum' æditunm facere videtur. Ut et Livius custodes refert in atrio Libertatis, ' signatis [a Censoribus] tabellis publicis, clausoque tabulario dimissos servos publicos:' l. XLIII. Agellius quoque XIII. c. 13. ædilium stipatores *servos publicos* ait. Ut liceat ex his suspicari, sicut in privatorum familiis, ita servos publicos Po. Romani traditos ministeriis diversis fuisse. *Vertranius.* *Actores*, i. *διοικητὰς*, *συνδίκους*, reipubl. olim servos fuisse, constat ex tit. qui exstat l. XI. Cod. Ne quis liber invitus actum gerere cogatur. *Muretus.* *Actores* fuisse veteribus inter præcipuos servorum notius est, quam ut probatione egeat. Ejus officium optime exponitur his verbis Rabani Mauri de instit. cleric. I. 10. ' Actor prudens et bonus scit, quis sit domini sui census et omnis substantiæ modus, et redigit apud se totius possessionis instrumenta originalia.' Hinc apparet etymon nominis, ut constet *actorem* appellatum, quia quod in re familiari domini curandum agendumque erat, ipse exsequeretur. Græcis, ut in l. XLI. §. 4. de fideic. libert. *πραγματευτὴς* erat, non ob dissimilem causam. Jam ut singuli, ita etiam respublicæ servos suos habuerunt: unde toties apud JC. aliosque *servorum publicorum* occurrit mentio. Inter hos etiam actores fuisse ratio dictat, præsertim exemplis confirmantibus. Sic *actor municipii* in l. XII. Ut in possess. legat. Sed quid acta agimus? Pridem hæc aliaque multa observavit vir summus Barn. Brissonius in lexico, ubi notandum, principibus etiam suos fuisse actores, unde *Actores dominicos*, *rei dominicæ*, *rei privatæ* ibidem leges. Idem indicavit locum Plinii Epist. VII. 18. ex quo reperio municipalem etiam *actorem* appellatum *publicum:* ' pro quingentis millibus nummum, agrum ex meis longe pluris, [ita distingui debet] actori publico mancipavi.' Talis igitur hic actor publi-

cus urbis Romæ, cui quum servi Libonis mancipio dati essent, publici facti sunt: atque ita in Libonem, jam non amplius dominum suum, torqueri potuerunt. *Freinsh.*

Scilicet ut in Libonem] Hinc optime intelligi potest, id quod traditur in l. Contra legem cum l. seq. D. de legibus. Tale est, quod de Tiberio Suetonius tradit: 'Immaturæ puellæ, quia more tradito nefas esset virgines strangulari, vitiatæ prius a carnifice, dein strangulatæ.' Quod in Sejani filiola factum narrat Tacitus l. v. *Muretus.*

CAP. 31. *Strepebant etiam in vestibulo*] Editi, *strepebantque etiam.* Ego Mss. auctoritate copulam expunxi. *Pichena.* Velim, *strepebantque jam in v.* Gronovius.

CAP. 32. *Tunc Cotta Messallinus*] De imaginibus in funere, deque hoc interdicto, non repeto ea quæ scripsi in Electis c. 29. Sic Bruti et Cassii imagines abolitæ, infra l. III. 'Viginti clarissimarum familiarum imagines antelatæ sunt, Manlii, Quinctii, aliaque ejusdem nobilitatis nomina: sed præfulgebant Cassius atque Brutus hoc ipso, quod effigies eorum non visebantur.' *Lipsius.*

L. P. et Gallus Asinius] Lego, *Lucius Pætus et Gallus Asinius.* Ut duo sint tantum non tres. *Aurelius.* Fortasse, *L. Piso et Gallus Asinius.* Gronovius.

Facta et de Mathematicis] Imo repetita potius. Nam veteri lege edictoque, pridem amota e Rep. illa pestis. Adde quæ in Excurs. G. Lipsius.

Portam Exquilinam] Nunc *Porta Major* vocatur. *Muretus.* Magna agitatur quæstio inter antiquarios, an *porta Sancti Laurentii*, quæ proxima est Viminali, olim Esquilina fuerit. Quidam affirmant: alii Tiburtinam hanc nominant: alii Næviæ sequenti, vulgo Majori, Esquilinæ nomen attribuunt. Me Livii auctoritas cogit, Dionysii, Strabonis, ut Esquilinam appellem: nec quemquam priscorum invenio, ut Marlianus, Tiburtinam nominasse. *Al. Donatus.*

Classicum canere] Non cuilibet e plebe doctorum notus mos. * Seneca iterum huc respexit Epist. 17. 'Cum classicum cecinit, scit non se peti: cum aliqua conclamatio est, quomodo exeat, non quid efferat, quærit.' Puto et Lucilius, hoc versu Trochaico: 'Rauco concionem sonitu et curvis cogant cornibus.' Nec Romæ solum et inter cives servatus ille mos: sed etiam in provinciis, nisi fallunt me Declamatores (et hercle vereor ut animi ingeniique caussa fallant) apud Senecam patrem l. IX. Controv. 11. de Flaminio qui inter cœnam noxium punivit. Capito: 'Fit a præcone silentium: adhibentur deinde legitima verba: canitur ex altera parte classicum.' Cassius Severus: 'Si tribunal conscenderit convivali veste, si cum classicum canere debeat, symphoniam canere jusserit.' *Lipsius.*

More prisco] Supplicium prisci moris quale, pete a me in l. XV. *Idem.*

CAP. 33. *Ne vasa auro*] Vide luxum ejus ævi, et gratulare sæculo nostro. Dio paullo communius id concipit: quasi interdicta omnia vasa auri, nisi quæ ad sacra. *Idem.*

Ne vestis serica] Nolim erres; distincta genera vestium olim; Byssina, Bombycina, Serica: quæ persequor et evolvo in Excurs. *I.* Idem.

Erat quippe] De hoc more vide, si libet, Obser. mearum l. I. 17. *Gronovius.*

Aliam apud Fabricios] Inde acute Seneca Epistola 17. 'Sæculum muta, nimis habes.' Neque aliquid medicinæ adhibere debebat Criticorum ordinis princeps Valerii Maximi loco l. IV. 4. 'Cornelia Gracchorum mater, cum Campana matrona, apud illam hospita, ornamenta sua illo sæculo pulcerrima ostenderet,' &c. non debebat, inquam, contra Mss. omnes, in quibus, *illius sæculi*, reponere *illius*

oculis. Etsi enim hæc referantur ex Pomponio Rufo, non adeo remoto ab ævo Gracchano, quis tamen neget una auctam Campanorum luxuriem cum felicitate temporum? Quid quod nihil vetat, ista, *illius seculi*, esse a manu Valerii, comparantis id cum suo. *Gruterus.* Apuleius Apol. 'Non habuit tantam rem familiarem Philus, quantam Lælius, quantam Scipio; nec Scipio, quantam Crassus Dives; at enim, nec Crassus Dives, quantum volebat.' Quam *pecuniam* vocat Tacitus, hic, *rem familiarem*, idem autem uterque vult. *Boxhornius.*

Aliam apud Scipiones pecuniam] Larga significatione pecuniam dixit, ut lex decemviralis, et Jurisconsulti. *Lipsius.*

Gliscere singulos] Vir nobilis corrigit, *gliscere in singulos:* ut suppleatur, *magnificentiam.* Nam *gliscere singulos* Latine non dici putat; certe non explicare, quod auctor dicere voluerit: nisi forte senserit, unumquemque indulgere sibi et velut in lubrico ferri. Nimirum putavit *gliscere* Latinum esse Gallicum *glisser:* quæ multum differunt. *Gliscere* Latinis est crescere. Vide Nonium. Et sæpe sic usurpat ipse Tacitus. Hic *gliscere singulos*, est augeri opibus, crescere paratu et nitore instrumenti rerumque necessariarum ad victum et cultum. *Gronovius.*

Talesque ad requiem animi] Quid est illud, *tales?* Censeo rescribendum, *dignationibus antistent, aliisque, quæ ad requiem.* Ideo (inquit bonus patronus luxuriæ) repertum discernere censum Senatorum equitumque a plebe: non solum ut loco, ordine, dignitate, præmineant, sed etiam supellectile, veste, aliisque quæ animo aut corpori cara. Potes etiam legere, *ita aliis quæ ad:* minusque recedes a scriptura. *Lipsius.*

Talesque ad requiem animi] Emendavit olim Muretus: *sed ut locis, ordinibus; dignationibus antistent aliis, quæ ad requiem animi.* At *locis* et *ordinibus*, non recte opponuntur *dignationes*, cum fere idem sit, *dignatio* et *ordo.* Sensus videtur: Ubi honores, ibi commoda. Lipsius legit ac distinguit: *sed ut locis, ordinibus, dignationibus antistent, et aliis, quæ ad requiem:* bono quidem sensu, sed constructione non integra. Manuscriptus non aliud juvat, nisi quod habet, *talisque ad requiem:* ac fortasse ibi latet particula, *ita*, quæ necessaria videtur ad sententiam explendam. Itaque sic legerem: *Sed ut locis, ordinibus, dignationibus antistent; ita aliis, quæ ad requiem animi, &c.* Pichena. Lego ex conjectura quam veram puto: *æqualesque, quæ ad requiem animi, aut salubritatem corporum parentur.* Aurelius. Optime cohærebit sensus, et minimum mutabitur, si scribas *et aliis quæ.* Grotius. Hæc sic legenda esse prope mihi persuasi: *sed ut locis, ordinibus, dignationibus antistent; voluptates quoque ad requiem animi, et salubritatem corporum parentur.* Adeo ut totius loci hæc sit sententia: Majorum nostrorum laudabili instituto distincti certique definiti sunt Senatorum et Equitum amplissimi census; non quod illi qua homines natura pluribus indigeant quam reliquum vulgus, ac propterea majoribus opibus debeant abundare; sed quod in amplissimis dignitatibus positi, ut iis cæteris antistant, in quibus plurimæ curæ devorandæ tolerandique immensi labores ipsis sunt, ita quoque gaudere et frui præ aliis debeant honestis quibusdam voluptatibus, ad requiem fatigati animi et salubritatem vigiliis plurimis afflictorum extenuatorumque corporum facientibus, velut tot communibus curarum, tot periculorum, solis prope atque unicis delinimentis. Neque est, quod quempiam offendat vox ista, *voluptates.* Illas enim hic intelligit

Gallus Asinius, aut intelligi vult, quæ *honestæ, concessæ*, alibi apud Tacitum vocantur: quibus quidem epithetis hic non est opus, cum tales illæ voluptates, ut ad requiem animi et salubritatem corporum comparatæ, describantur. *Boxhornius.* Distinguo et lego: *non quia diversi natura, sed ut locis, ordinibus, dignationibus, antistent et aliis, quæ ad requiem animi aut salubritatem corporum parentur.* In qua oratione multiplex ἔλλειψις obscuritatem facit et occasionem mendo dedit. Intelligendum enim inter τὰ *sed ut* ex superioribus τὸ *quia*, et post τὸ *dignationibus* ex sequenti τὸ *antistant* intra idem comma; denique ante τὸ *antistent* particula comparativa. Est enim integrum: Non quia diversi natura sint, sed quia, quemadmodum locis, ordinibus, dignationibus antistant, sic antistent et aliis. *Gronovius.*

Confessio vitiorum] Possit legi, *consensio.* Lipsius.

Confessio vitiorum] Ne assentiamur Lipsio, legi posse *consensio. Confessio* retine, sed comma ante ipsam vocem dele. Jungenda enim illa, *Confessio vitiorum sub honestis nominibus.* Et quæ illa infantia, *Consensio assensum dedit?* Acidalius. Non ita, si mihi creditur, sed, *concessio vitiorum et similitudo audientium.* Nam licet quis vitia confiteatur, tamen non assentit, ut vitia locum habeant: sed assensere Asinio, propter similitudinem morum, quam Senatores cum illo habebant, et quod facile vitiis concederent, in quæ transierant dudum. Sic manus manum fricat. *Aurelius.* Absit, ut mutemus, quod pulcerrime dictum est. Neque vero hæc confessio est Galli, ut censuit Freinshemius, qui παραφράζει: Huic Asinii orationi non difficulter assensi sunt reliqui, qui, quod ipsi similiter animati essent, gratum habebant exstitisse virum primarium, qui iisdem, quibus ipsi tenebantur vitiis, teneri se confiteretur, et tamen obtegendæ eorum turpitudini honesta nomina reperire potuisset. Immo, impudentia, inquit, plurium, qui prætextu et vocabulis *commodorum* et *necessariorum* luxuriam suam tantum non prodebant et palam confitebantur, et quod hæc istis similes audiebant.* *Gronovius.*

Cap. 34. *Precibus tenerent*] Pro retinerent. Sic l. iv. 'semelque assumpti tenebantur,' pro *retinebantur.* Aurel.

Cap. 35. *Res eo anno*] * 'Quicquam valet.' Idem ad Att. l. vii. ep. 11. et l. xiv. ep. 5. Quisquis plura exempla quærit, Pithœum ipsum adeat. *Pichena.*

Cn. Pisonis] 'Cn. Piso fuit memoria nostra vir a multis vitiis integer, sed pravus, et cui placeret pro constantia rigor,' &c. Seneca libro primo de Ira. *Muretus.*

Abfuturum se dixerat] Omnino sic legendum. *Lipsius.*

Quanquam abfuturum] In Man. legitur, *afuturum*, ex quo non defuere, qui mallent *adfuturum*, quod minime mihi probatur. Cum enim in Senatu ageretur de feriis indicendis, Tiberius, quo promptius id fieret, dixerat se abfuturum. Hinc inter Pisonem Gallumque contentiones. *Pichena.* *Adfuturum* legerunt plerique et intellexerunt Tiberio statutum adesse Urgulaniæ in judicio: quos haud dubie male discretum Pisonis nomen in hoc somnium induxit. Alius enim est hic Piso, quam ille, cui cum Urgulania negotium fuerat: atque si idem foret, quam inepte hæc dicerentur a Cæsare, se adfuturum Urgulaniæ, quum ea causa jam composita esset? aut a Pisone in suo negotio sententia et quidem tam impudens atque stolida diceretur? *Freinshemius.*

Conventum Italiæ] Habeo, quo vulgatum tuear: malim tamen *servandas.* Gronovius.

Cap. 36. *Quasi augeretur*] In Mediceo, *auretur*, legitur voce admutilata. Illa vera lectio. Augebatur enim potestas, cum in ejus manum comitia tot

annorum, nova ratione, darentur. *Lipsius.*

Mens, domus, fortuna] A vulgatis plerisque abest interrogandi nota, sensu fortasse superiora respiciente: id est, odium eorum, qui ultra quinquennium projicerentur. Nos, juxta Aldinam editionem, hæc interrogative pronunciamus, et ad sequentia referimus, nempe ad designatorum superbiam: quorum mens, domus, fortuna, ea honoris diuturnitate, in deterius forte converterentur, seditiones, ac res novas spectando. Status enim mutatio mentem etiam animumque mutare solet. *Pichena.* Quæ alii ad hujus loci interpretationem adferunt, lapides sunt auribus meis. Quin hæc omnino attribuenda designatis istis: et longe alia notant *mens,* longe alia *domus,* longe alia *fortuna,* quam volunt, de quibus ego in suspicionibus. *Gruterus.*

Honorem per quinquennium agitent] Sermo ad invidiam rem augens. Ut l. I. 'Compressa a muliere seditione.' Et paullo ante: 'confessio vitiorum.' Designati a gerentibus magistratum potestate, non dignatione neque gratia differunt: immo majorem sæpe gratiam habent, ut plerumque, a quibus speratur. Adorant ferme solem orientem, et semper, quæ sperant homines, ampliora sibi fingunt, quam præsentia vel inveniunt vel æstimant. Unde non mirum, si et ipsi sumerent superbiam quasi meritis quæsitam. Liv. l. XXXIII. 'quia ex quæstura in judices, potentissimum ordinem, referebantur, jam pro futuris mox opibus animos gerebant.' Cicero act. I. in Verrem: 'Quid igitur? quod tota Sicilia, quod omnes Siculi, omnes negotiatores, omnes publicæ privatæque literæ Romæ sunt, nihilne id valebit? nihil invito consule designato.' Verebatur igitur haud injuria, ne quis eorum qui tot annos in oculis et exspectatione hominum fuissent, vires colligeret ad invadendum imperium. *Gronov.*

Quinquiplicari prorsus] Expressi Manuscripti verbum, in antiquioribus etiam editis receptum, licet recentiores scripserint, *quintuplicari.* Pichena.

CAP. 37. *Censusque quorundam senatorum*] Quidam in versione Latinam vocem retinuit. Bene, licet enim *censu* aucto, *reditus* etiam augeantur, tamen inter utriusque vocabuli significationem multum interest: *census* enim pro toto patrimonio, sive universis bonis accipitur. Apud Juvenalem Sat. 16. 'Nam quæ sunt parta labore Militiæ, placuit non esse in corpore census; Omne tenet cujus regimen pater.' *Freinshemius.*

Preces M. Hortali] * 'In foro excubuerat:' sed vocat Corbionem. Anne igitur scrib. *Hortalus Corbio?* an corrupta ea vox, substituendumque, *Ortalus?* alterum certe horum. Principio etiam Valerianæ narrationis emendo, *in maximo et ingeniorum et civium amplissimorum proventu.* Facio judicem nostrum Pighium, cui scriptor hic non medicinam debet, sed vitam. Sed hic Ortalus Hortensii nepos, numquid ex filio? Apparet: nam et Valerius diserte Hortensium eum appellat. Attamen filius magni illius Oratoris, bello civili Brutiano periit, præmature. Velleius: 'Eadem Lucullum Hortensiumque eminentissimorum virorum filios fortuna abstulit.' Sed debuit scilicet jam tunc prolem sevisse, et reliquisse in urbe. Catulli Elegia quæ ad Ortalum est: censeo eam esse ad hujus avum. *Lipsius.*

Inlectus a Divo Augusto] Cum videlicet ageret, ut credibile est, de tollendo cœlibatu. Vide Dion. lib. LVI. in principio; nam id curavit studiosissime. *Aurelius.*

Decies H. S.] Sunt ista *viginti quinque millia Philippicum.* Lipsius.

Decies sestertium] *Liberalitatem decies sestertii* dicebant veteres, et scripsit haud dubie Tacitus; non *sestertium.* Gronovius.

Nec ad invidiam ista] Intelligo aliorum; quasi alios oblique perstringens. * Quidam verterunt ostentationem, cui nullum opinor hic esse locum. Alii vocem *invidiæ* retinuerunt, sed non significationem, quæ non nisi vulgaris est in hisce linguis, neque hanc, quæ hic et alibi frequentissime reperitur, exæquat: quam etiam vix alterius sermonis vox expresserit. *Freinshemius.*

Adsequentur florente te] Forte melius *adsequantur*. Acidalius. Non placet; certius enim omen in vulgata, etsi ratum non fuerit. *Gronovius.*

Cap. 38. *Eamdem vim*] Prisca scriptura, *in me transmerei:* ex quo Beatus, *transumere*. Legebam, *eadem*, *invidiam in me transmittere:* vel etiam, *tandem vim.* * Lipsius.

Eandem vim in me transmittere.] Antonius Augustinus ex antiqui codicis scriptura, quæ est, *transmerei*, faciebat, *transmittei*. Ursinus. Corrigendum olim putavi: *invidiam vero in me transmittere:* litteris quidem non dissimilibus. Sed nuper vulgatam lectionem amplector. Nam ut, *modestiam senatus urgere*, significat, senatus modestiæ vim facere, ita recte Tiberius ait, *eandem vim* ab Hortalo in se quoque transmitti: quod idem est, ac si dixisset, urgere modestiam senatus meamque. *Pichena.* Emendem: *Urgere modestiam senatus, invidiam miseratione movere, ac velut.* De invidia et miseratione aptissimum hic esse, tum ex ipsa re, tum ex Hortali ipsius ante recitatis verbis, patet. Possis tamen etiam, *invidiam miseratione miscere:* quomodo lib. I. alii Tacitum locutum volunt: 'lacrimas gaudio, questus adulatione miscebant.' Sed prius ad rem aptius. Poterat et simpliciter, *Invidiam in me transmittere.* Quomodo infra locutus est: 'Proinde tradito Cotye veniret, transferretque invidiam criminis.' *Acidalius.* Lego, *eandem odii vim in me transmittere.* Mirandulanus codex, mihi in ea re facula. Nisi codex manuscriptus urgeret, excusam probarem, quæ aptissima est. *Aurelius.* Optime habet vulgatum: nam et *vis* infertur pudori: vis etiam est, cum aliquid *extorquet improbitas*, ut loquitur Arbiter: cui concedit frontis imbecillitas. Sic lib. XV. 36. 'Ergo ut in privatis necessitudinibus proxima pignora prævalerent, ita Po. R. plurimam vim habere, parendumque retinenti.' *Gronov.*

Cap. 39. *Non servili animo*] Interim *servile*, pro vili, abjecto, et nequam; nam per humilia depressus vix, aut raro, ad præclara se erigit. *Aurelius.*

Furatur cineres] Ut tanto facilius persuaderet, Agrippam Postumum mortuum non esse. *Muretus.*

Vectusque Coram] Apud Dionem leges, in Galliam profectum eum. Sed Coræ nomen ego apud Geographos in hoc tractu non reperio: reperio Cosæ: quod Etruriæ opidum fuit in sublimi colle ad mare, cum subjecto sinu. Strabo lib. V. Μετὰ δὲ Ποπλώνιον Κόσσα πόλις, μικρὸν ὑπὲρ τῆς θαλάττης· ἔστι δὲ ἐν κόλπῳ βουνὸς ὑψηλός. Vicinum id portui Herculis Rutilius in Itinerario locat: 'Et desolatæ mœnia fœda Cosæ.' Servius de eodem: 'Cosæ civitas Thusciæ, quæ numero singulari etiam secundum Sallustium dicitur.' Nominat et Plinius lib. II. Itaque qui me audiet, *Cosam* hic restituet. *Lipsius.*

Neque propalam aspici] Idem de Hilarione, illo inter monachos celeberrimo, tradit Nicephorus lib. X. Hist. cap. 9. ἐσπούδασε γὰρ ἀφανὴς εἶναι ταῖς μεταβάσεσιν, ὥς τε τάχιστα διαλύειν τὴν περὶ αὐτοῦ ἐπισυνισταμένην δόξαν: *Inprimisque studio habebat, ut migratione crebra obscurior esset, et quam primum opinio ac existimatio de eo excitata evanesceret.* Sed hujus melior causa, quam illius pseudoagrippæ. *Boxhornius.*

Veritas, visu et mora] Hist. I. 'scelera impetu, bona consilia mora valescere.' *Pichena.*

Relinquebat famam] Statim abeundo

scilicet, priusquam bene innotesceret: *præveniebat* autem, ex inopinato et celeriter se sistendo. Ita parum gnaros relinquebat, parum providis se sistebat. *Lipsius.*

Relinquebat famam, aut præveniebat] Mira hominis versutia et festinatio. *Relinquebat famam*, cum fere ignotus abiret, *præveniebat* cum adiret: fama utrumque sequente. *Pichena.* Id est, sicubi esset, aiebat esse se Agrippam, et Agrippam verum, eamque famam ibi relinquebat: vel si nondum eo pervasisset, per rumores præveniebat. *Aurelius.* Non satis capio. Licet enim utcumque explicare sim conatus, video tamen in his, quæ tamquam diversa proponuntur, aut nullam omnino differentiam, aut certe pertenuem esse. Nam oro te, qui *relinquit famam*, nonne idem *prævenit*, et qui prævenit, relinquit? An non ob id ipsum quod homo præcedit famam, illa sequitur hominem? Parum abest, ut referam hæc inter argutias nimia subtilitate vanas, quales in hoc auctore Savile alibi reprehendit: ut hoc ex H. I. 4. 'ut non modo casus eventusque rerum; qui plerumque fortuiti sunt; sed ratio etiam caussæque noscantur.' Quomodo enim aut fortuitorum caussæ tradi possunt; aut quorum caussæ possunt tradi, haberi pro fortuitis? *Freinshemius.* Sane cavillari licet totum diem. Ego vero ne Savillio quidem jus fuisse censeo ista verba improbandi, ut infra videbimus. Totum autem interpretor de abitu, idque præcipit ipse Tacitus, cum ait: 'neque diutius iisdem locis, sed aut relinquebat aut præveniebat:' quid fecerit, narrat, in mutandis locis. Etsi autem *relinquere* interdum dicimur, quicquid post tergum est vel venit, proprie tamen relinquimus quod nobiscum fuit, aut quod jam adest, cum ab eo discedimus; prævenimus id quod nondum adest, seu quod post nos demum existit. Hoc igitur ait, abibat vel cum inciperetur spargi, vel priusquam spargeretur rumor eum adesse. *Gronovius.*

CAP. 40. *Ostiam invectum multitudo ingens celebrabat*] Crederem si adjiceretur *fama*, *rumore*, *sermone*, *vocibus.* Nam mihi nihil exploratius, quam, quem *multitudo celebrare ingens* dicitur veteribus, eum magnam turbam comitum, anteambulonum, sectatorum secum trahere intelligi. Cic. pro Sext. 'Viæ multitudine legatorum undique missorum celebrabantur.' Ad Att. IV. 1. 'Similis frequentia me usque ad Capitolium celebravit.' Lib. I. de Orat. 'Testis est hujusce Q. Mucii janua atque vestibulum, quod maxima quotidie frequentia civium celebratur.' Plane sic et Tacitus loquitur, narratque, simul egressus, &c. * XXII. lapide ab urbe distare Ostiam accepit, opinor, Freinshemius e corrupto Strabonis loco, cum tot alii auctores, tabulæ, itineraria XVI. quidam etiam XIII. millibus contenti sint. Vide Cluverium. *Gronovius.*

Servum suum coërceret] Muretus *suum* deleri voluit, quod refutat Lipsius, suppresso nomine et ipsa conjectura, tantum rectum esse vulgatum aiens. Et est forte rectum. Mihi tamen non inconcinne ex *suum* scribi posse *statim* videbatur: quod profecto valde ad loci sententiam, si sequentia verba pensitas. *Acidalius.*

Modo nihil spernendum] Nam ut tenuis scintilla, si in materiam ad ignem concipiendum idoneam inciderit, magnum incendium excitat, sic ex tenui et exiguo principio magnæ interdum turbæ ac seditiones exoriri solent. *Muretus.*

Modo non omnia metuenda] Quædam enim quæ contempta evanescerent, interdum eo ipso crescunt, quod non negliguntur. *Muretus.*

Ambiguus pudoris] Pudebat, servi causa, commoveri. Metus erat, nisi malum nascens opprimeretur, ne convalesceret. Principiis obstandum esse, medici docent. *Muretus.*

Dilegit atque hortatur] Muretus *deligit*. Parum interest, *diligit*, an *deligit* scribas: dum tempore non præterito, sed præsenti. *Acidalius.*

Simulata conscientia] Id est, dissimulantes, quod scirent, quodque ipsi in præcordiis haberent certissima. *Aurelius.* * Alii, se agnoscere illum pro Agrippa, quod *conscientiæ* non congruit. *Conscire* enim est, idem scire quod alius scit. Porro Clemens sciebat se non esse Agrippam. *Freinshemius.* Hanc interpretationem admittere non possum. Quemadmodum enim planus hic confideret committeretque sese illis, qui dicerent, 'Scimus te non esse Agrippam, quem præfers?' Prorsus hoc erat totam tragœdiam evertere. Qua fronte poterant offerre pecuniam, fidem et pericula polliceri qui detrahebant ei aperte personam sub qua erat favorabilis? Non erat tam fatuus Clemens, ut crederet homines, si nihil aliud, ingenuos et militares sacramento dicturos ei, quem fugitivum esse nossent. Quin *simulata conscientia* est fingentes se conscios ac participes eorum, qui jampridem illius adventum optarint et exspectarint, adeoque conspirationis pro servato munere deum Agrippa factæ, et velle omni modo Augusti sanguinem adversus inimicos tueri. *Gronovius.*

Fidem atque pericula polliceantur] Forte, *fidem ad pericula polliceantur.* Tamen et vulgatum commode accipi potest: tanquam si communia sibi cum ipso pericula fore spondeant. *Acidalius.*

Quomodo tu Cæsar] Melius, opinor, sine interrogatione. *Aurelius.*

CAP. 41. *Ductu Germanici, auspiciis Tiberii*] *Ductu*, id est per se ipsum; *auspiciis*, quando per legatos bellum agitur, ut notum est. Tamen apud Plautum confunduntur: Sosia enim de hero Amphitruone loquens, qui contra Theleboas militaverat, ait: 'ut gesserit remp. ductu, imperio, auspicio suo:' et ipse Amphitruo alibi: 'eos auspicio meo atque ductu, primo cætu vicimus.' Nam vere Creontis Thebani Regis auspiciis bellum patratum fuerat. *Pichena.*

Fortis fortunæ] Ger. et Ital. I. *della insperata Fortuna:* quod placet præ illo Angli, *of strong fortune.* Non enim *Fortis Fortuna*, sed *Fors Fortuna* dicitur. Gal. II. omisit cognomentum, tamquam nihil referret Alter autem vertit *à la heureuse Fortune*, quam sententiam probari videtur Grutero et Taubmanno in Plaut. Bacch. IV. 8, 75. *Freinshemius.*

Triumphavit de Cheruscis] Plures gentes in hoc triumpho Strabo nominat, sed verbis corruptis: de quibus videro in Germania Taciti. *Idem.*

Trecenos plebi sestertios] Duodecim aureos. *Muretus.*

CAP. 42. *Rex Archelaus*] Judææ tetrarcha, rex Cappadociæ. *Muret.* Immo rex Cappadocum, non Judææ tetrarcha. Hic Herodis erat filius: ille ex posteris Archelai, Mithridatis præfecti. Archelai Judæi frater Alexander Archelai Cappadocis filiam Glaphyren uxorem habuit. *Gronov.*

Nullo officio coluisset] Cum tamen a suis apud Augustum accusatus, Tiberii patrocinio usus esset. Dio, Suetonius, et Josephus lib. II. de bello Judaico. *Muretus.* Iterum confundit duos Archelaos: nam de Cappadoce Dio LVII. et Suetonius, de Judæo Josephus. *Gronovius.*

Versa Cæsarum subole] Quidam *finitam* interpretantur. Sed *versam* Tacitus, non *finitam*, ait: supererat enim adhuc Agrippa Postumus, sed eversus, et in exilium missus. *Freinshemius.*

In provinciam redactum est] Strab. l. XII. Τῆς δὲ μεγάλης Καππαδοκίας νῦν μὲν οὐκ ἴσμεν πρώτην διάταξιν. Τελευτήσαντος γὰρ τὸν βίον Ἀρχελάου τοῦ βασιλεύσαντος ἔγνω Καῖσάρ τε καὶ ἡ σύγκλητος ἐπαρχίαν εἶναι Ῥωμαίων αὐτήν. Regnum autem Cappadociæ a Tiberio

primum in provinciam redactum, consensu traditum est. Appianum quis hic audiet, qui refert ad Augustum? Verba ejus in Mithridatico: Ἀριοβαρζάνης μὲν οὖν τὴν βασιλείαν ὅλην τῷ παιδὶ ἐνεχείρισε, καὶ πολλαὶ μεταβολαὶ μεχρὶ Καίσαρος ἐγένοντο τοῦ Σεβάστου. Ἐφ' οὗ, καθάπερ τὰ λοιπὰ, καὶ ἥδε ἡ βασιλεία περιῆλθεν ἐς στρατηγίαν: *Ariobarzanes regnum filio tradidit: variæque mutationes intervenerunt ad Cæsarem usque Augustum. Is, ut pleraque alia, etiam hoc regnum* (Cappadociam) *in provinciam redegit.* Via excidisti, o bone et fide alias scriptor. *Lips.*

Fessæ oneribus] Sic *bello fessos* dixit l. XII. Aliter Sidonius Apollinaris Carm. V. 'Gallia continuis quanquam sit lassa tributis.' *Pichena.*

CAP. 43. *Motum Orientem*] Recte; quasi dicat, turbatum commotumque Orientem: alias, non peccabis, si legas, *motum Orientis.* Lipsius.

Muliebri æmulatione] Vult uxorem ejus a Livia stimulatam fuisse, ut in honoribus, qui ejus ordinis feminis deferuntur, Agrippinæ æmulam se ostenderet, nec in ullo negotio, quo mulierum animi occupari solent, quidquam ei concederet. Vulgo accipiunt, tanquam ita connectenda foret constructio: Augusta muliebri æmulatione monuit Plancinam; quum ego sic conjungerem, Muliebri æmulatione insectandi Agrippinam. *Freinshem.*

Avum M. Antonium] Tu, qui in historia tiro, hæc pete ex Tabula stirpis Augustæ, quam inserui, fine librorum. Videbis autem *avunculum,* intellegi *proavunculum.* Lipsius.

Pomponius Atticus] Pomponius filiam virginem M. Agrippæ collocavit, ex quo Agrippina neptis illi nata est. Hanc Octavius Cæsar vix anniculam Ti. Claudio Neroni privigno suo despondit: quæ conjunctio, ut ait Cornelius Nepos, 'necessitudinem eorum auxit, familiaritatem reddidit frequentiorem.' *Vertran.*

CAP. 44. *Vacui externo metu*] Simile illi Sallustiano: 'Postquam remoto metu Punico simultates exercere vacuum fuit.' *Lipsius.*

Ac vacui] Lib. vet. *vacuæ.* Muretus. Videtur voluisse, Vacuæ externo metu gentes, assuetudine, et tum æmulatione gloriæ. Sed ita fuisse in unico Ms. codice non puto. *Gronov.*

CAP. 45. *Pari utrinque spe*] Recte sane *spe.* Rectius videri possit tamen *specie,* si sequentia statim verba consideras. *Acidalius.* Pari fiducia et spe acies utrimque instructa est. *Freinshem.*

Ut quosque advectus erat] Plus est hic in auctore, quam in versionibus: neque hoc tantum adfirmatur, omnes ab eo fuisse commonitos: sed simul istud, non universos eadem opera, iisdemque verbis, verum alios alio tempore modoque fuisse appellatos, neque enim omnibus eadem quadrant: sicuti 'spolia adhuc et tela Romanis direpta,' apud Cheruscos dicta intelligas; non apud Longobardos aut Semnones. Confer quæ nuper notavi ad Curt. III. 10. 'Ut cujusque animis aptum erat.' *Freinsh.*

Tela Romanis direpta] Melius *derepta.* Plaut. in Aulul. 'luce clara deripiamus aurum matronis palam.' *Acidal.*

Fugacem Maroboduum] Vide dictum Antalcidæ in Agesilaum apud Plutarchum in Lycurgo. *Muretus.*

CAP. 46. *Vacuas legiones*] Id est, vacantes. Sic infra Tacitus, 'vacantem provinciam,' 'vacantem' et 'vacuam mulierem' dixit pro vidua. Sic 'vacuum uterum' dixit Jurisconsultus l. XXX. § pen. de adq. hered. *vacuas tabulas* l. XI. de injust. rupt. Nec melius explicaverit quisquam Paterculo istam cladem: 'Exercitus,' inquit, 'omnium fortissimus, disciplina, manu, experientiaque bellorum, Romanos inter milites, princeps, marcore ducis, perfidia hostis, iniquitate fortunæ circumventus, cum nec pugnan-

di quidem egregie occasio in quantum voluerant, data esset miseris, castigatis etiam quibusdam gravi pœna, quia Romanis et armis et animis usi fuissent: inclusus silvis, paludibus, insidiis, ab sævo hoste trucidatus est.' *Aurelius.* Quidam reddunt male instructas: ego de numero capiendum arbitror, qui non fuerit expletus: hoc est, ut puto, *οὐκ ἐντελεῖς*, verbo Strabonis l. XVII. de Ægypto, *τρισὶ γοῦν σπείραις, οὐδὲ ταύταις ἐντελέσιν ἡ χώρα φρουρεῖται. Freinshem.* Subit illud Cæsaris, 'se ire ad exercitum sine duce, atque inde rediturum ad ducem sine exercitu.' Et hoc *vacuum* sæpe, carens præside, vindice, defensore, domino. Brutus ad Cic. Epist. Fam. XI. 10. 'Quantam perturbationem rerum afferat obitus consulum, quantamque cupiditatem hominibus injiciat vacuitas:' i. orba respublica. Hoc libro: 'repeteret provinciam non jure ablatam et vacuam.' Lib. XII. 'vacuam rursus Armeniam Rhadamistus invasit.' Et sæpe. Ambrosius in Hegesippo II. 17. 'tanquam in vacuum populum omni injuriarum genere processit.' Sed additur, inquis, 'ducem fraudis ignavum.' Respondeo, ideo *vacuæ legiones*, hoc est, sine duce, quia dux fraudis ignarus et improvidus: non enim cautor, ipse qui capitur. *Gronov.*

Discessum: neque pœnitere] Sententia vult sic potius distingui: *Mox c. æ. discessum, neque pœnitere: quod* (id est, quoniam) *ips. i. m. sit, &c.* Acidal.

Integrum bellum] Plerique novum aut acre accipiunt. Sed *integrum bellum* dicitur hic, quod pari spe et robore geritur: neutro adhuc inclinante victoria: sicut *integra res,* aut *causa,* nullo præjudicio delibata, aut in alterutram partem propendens. *Freinshem.*

Et transfugis paulatim nudatus] Hoc eo pertinet, quod supra proxime legitur: 'Ni Inguiomerus, cum manu clientum ad Maroboduum perfugisset.' *Ferretus.* Lipsius mavult, *transfugiis.* Sed nihil est mutandum. Intellige *transfugas,* qui cum Inguiomero, patruo Arminii, ab Arminio, sub hujus belli initium, ad Maroboduum defecerant. De quibus supra Tacitus. Hi afflicta Marobodui fortuna, ut tales solent, eum deseruere. Nulla quippe constantia fidei in istis, neque iis fidendum, qui in suos fidem non servavere. *Boxhorn.* Quare autem his potius quam quibusvis aliis, quos levitas ingeniorum ubique, sed magis apud inferiores fortuna, præbet? An non dixit Tacitus jam ab initio belli Semnones et Longobardos quoque e regno Marobodui defecisse ad Arminium? Quanto magis quosvis alios inclinato statu? Neque illud *paulatim nudatus* de paucis aut uno genere multitudinis satis commode intelligas. Subscribo igitur Lipsio, quem et Freinshemius secutus: Multi subinde ex ipsius partibus ad Arminium transfugerunt; et sic cum vires suas decrescere, seque paulatim copiis exui animadverteret. Hist. lib. II. 'Crebris ut in civili bello transfugiis.' L. III. 'Crebra transfugia tribunorum centurionumque.' *Gronov.*

CAP. 47. *Eodem anno duodecim celebr. Asiæ urbes*] Terræ motu cum dominus noster Jesus crucifixus est, Asiæ civitates dirutas, quibus remissum tributum, et datam libertatem Paulus Orosius refert, nescio quos secutus auctores. Ejus certe relatio annis XIV. posterior scriptione Dionis et Cornelii est: hoc præterea differens, quod ille diei hora sexta, hic vero terram noctu movisse scribit. *Vertran.* Plinius II. 84. Eusebius XIII. fuisse ait, et eas nominat. Meminit et Strabo ad finem l. XII. et XIII. et Suetonius. *Muretus.* Fuit Asia semper his voraginibus obnoxia. Et tangit in Pallio Tertull. 'Utinam,' inquit, 'et Asia secura jam sit de soli ingluvie.' Agathias male, qui hunc terræ motum temporibus Au-

gusti tribuit, lib. II. qui sub Tiberio accidit, et in chasmate describendo fœlix fuit, imo et acutus plurimum, cum dicat : 'Terræ motum rem esse optabilem, si discerneret bonos a malis ; et hos perderet, illis parceret.' *Aurelius.*

In aperta prorumpendi] *Aperta* palam est opponi tectis. Sicut itaque tectis ruentibus majus in tali casu periculum, sic in apertis locis major est fiducia et spes salutis. *Freinsh.*

Asperrima in Sardianos lues] Bianoris epigramma in hanc rem est lib. I. Anthologiæ : Σάρδιες αἱ τὸ πάλαι Γύγου πόλις, αἵτ' Ἀλυάττου, Σάρδιες, ἁ βασιλεῖ Περσὶς ἐν Ἀσιάδι, Αἳ Κροίσῳ τὸ παλαιὸν ἐπλινθώσασθε μέλαθρον, Ὄλβον Πακτώλου ῥεύματι δεξάμεναι. Νῦν δὲ ὅλαι δύστηνοι, ἐς ἓν κακὸν ἁρπασθεῖσαι, Ἐς βυθὸν ἐξ ἀχανοῦς χάσματος ἠρίπετε. Βοῦρα, καὶ εἰς Ἑλικὴν κεκλωσμένα, αἱ δ' ἐνὶ χέρσῳ Σάρδιες ἐν βυθίαις εἰς ἓν ἔκεισθε τέλος. *Lipsius.*

Magnetes a Sipylo] Strabo: Οὐκ ἄποθεν δὲ τούτων τῶν πόλεων, οὐδ' ἡ Μαγνησία ἐστὶν ἡ ὑπὸ Σιπύλῳ, ἐλευθέρα πόλις ὑπὸ Ῥωμαίων κεκριμένη. Καὶ ταύτην δὲ ἐκάκωσαν οἱ νεωστὶ γενόμενοι σεισμοί· *Haud procul his urbibus et Magnesia est a Sipylo: quæ libera judicata est a Romanis. Hanc et terræmotus ii adflixerunt, qui nuper exstiterunt.* Scitum jam autem duas Magnesias esse, a Sipylo, et a Mæandro. Tiberiani nummi exstant, monumentum benivolentiæ et liberalitatis in adflictas urbes, quibus inscriptum : CIVITATIBUS. ASIAE. RESTITUTIS. *Idem.*

Magnetes a Sipylo] Plinius v. 9. 'Smyrnæum conventum, magna pars Æoliæ frequentat: præterque Macedones Hyrcani cognominati, et Magnetes a Sipylo.' *Ferretus.* Magnetes, alii ἐπὶ Μαιάνδρῳ· alii ὑπὸ Σιπύλῳ. Strabo l. XIII. et Plinius. Cic. in epist. ad Q. fratrem. Ptolemæus l. v. *Muretus.* Duæ fuere Magnesiæ : una inter Caystrum et Mæandrum, non longe a Trallibus; quæ antiquissima, et cum Cumis eodem tempore condita, ut ait Euseb. de Præpar. Euang. x. 3. Altera Sipylo propinqua. Quod passim in Conciliorum tomis observari potest, in episcoporum subscriptionibus. Et ambæ a Magnete lapide dictæ. *Aurelius.*

Temnios] Urbs ipsa Temnus Straboni XIII. *Lipsius.*

Temnios] 'Fuit,' inquit Plin. v. 30. 'in ore Hermi fluvii oppidum Temnos.' Quod ostendit ejus ætate amplius non fuisse. Et fortasse ita dicta, quod in ea nemus esset deo cuidam dicatum. Fuit autem et alia, sed Asiaticam memorat, quia in Asia quassatio, de qua hic loquitur. *Aurelius.*

Philadelphenos] In Asia duæ sunt Philadelphiæ ; una in Cilicia, altera non longe a Tmolo, de qua heic. Vicinæ Tmolo urbes hac clade fuerunt affectæ, non illa Philadelphia, quæ in Cilicia. *Idem.*

Ægeatas] 'Æge,' inquit Plin. v. 27. 'Urbs Ciliciæ, et oppidum liberum.' Sed quia hæc, quæ in Cilicia, distat nimium a loco terræ motu exhausto, putarem hic debere intelligi istos *Ægeatas*, ab *Æge*, quæ sita ad Hermum fluvium : tamen aliorum sit judicium : de ista enim Æge ita Plin. v. 30. ubi de Æolide : *Æge. Attalia. Possidea.* At in Æolide hic terræ motus. *Idem.*

Apollonienses] Multæ Apolloniæ, Pontica, Macedonica, Cyrenaica. Hic Apollonia Troadis, quæ prius Assos dicta. Plin. v. 30. πόλις εὐνομωτάτη, ait Strabo VII. *Idem.*

Quique Mosceni] Verius *Mosteni :* quo nomine urbs Lydiæ. *Lipsius.*

Quique Mosceni aut Macedones] Mentio Mosthenorum fit Plinio. *Rhenan.* Si hos confundimus, non amplius duodecim urbes, ut Tacitus voluit, sed una minus, numerabuntur. Distinguendi igitur hi populi, vimque hanc habet particula *aut*, ac si dixisset,

Quique Mosceni, et qui Macedones Hyrcani vocantur. Sic IV. 63. ‘Par forma aut ætas:’ item, ‘debilitata vel obtrita;’ de diversis, non de iisdem, capienda sunt. *Freinshem.*

Hierocæsaream] A Ptolemæo ponitur inter Asiæ urbes, in Doride. *Aurelius.*

Myrinam, Cymen, Tmolum] Plin. v. 30. ‘In Æolide sunt Cyme, Myrina, quæ Sebastopolim se vocat.’ *Aurel.* Non satis expedio me ex hoc loco, quia *Tmolum* hic inter urbes numerat, qui semper ut mons memoratur, nec ullum in eo oppidum reperio. Certe Strabo, qui sub hæc tempora scripsit, hujusque terræ motus mentionem facit, nullius in eo ædificii meminit, præterquam speculæ cujusdam Persicæ, non omissurus urbem, si qua ibi fuisset. Inde aliquando in mentem venit legere, ‘quique Mosceni [*Mosteni* sunt Ptolemæo, Plin. v. 30. *Mossini*] aut Macedones Hyrcani vocantur, et Hierocæsaream, Myrinam, Cymen incolunt.’ Sed reclamat Eusebius, qui ad annum MMCCC. inter urbes hoc terræ motu afflictas exserte *Tmolum* nominat. Nec tamen sequi satis tutum sit, cum in eadem historia alibi quoque peccet. Cum enim noster et Plin. II. 84. consensu tradant de duodecim urbibus, ille tredecim numerat, interque eas nescio quam *Hyrcaniam*, quæ et ipsa nusquam, quod sciam, reperitur. Sane campum Hyrcanium Stephanus de urbibus, et Strabo lib. XIII. agnoscunt, quem a colonis jussu Persarum eo deductis sic appellatum Strabo scribit. In iisdem locis postea Macedones consedisse verisimile est, atque ita gente utraque permixta geminatum quoque nomen fuisse, ut *Macedones Hyrcani* vocarentur, quomodo et Plin. v. 29. nominat, quos consentaneum est non unam aliquam urbem, sed plures eo tractu coluisse. *Freinsh.*

CAP. 48. *Magnificam in publicum largitionem*] Quid per hæc verba Tacitus intellexerit, non advertunt: quum auctor de nulla alia re, nisi levatis terræ motu adflictarum damnis, hic loquatur aut sentiat. *Freinshem.*

Nisi cum amicitia meruisset] Mur. *nisi quam am.* Rectius sane. At legi etiam poterat, *nisi cujus amicitiam meruisset.* De verbo *merendi* eo significatu ad Plinii et Symmachi Epistolas actum dictumque. *Acidalius.* *Nisi cum*, vel quoties, inquit Tacitus, ab eo scribebatur hæres, a quo id *amicitia*, hoc est, familiaritate aut beneficiis, *meruisset.* Nihil sollicitandum. *Gronov.*

Ignotos] Adulationes aversatus Tiberius, hæres ab ignoto factus, non adiit, quia amicitia judicium defuncti non meruisset. *Vertran.*

Marium Nepotem] Hunc Senecæ quoque nominatum arbitror, de beneficiis, II. 7. ‘Tiberius Cæsar rogatus a nepote M. Allio prætorio, ut æri alieno succurreret.’ Neque ibi *nepotem* pro decoctore et prodigo, cum Mureto capiam, neque putem cum eodem et Lipsio, Tacitum hujus hominis nullam mentionem facere. Potius emendem in Seneca *rogatus a Nepote Mallio* (sive malis ex Taciti scriptura, *Mario*) ut ita cognomen familiæ fuerit *Nepos:* sicuti Corneliis, Liciniis, et Metellis, &c. *Freinshem.*

CAP. 50. *Divum*] Quidam vertunt Imperatorem, quidam plane prætereunt. Sed illud hic exprimi debuit; quia magis adgravabat intentatum crimen, quod in numerum deorum relatus violaretur, pertinet huc V. II. vocula ‘inreligiose.’ Sic I. 73. ‘violatum perjurio numen Augusti’ Rubrio crimini datum. *Freinshem.*

Cæsarique connexa] Sanguine proxima atque conjuncta. Itaque legendum arbitror infra l. IV. ‘Quia claris majoribus, et Varo connexus.’ Non *connixus.* Ferretus. Id est, conjuncta: ut speciem adoptionis spectes, qua Tiberius factus Augusti filius fuit. Præterea Tiberius primo Vip-

saniam Variliæ. Deinde Iuliam, Marcellæ Octaviæ filiæ et Variliæ matris consobrinam, duxerat uxores. *Vertran.* Antonius Augustinus legebat: *Cæsarique cum nexa adulterio teneretur.* Ursinus. Familiare Principibus, ut vulgata ac communia crimina quovis prætextu trahant ad crimen majestatis. Curtius lib. x. ubi accusati Cleander, et alii spoliatarum Provinciarum, et per libidines alienatarum; 'Rex,' inquit, 'cognita causa pronunciavit, ab accusatoribus unum et id maximum crimen esse præteritum, desperationem salutis suæ, nunquam enim talia ausuros, qui ipsum ex India sospitem aut optassent reverti, aut credidissent reversurum.' Ita D. Augustus adulteria filiæ ac neptis traxit ad crimina majestatis, quod notat Tacitus lib. sequenti. Cui prorsus simile istud objectum Apuleiæ. Et ab eadem mente Velleius indignatur 'pœnas pependisse quasi cujuslibet uxore violata, qui Cæsaris filiam et Neronis violassent conjugem.' *Mercerus.*

Si qua de Augusto]. At Dio contra, ait omnes, ita volente Tiberio, impietatis accusatos, non modo qui in ipsum matremve quicquam sequius fecisse aut dixisse arguerentur, quæstionesque ea de causa de servis in capita dominorum habitas: et liberorum etiam ac civium torta corpora: magnisque præmiis affectos accusatores. *Muretus.*

Locuta secus argueretur] Muret. *sequius.* Recte. *Acidalius. Secus* quasi maligne, seu inreligiose. *Pichena.*

Graviorem pœnam] De hoc loco, et pœna legitima adulterii, dicendum mihi infra l. IV. si tibi cura est, vide. *Lipsius.*

Propinquis suis] Id est, a propinquis. Amat ita loqui noster, ut, 'Ceterasque urbes, quæ Macedonibus sitæ Græca vocabula retinent.' Sueton. in August. c. 1. 'Et ostendebatur ara Octavio consecrata:' id est, ab Octavio: nec crede cum interpretibus, rudi illo et ignaro adulandi ævo, Octavio ipsi sacratam aram. * *Lipsius.*

CAP. 52. *Desertor*] Hoc minus esse puto, quam quod Gall. I. extulit, *revolté.* Rebellis enim est *revolté*, atque hæc toto genere differunt. Quum et *desertor* esse possit sine rebellione, et *rebellis* sine desertione. *Freinshem.*

Musulanorum dux] Ptolemæus vocat, Μισουλάμους; Plinius, Misulanos. *Lipsius.*

Musulanorum dux] *Mosulani.* Promontorium est, et emporium haud procul ab Africa deserta. Ptol. *Mossylicum* vocat Plinius. *Muretus.* Duas in his partibus gentes nobiles et vetustas memorat Plinius: unam *Musulanorum*, alteram *Maurusiorum.* Illam exstinctam scribit idem suis temporibus, licet hodie etiam longe clarissima dicatur apud illas gentes, ut ait Leo Africanus. *Aurelius.* Ann. l. IV. *Musulamos*, eos appellat, quod rectius videtur, ex Ptolemæo. *Pichena.*

Nullo etiam tum urbium cultu] Alii hæc omittunt; reliqui sic interpretantur, quasi dictum esset, Musulamos nullas tum urbes incoluisse: quod quidem verum arbitror, sed ulterius quid innuere Tacitum putavi, ut non tantum ipsis nullas urbes fuisse, sed omnino nullas in iis locis, ostendere voluerit: quo non tantum agrestes rudesque hominum mores intelligerentur, sed etiam facilitas arma capiendi, quia scilicet nullis tum per ea loca urbibus, comprimendi procul præsidium foret. Urbes enim feroces inter nationes conditæ, fræni instar, ad coërcendas eas, habentur. Curtium VII. 10. vide. Movebar etiam eo, quod Tacitus inquit, *nullo tum cultu:* neque vero videbatur simile, ex eo tempore ad ævum usque Taciti, homines eos ex nomadibus oppidanos esse factos. Hoc potius, ad reprimendos eos et in officio retinendos, colonias in ea loca fuisse deductas. *Freinshem.*

Castris attineret] *Attinere castris*, est in castris continere, atque coërcere, nec evagari sinere, quod natura et usu gentis erat solitum. *Idem.*

Disciplinæ et imperiis suesceret] Antea *disciplina et imperiis.* Mutavi, volente Tacito, qui, ni fallor, sic perpetuo loquitur. Supra l. I. 'vernacula multitudo, lasciviæ sueta.' Lib. II. 'ut suesceret militiæ.' Lib. XVI. 'externæ superbiæ sueto.' *Pichena.* Haud scio an jure mutaverit; nam cur non liceat variare Tacito, et eidem verbo nunc hoc nunc alio flexu nomen jungere? juxta autem bonum et Latinum *disciplina suescere.* Vide ad Livium XXXI. 35. *Gronovius.*

Cinithios] Plinio dicti videntur Ethini. *Lipsius.*

Cinithios] Lege *Cinyphios.* Sunt autem populi minoris Africæ. Silius: 'Cinyphiæque globos dubitarem irrumpere turma.' *Muretus.*

Furius Camillus Proconsul Africæ] Et hic, et alibi, ubi vulgo, *Proconsul*, aut, *Proprætor*, Manuscripti habent, *Proconsule*, aut, *Proprætore;* quod semel monuisse sufficiat. Simili fere modo l. XIII. 'Romæ Prætor, per provincias, qui proprætore aut consule essent.' *Pichena.*

Metu eluderent] Optime; id est, ne metu Romanarum virium traherent bellum, nulla copia pugnæ. Assidet huic illud Claudiani, De laudib. Stilic. l. I. 'res mira relatu: Ne timeare, times; et quem vindicta manebat, Desperare vetas.' Rhenanus tamen, *astu*, maluit. *Lipsius.*

Eo pronior] Est, qui non cepit vim hujus argumentationis, quæ hæc est: Tiberius claros viros detrectare et suspectare solitus, hunc ideo pronius extulit, quia hominem nulla eo usque militari fama, ob unicum hoc prælium satis intelligebat, eo gloriæ atque auctoritatis non posse ascendere, ut exinde sibi periculum haberet metuendum. At ille putabat, Tiberium celebrasse pronius id factum, tamquam ex animo lætum atque exultantem, quod vir ille contra quam spes de eo fuerit, egregium ducem se ostendisset. *Freinshemius.*

CAP. 53. *Urbem Achaiæ Nicopolin*] *Nicopolis*, quæ et *Ambracia* dicitur, quæque exstructa est ab Augusto post Antonium et Cleopatram victos, in Amphilochia est, non in ea quæ vere ac proprie *Achaia* dicitur, quæ est in Peloponneso, sed totam illam oram inter Macedoniam et Peloponnesum, veteres interdum *Achaiæ* nomine comprehendebant. Sita autem est Nicopolis ad sinum Ambracium, exadversum Actio Promontorio. *Muretus.*

Quæsitissimis honoribus] Verbum Sallustianum e secundo historiarum. *Muretus.* Video doctissimos viros illa vetera Atheniensium facta dictaque, ea interpretari, quibus ipsi olim ejusmodi magnorum hospitum adventum honestassent. Nec probo. Rationes in promptu sunt, et recte exputanti, in aperto. An dixerint, olim ejusmodi Principes, majores suos, quorum res florentiores, majore pompa excepisse, nec se imminutis rebus suis, eadem Germanicum nunc posse honestare? Quis credat? Scribit enim hic disertim Tacitus, *quæsitissimis honoribus* Germanicum nunc fuisse affectum. Tales illi sunt, quibus nihil potest addi. Num vero exposuerint historiam ac seriem ejusdem, cujus Germanicus, aut majoris, aut minoris loci Principum, qui aliquando ab Atheniensibus hoc aut simili modo fuerint excepti? Quis credat? Quomodo id fecerit ad horum, quidvis in Germanicum conferre studentium, institutum? Commemoratio parium aut majorum Principum, conjuncta fuisset cum minori æstimatione beneficii, quo nunc a Germanico afficiebantur Athenienses; qui haud dubie hoc summum, et rarissimum voluerunt interpretari: minoribus dicendis, quod quivis videt, nullus hic erat locus. Itaque longe alia mens est Taciti. Quæ ipsa colligi potest, ex his ejus verbis; 'quo plus dignationis

adulatio haberet.' Quando autem hæc plus habet dignationis? Haud dubie tunc maxime, cum laudatissimi celebratissimique sunt illi, a quibus quæsitissimi ejusmodi honores in alios conferuntur. Pulchrum est a laudato laudari. Tanto major collatus honor est, quanto is, qui confert, major habetur. Intelligebant id Athenienses. Sed et necessarium censebant, Romanis in præsens despecti et contempti. Referantur huc, et cum his contendantur, quæ paulo post sequuntur: *At Cn. Piso, &c.* Itaque vetera suorum facta dictaque, inter alia, prætulere, ex quibus, nimirum, constaret, quanta fuisset, vel etiam quantopere nunc æstimanda esset ea respubl. quæ tamen tanta veterum ducum, rerum, consiliorumque gloria atque magnitudine circumfusa, inter omnium maxima et antiquissima nunc haberet, præsentem Germanicum, nobilissimi sanguinis, celebratissimæque virtutis Principem intueri. *Facta* et *dicta* fere quasi solenni formula, conjunguntur, cum de iis sermo est, qui remp. tenuerunt. *Facta* sunt, res ipsæ; *dicta* autem, consilia, sententiæ, auctoritates, atque ejusmodi alia, quæ facta antecedunt. M. Valerius Corvinus apud Livium l. VII. 'Quod meum factum dictumve Consulis gravius, quam tribuni audistis?' Ipse Tacitus in Agricola; 'Id filiæ quoque uxorique præceperim, ut omnia facta dictaque ejus secum revolvant.' Ann. IV. 'facta dictaque Augusti,' conjungit Tiberius ea oratione, qua recusat oblatum ab Hispanis templi honorem. Histor. III. de Antonio Primo: 'Omnibus dictis factisque viam sibi ad potentiam struere.' *Dicta* sunt sententiæ, consilia, quæ si magnifica sunt, etiam ab eventu destituta, non minus dignationis habent, et conferunt suis, quam ipsa facta. Quare etiam a factis, hac loquendi ratione distinguuntur. Neque publica *dicta* minus quam *facta*, Annalium laudationumque sunt argumentum; et, si, quod jam dixi, erecta sint ac heroica, haud minus quam facta, in auctorum et rerump. gloriam cedunt. Possis etiam *dicta*, imperia interpretari. Ut *dicere* sæpe nihil aliud designat, quam imperare: unde *Edicta* et *Dictatorum* nomen. Ita *dicta* accepit Tacitus sub initium Ann. VI. 'Quid illi cum militibus? quos neque dicta neque præmia accipere nisi ab imperatore par esset.' Annius Setinus, Prætor Latinorum, apud Liv. l. VIII. 'Quid abest, quin, proditi Sidicinis, non Romanorum solum, sed Samnitium quoque dicto pareamus?' De his plura mihi dicere liceret, nisi manus injiceret compendium hujus, quod jam excessimus, nostri instituti. Videt quisque Taciti mentem, et cur, ac quomodo, veterum Atheniensium *facta dictaque* in medium allata, ad hos quæsitissimos, Germanico delatos, honores, plurimum attulerint dignationis. Neque jam necesse est, eorum conjecturas refellere, qui hunc locum mutare sunt aggressi. *Boxhornius.*

CAP. 54. *Transmisit Lesbum*] Quidam interpretatur, prætervectus est Lesbum, quod verum potius, quam Latino verbo *transmittendi* exacte respondens, arbitror. Nam *transmisit Lesbum*, valet, ab Eubœa trajecit in Lesbum: uti supra, I. 5. 'Planasiam vectum,' pro in Planasiam. *Freinsh.*

Internis certaminibus, aut magistratuum injuriis] Cicero ad Q. Fr. Epist. I. 8. 'Cujus quidem generis, constare inter omnes video, abs te summam adhiberi diligentiam, nullum æs alienum novum contrahi civitatibus: vetere autem magno, et gravi multas abs te esse liberatas urbes, complureis dirutas, ac pœne desertas, in quibus unam Ioniæ nobilissimam, alteram Cariæ, Samum et Halicarnassum, per te esse recreatas: nullas discordias: provideri abs te, ut civitates optimatum consiliis administrentur: sublata Mysiæ latrocinia: cædes multis locis repressas: pacem tota

provincia constitutam: neque solum illa itinerum atque agrorum, sed multo etiam plura, et majora oppidorum, et fanorum furta et latrocinia esse depulsa.' Fam. Ep. lib. III. 1. 'Ego autem, cum hoc suscepissem, non justitia, sed etiam misericordia adductus, ut levarem miseriis perditas civitates, et perditas maxime per magistratus suos, non potui in illo sumptu non necessario negligens esse.' Epist. ad Attic. VI. 2. 'Mirabilia quædam effecimus: ita multæ civitates omni ære alieno liberatæ, multæ valde levatæ sunt: omnes suis legibus et judiciis usæ, *αὐτονομίαν* adeptæ, revixerunt, &c. Mira erant in civitatibus ipsorum furta Græcorum, quæ magistratus sui fecerant: quæsivi ipse de iis, qui annis decem proximis magistratum gesserant: aperte fatebantur: itaque sine ulla ignominia suis humeris pecunias populis retulerunt.' Quanquam et vox *magistratuum* Roma missos complecti possit. Ep. ad Att. V. 20. 'Laodiceam pridie Kal. Sext. venimus: ibi morati biduum, perillustres fuimus, honorificisque verbis omnes injurias revellimus superiores.' *Gronovius.*

Igitur aliaque quæ ibi] Arbitror hic a librario factam transpositionem. Ut forsan sic scripserit Tacitus: *Atque illum in regressu sacra Samothracum visere nitentem, aliaque ibi varietate fortunæ et nostri origine veneranda, obvii aquilones depulere. Itaque relegit Asiam, appellitque Colophona.* Nam, *quæ*, relativum pronomen videtur mihi vacare. Ideo vero dixit, *nostri origine veneranda*, quod Æneas propter oraculi responsum; *Antiquam exquirite matrem*, quum Italiam peteret, profectus ad Thraciam, Samothracas deos sustulerit, et pertulerit secum, propter originem matris. Auctor Servius, exponens illud Maronis carmen Æneidos l. VII. *Rhenanus.* Faërnus locum hunc mutilum, mendosumque ita veteribus libris adjutus restituebat: *Igitur Ilium, aliaque ibi varietate fortunæ, et nostri origine veneranda cum aspexisset, relegit Asiam, &c.* Ursinus. Emendo: *Atque Ilium in regressu, et sacra Samothracum.* Recte enim Ilium in regressu prius habuit objectum, dein Samothraciam. *Colerus.* Asperitas compositionis magnitudini non parum inservit: *ὥσπερ γὰρ ὄνομα τραχὺ μέγεθος ἐργάζεται, οὕτω σύνθεσις.* Hinc apud Thucydidem compositio *τραχύτητος οὖσα μεστὴ, καὶ ὑπερβατική.* Qua de re neminem audio, cui sine spe restitutionis hæc deplorata sunt: noster enim asperavit compositionem magnitudinis gratia, quod Thucydides, et *ὑπερβατικώτερον* fecit. Vel cum doctissimo viro restitue; *Igitur relegit Asiam, aliaque, quæ ibi varietate fortunæ et nostri origine veneranda.* Nunc recenseamus Germanici navigationem, ut res omnes magis in aperto sit. Is ab Ægæo petit Hellespontum, litusque Abydi Asiaticum prius venit, ut viseret loca Trojana: indeque ad aliud vehitur, ubi Sestos erat, ibique adit Byzantium et Perinthum; mox intrat Propontidem, et Euxinum Pontum: postea revertens et Ægæum secans versus Samothraciam, vento reflante ad eadem Asiæ litora jam sibi visa rejicitur: secundum quæ Colophona tendit, hæc omnia Tacitus. At opus inhærere verbis, quæ prægnantia sæpe scribit: *Relegit Asiam*, ut Virgilius, 'relegens errata retrorsum Littora.' Ilium vero sciunt omnes, Romanorum originem fuisse, fortunæque variantis insigne documentum. *Salinerius.* Corruptus procul dubio locus. Olim voce transposita legebam: *Igitur Asiam, aliaque ibi varietate fortunæ et nostri origine veneranda, relegit, appellitque, &c.* at nunc improbo. Existimat Lipsius, fuisse hic aliquid insertum de Ilio, Romulæ gentis fonte. Id suspicor latere in voce, *alio*, quam habet Ms. nam ego ejus lectionem fideliter retuli, cum antea non minus corrupte legeretur: *Igitur aliaque qua ibi, &c.* Forte aliquid tale scripsit Tacitus: *Igitur viso*

Ilio, quæque ibi varietate fortunæ et nostri origine veneranda, relegit Asiam. Pichena. Locus ab omnibus conclamatus, cui vitam reddo, pollinctoribus abire jussis, et tibicine. Nam ita lego : *Igitur relinquens, quæ ibi varietate fortunæ.* Aurelius. In loco manifeste corrupto quilibet interpres pro captu aut arbitrio suo versatus est : mihi quæ de origine Romana hic inseruntur, haud dubium judicium fecerunt *Ilii* mentionem hoc loco fuisse, ipsiusque veræ scripturæ superesse vestigia, unde haud difficulter eruatur : *Igitur Ilio, quæque ibi varietate fortunæ et nostri origine veneranda, relegit Asiam. Ilio relegit Asiam*, eadem formula loquendi, qua modo *transmisit Lesbum*, ut nimirum utrobique neglecta sit præpositio. Pari modo ellipsis est in his, *Ilio quæque ibi*, pro ab Ilio, et ab iis, quæ ibi. Sic I. 38. *Exterritis qui obstiterant*, hoc est, illis, qui. Frequenter atque eleganter omittitur *is*, aut *ille*, sequente *qui :* sicut modo notavi ad Curtium in Indice, voce *ille.* Freinshemius. Vox male repetita et nonnihil mutata sensum turbat, legam : *Igitur Asiam quæque ibi varietate fortunæ et nostri origine veneranda relegit, appellitque Colophona.* Navigatio hæc Germanici inter Europam est Asiamque. Supra dictus fuit tramissa Lesbo adiisse extrema Asiæ : sed inde in Europæ oram, ubi Perinthus et Byzantium, perlatus fuit : retroque versus et a Samothrace insula rejectus ventis, qui rursus ipsum in Asiæ oram tulere, ea regione ubi fuit Troja. Vides cur dicat *relegit* et cur *varietatem fortunæ, originemque Romanam* memoret. *Grotius.* Hic locus sine dubio corruptus est, et sensum perfectum non habet. Transponere verba, ut facit Lipsius, violentum est. Quare corrigo parvula mutatione : *Igitur alia, quæ ibi varietate fortunæ et nostri origine veneranda relegit, Asiamque ; appellitque Colophona.* Ach. Harlæus.

CAP. 55. *Miserit triremes*] Alii triremes suas, tamquam omnes, alii quasdam missas interpretantur : neutri absurde. *Freinshem.* Livius XXIII. 34. ' P. Valerius Flaccus cercuros ad persequendam retrahendamque navem cum misisset.' Utrobique intelligitur *aliquot.* Gronovius.

Severos tribunos] Vertunt fideles et veteres ; sed non ad fidem hic respicitur, verum ad disciplinam. *Freinsh.*

Mala obsequia] Quidam ad Germanicum et Agrippinam referunt, cum ad Pisonem referendum sit, ad cujus obsequia prompti erant etiam in malis rebus. *Malum* est *obsequium*, quod ubi non debet redditur, perversum. Sic ' male alacres' sunt IV. 74. perverse alacres ; læti, quum minime deberent. *Idem.*

CAP. 56. *Hominum ingeniis, et situ terrarum*] Quid hac Msti lectione melius aut clarius? tamen sive a librariis corrupta, sive a censoribus mutata, sic in vulgatis habebatur : *Ambigua gens ea antiquitus, non modo ingeniis, sed situ terrarum.* Pichena.

Æmulatus] Possit Sallustiano exemplo legi, *æmulus.* ' At Pompeius a prima adolescentia, Alexandri regis facta dictaque æmulus erat.' *Lipsius.*

CAP. 57. *Cyrri demum*] Cyrrum oppidum in Cyrrhestica, seu Cyrristica regione Cœlesyriæ, ait Plinius : et sic a Ptolemæo dicitur, reponiturque inter urbes Syriæ. *Aurelius.*

Postque rarus in tribunali] Maluit Muret. divisum, *post quæ rarus.* Idem in utroque momentum. *Acidalius.*

Principis Romani] Claret sententia. * Æmilius tamen hic λεπτολογεῖ, et perdit multa verba. *Lipsius.*

Principis Romani] Rectissime, meo quidem animo hæc explicavit Ferrettus, mentem Pisonis fuisse, in dandis coronis non adeo magnum fieri oportuisse discrimen inter se et Germanicum, &c. *Freinshemius.*

CAP. 58. *Amicitiam ac fœdus memoraturos*] Verbo signato et proprio hac in re usum Tacitum notavimus ad Plautum Pseud. 5. 1. 36. *Gronovius.*

Neu proceres gentium] Legendum, *ne proceres gentium.* Causa cur removeri velit Vononem e Syria, ne dum proceres gentium, Artabanus Persicæ, Germanicus Romanæ, proximi sunt, si propius adsit Vonones, serat inter eos nuntiis e propinquo causas discordiarum. Eo mox amolitus in Ciliciam, et in ejus oram maritimam, quæ remotissima. *Mercerus.* Particula *neu,* sententiam confundit. Censeo legendum, *ne proceres gentium:* vel potius, *ne is proceres gentium.* Pichena.

CAP. 59. *Ægyptum proficiscitur*] Malim, *in Ægyptum.* Pichena. Frustra. Sic enim loquebantur. Liv. lib. XLV. 'Ad susceptam legationem peragendam navigare Ægyptum pergit.' Justinus vel Trogus l. XXIII. 'Uxorem genitosque ex ea duos parvulos Ægyptum, unde uxorem acceperat, remittit.' Et l. XXVIII. 'Cum conjuge et liberis Ægyptum ad Ptolemæum proficiscitur.' *Gronovius.*

Cognoscendæ antiquitatis] Auditis, Principes? imitamini. Hæc cognitio ad gloriam honestumque excitat: hæc parandi vias ostendit. *Lipsius.*

Quod contra instituta] Vide Suet. Tiberio, c. 52. et quæ dicam ab l. I. Histor. *Idem.*

Alexandriam introisset] Suetonius: 'Quod vero Alexandriam, propter immensam et repentinam famam, inconsulto se adiisset, questus est in Senatu.' *Muretus.*

Equitibus Romanis illustribus] De hoc cognomine equitum infra. *Lips.*

Seposuit Ægyptum] Cum magna pars frumenti, quo pop. Romanus alebatur, Alexandria veheretur, ob idque Alexandrinæ naves cum apparuerant, magno gaudio populum afficerent, ut est apud Sen. Epist. 78. Augustus, imperio prospiciens, vetuerat, ne quis senator equesve Romanus inconsulto principe ingrederetur Ægyptum: quod videret in potestate ejus fore, fame urgere Italiam, seque levi præsidio adversus ingentes exercitus tueri: simulque metuens imperio a summa levitate et inconstantia Alexandrinorum, ut auctor est Dio l. LI. Itaque non a proconsule, aut a proprætore administrabatur Alexandria, sed a Juridico δικαιοδότῃ, et a libertis Cæsaris, qui cogendæ pecuniæ publicæ præpositi erant, ut est apud Strabonem lib. XVII. Erat autem *Juridicus,* eques aliquis, non tamen ex illustribus, et magna auctoritate præditis, unde est Tit. l. I. D. *de officio Juridici Alexand.* ubi Ulpiani verba sunt: 'Adoptare quis apud Juridicum potest; quia data est ei legis actio,' quæ verba nullo ex loco melius intelligi possunt, quam ex his, quæ leguntur apud Tacit. XII. 60. *Muretus.*

Fame urgeret] Ægypti fœcunditas multo maxima: ideoque Cornelius infr. Hist. l. II. eam appellat 'claustra annonæ, et vectigal provinciarum:' et alibi, 'annonæ fœcundam.' Item l. XII. 'Africam potius et Ægyptum exercemus.' *Ferretus.*

Claustraque terræ ac maris] Rectius erit per appositionem legere: *quisquis eam provinciam, claustra terræ ac maris.* Sic mox: 'Syenen claustra olim Romani imperii:' et apud Lucanum 'Regni claustra Philæ.' *Grotius.*

CAP. 60. *Canopo*] Strabo: Κάνωβος δ' ἐστὶ πόλις ἐν εἴκοσι καὶ ἑκατὸν σταδίοις ἀπ' Ἀλεξανδρείας πεζῇ ἰοῦσιν, ἐπώνυμος Κανώβου τοῦ Μενελάου κυβερνήτου, ἀποθανόντος αὐτόθι. *Muretus.*

Qua tempestate] Sic Cic. II. de orat. 'Qua tempestate Paris Helenam,' &c. Vide Euripidem in Helena. *Idem.*

Libyam delatus. Inde proximum] Hunc locum Julius Salinerius doctissime defendit. Ideo nihil aliud monebo, nisi quod verbum, *est,* in fine dictionis, sæpissime in Man. signatur hac nota, ℵ. Non mirum ergo, si aliquando prætermissum sit a librariis. Hic certe reponerem, *delatus est.* Pichena.

Inde proximum amnis os] Distinctio vulgata non impedit, neque negat Menelaum e Canopo in Sidonios Libyamque delatum. Neque Tacito sane propositum bina illa Nili ora, alterum Canopicum, alterum Heracleoticum describere: sed tangit saltem. Neque autem structura orationis ipsius sic distingui patitur; quæ tamen juvanda leviter etiam est insitione particulæ *ad*. Lege: *inde ad proximum amnis os, &c.* Nam ita recte oratio se consequitur: *Nilo subvehebatur, orsus a Canopo, &c. Mox visit Thebarum magna vestigia, &c.* Acidalius.

In cognomentum ejus adscitos] * *Adscitos.* Quod tamen et reliqui non satis expressere. Quorum Angl. etiam *cognomentum* reddit *surname:* quum Tacito nihil sit aliud, quam *nomen*, ut IV. 65. *Freinshemius.*

Legebantur et indicta] De his prioribusque vide Strabonem in descriptione Thebarum l. XVII. qui cum Cornelio Gallo illuc profectus pleraque refert oculata fide: egregius mehercules, et non ad vulgi gustum scriptor. *Lipsius.*

Vi Parthorum] *Vim* hic tantum pro imperio, aut potentia, neque ullo alio aspectu positam arbitror; uti sæpius de ipsis Romanis III. 60. 'Regum etiam, qui ante vim Romanam valuerant, decreta.' H. IV. 69. 'Vim Romanam, pacisque bona dissertans.' *Freinshemius.*

CAP. 61. *Intendit animum*] *Intendere animum* rei cuidam dicitur; non qui desiderat absentem, sed qui considerat præsentem. *Freinshemius.* Livius præfat. l. I. 'Ad illa mihi pro se quisque acriter intendat animum, quæ vita, qui mores fuerint.' *Gronov.*

Memnonis saxea effigies] Strabo lib. XIII. Plin. X. 26. et XXVI. 7. Philostratus VI. 3. *Muretus.*

Claustra olim] Præcise de tempore sermo est, quo Germanicus ea loca pervasit: quod tamen nemini eorum qui verterunt licuit exserte dicere. *Freinshemius.*

CAP. 63. *Romanam amicitiam prætulisse*] Male addunt *semper;* nam ad hunc unum casum respicitur, ubi fortunarum suarum perfugium habiturus esset Maroboduus: atque hic ait, se quidem a multis gentibus ultro invitatum esse, sed ad Romanos malle confugere. *Freinshemius.*

Sin rebus ejus] Ita manuscriptus, sed subtiliores Grammaticorum regulas fortasse in Tacito requirentes, reposuerunt, *sin rebus suis*, et tamen supra dixit: 'tutam ei honoratamque sedem in Italia fore.' *Pichena.*

Violentiam] Pro robore, fortitudine positam arbitror, ut interdum *ferociam:* male pro crudelitate accipitur. *Freinshemius.*

Ne si quando] Aut scribendum *næ*, cum diphthongo, ut sit particula Græca, certe, sive utique significans, et tum in *habitus* subauditur verbum *est:* aut scribendum, *ne quando*, vel, *ne aliquando:* aut omittendum *ne*, ut legas, *si quando ins. Suevi.* Rhenanus. Mallem *si quando*, circumscriptis duabus illis prioribus literis. *Ferrettus.* Man. *ne si quando:* forte, *ac si quando.* Pichena.

Marum et Cusum] Marisus hic fluvius dictus Straboni l. VII. Maris, Herodoto: Marisia, Iornandi: Æthico Margus. Retinet nomen hodie, et incolis appellatur Maros. *Lipsius.*

CAP. 64. *Rhescuporim*] Non in alio nomine magis variatum. Dio Ῥασκύποριν; Velleius Rhascupolin, Suetonii optimus in Vaticano codex, Thrascypolin: quomodo et in Livio scriptum leges. Lucanus vocat 'gelidæ dominum Rascipolin oræ.' De historia autem ipsa consule Dionem l. LIV. in actis anni 738. *Idem.*

Cessit; ipsorumque regum ingenia] Nec constructio satis concinna, nec sententia satis expedita. Lege, *Rhescuporidi cessit, ut ipsorum regum ingenia, illi quippe mite et amœnum; huic*

atrox, &c. Comparat enim ingenia ipsorum regum cum ingenio subjectarum regionum. *Acidalius.*

Sed primo subdola] Restitui illud, *sed*, ex Manuscr. Antea, *et primo.* Pichena.

Vertere in se Cotyi data] Livius lib. XXIV. ‘Deponendaque tutela, quæ ipsi cum pluribus communis erat, in se unum omnium vires convertit.’ Suetonius Vesp. 4. ‘Ut primum provinciam attigit, proximas quoque convertit in se.’ *Gronovius.*

CAP. 65. *Ut dictitabat*] Vulgo imminuta syllaba, *dictabat:* quam manuscripti auctoritate reposui. *Pichena.*

CAP. 66. *Veterem stipendiis*] Legendum puto, *veterem stipendii:* phrasi Corneliana. Vide quæ notavi in l. I. in verbis, *vetus operis ac laboris.* Pichena. Absolute dictum arbitror, pro viro qui multa stipendia militiæ expleverit, non qui in eo loco militaverit, ut quidam. *Freinshemius.*

CAP. 67. *Et quanto longius abscedebatur*] Ita Manuscriptus: et, ut mihi videtur, melius, quam vulgo *abscedebat.* Pichena.

Trebellienus] *Trebellianus,* quidam; quod per analogiam videatur rectum; ut Julianus, Æmilianus, a Julio, Æmilio, sic Trebellianus a Trebellio. Unde et *Trebellianum* SCtum non *Trebellienum,* apud JCtos. *Freinshemius.* Quasi non perinde per analogiam dicerentur, *Allius Allienus, Nasidius Nasidienus, Aufidius Aufidienus, Gallius Gallienus, Bellius Bellienus,* et hujusmodi infinita. Sic *Matius Matienus.* Et tamen *Matianum malum* dicebant. *Gronovius.*

CAP. 68. *Specie venandi. Omissis*] Possis dubitare, annon potius sit distingui: *conatus est. Specie venandi, omissis maritim. locis, &c.* Acidalius. Potius an non delendum τὸ *est,* et continua oratione faciendum: *inde in Albanos Heniochosque ad consanguineum sibi regem Scytharum conatus, specie venandi, omissis maritimis locis, avia saltuum petiit.* Gronovius.

CAP. 69. *Tentabantur.*Dein Piso*] Ad eam quam posui notam, suspicio mihi est, ne quid desit: non enim satis plena videtur narratio. *Lipsius.*

Dein Piso abire] Non frustra hic deesse quæpiam notavit Lipsius. Tamen videatur sic satis integer locus esse, si pro *Dein* legas *Denique.* Hæc enim particula non raro sic usurpatur, ubi omnia sigillatim narrare non libet, et ad exitum rei properamus. *Acidalius.*

Admotas hostias] Sacrorum verbum est. Suetonius in Caligula, ‘Admota altaribus victima, succinctus poparum habitu:’ idem significat, quod Tibullo et aliis, statuere ad aram. *Lipsius.*

Festam Antioch.] Læto habitu, et candidatam. *Idem.*

Solo ac parietibus] Muret. *Parietinis.* Causam satis evidentem non habet. *Acidalius.*

Tabe obliti] Malim, *tabo.* Lipsius.

Tabe obliti] Forte *tabo:* etsi hoc quoque legitur. *Muretus.*

Ut valetudinis adversa rimantes] Illud *ut* hanc vim habet, ut non omnino rem adfirmet, verum aliorum opinionem indicet. *Ut rimantes,* est tamquam qui rimarentur: non ergo tamquam explorata re, adseveranter verti debuit. *Freinshemius.*

CAP. 70. *Infantibus liberis*] *Infantes* hic quoque appellantur, qui loqui possunt, modo septennibus minores sint. ut l. I. §. *sufficit,* de administr. tut. et l. XVIII. C. de jure deliber. definitum est. Neque sane credibile est, de Julia tantum nuper II. 54. nata solicitum fuisse, de Caio tum ferme septenni, aut Agrippina ferme trienni (Sueton. Calig. 7.) quia forte loqui tum poterant, non fuisse. *Idem.*

Quo propius] Bene, suo quodam sensu: quid si tamen, *properius?* Lipsius.

CAP. 71. *Muliebri fraude cecidisse*] Respexit fortasse Tacitus ad verba Her-

culis furentis apud Sophoclem in Trachiniis, a Cicerone l. II. Tuscul. relata: 'Hos, non hostilis dextra, non terra edita Moles Gigantum, non biformato impetu Centaurus, ictus corpori inflixit meo, &c. Sed fœminea vis fœminea interimor manu.' Iterum Tacitus: 'Flebunt Germanicum etiam ignoti.' Sophocles: 'Gentes nostras flebunt miserias.' *Pichena.*

Vindicabitis vos] Id quoque antiqui moris. Ita Lysias Oratione XII. contra Agoratum: 'Coram sorore autem,' inquit, 'mea Dionysodorus res suas domesticas, ut sibi visum est, ordinavit; et Agoratum hunc suæ mortis causam esse dixit; mandavitque mihi, et huic fratri suo Dionysio, et omnibus amicis, ut Agorati scelus in se perpetratum ulciscerentur; et uxori suæ, quam ex se gravidam credidit, mandavit, ut, si masculum pareret, ipsi nato indicaret, patrem ejus ab Agorato esse interfectum, juberetque injurias ab ipso, velut homicida, acceptas persequi.' Græca apud oratorem ipsum legantur. Nihil similius his morientis Germanici mandatis. *Boxhornius.*

Morientis] In hoc non leve pondus est, scelestius enim habetur morientem fallere: itaque male qui neglexerunt. *Freinshemius.*

CAP. 73. *Et erant qui formam*] Videtur deesse particula, *ob*, legendumque; *Et erant qui ob formam, ætatem, &c.* et ita legebat Danesius. *Ursinus.*

Haud multum triginta annos egressum] Obiit Germanicus anno XXXIV. vitæ acceptæ. *Lipsius.*

Præpeditusque sit] Hic mihi non satisfaciunt, qui in hunc sensum hæc exponunt: et sine dubio subjugasset Germanias, nisi præpeditus fuisset: quum hoc dicat auctor, non minus bellatorem eum habitum, atque Alexandrum, quamvis fuerit præpeditus Germaniam subjugare, quod ipsi alias facile fuisset, tot jam victoriis afflicto hoste: idem igitur sensus est, qui supra II. 41. 'bellumque, quia conficere prohibitus erat, pro confecto accipiebatur.' *Freinshemius.*

CAP. 74. *Crimina et accusationem instruebant*] Quod Tacitus *crimina instruere* dicit, id Ulp. in l. II. §. pen. de adult. 'accusationem parare, et probationibus instruere atque munire.' *Instruere* inquam; nam profecto disconveniens vox est, adeoque ipsi propositæ definitioni contraria: quæ vulgo legitur, *instituente.* Freinshemius. Leg. I. de Fide instr. 'Instrumentorum nomine ea omnia accipienda sunt quibus causa instrui potest.' Leg. I. D. de leg. Corn. de falsis. 'Pœna legis Corneliæ irrogatur ei, qui ob instruendam advocationem testimoniave pecuniam acceperit.' Cic. pro Cluent. 'Cum instructum accusatorem filio suo Romam ipsa misisset.' Plin. X. Ep. 85. 'Ut longiorem diem ad instruendam causam darem.' *Gronovius.*

CAP. 75. *Læto cultu mutavit*] Quasi in gratulatione, aut quasi voti damnata. Vide Festum, in verbis, Minuitur luctus. Quis autem fœminæ tristis, quis lætus cultus; nos in Excurs. quærimus, in *M.* Lipsius.

CAP. 77. *Quem justius arma oppositurum quam qui*] Exiguum quidem mendum erat in Man. Sed nimis audaci manu sanatum fuit: nam cum in eo legeretur: *quem justius arma oppositurum, qui legati, &c.* ego nihil aliud immutans, nisi, *quam*, pro, *quem*, locum ni fallor, in suam sanitatem restitui. *Pichena.*

Fortuito in melius casura] Ταυτόματον ἡμῶν κάλλιον βουλεύεται. Id est, Fortuna nobis sæpe melius consuluit. *Muretus.*

CAP. 78. *Lato mari*] Equidem tolero; sed verius fortasse, *alto.* Lips.

Lato mari pergere] Verius rectiusque censet Lipsius; *alto mari.* Non ego. *Latum mare* hic est ipsum, apertum et interius mare. Quo pergere in Syriam Domitium jussit Piso, vi-

tatis litorum oris. Non aliter Belgæ nostri loquuntur: *inde wijde Zee*, cum de ipso quasi meditullio maris sermo est. Et hoc *latum* dicitur, longiusque abest a litore. *Altum* vero mare etiam ibi esse potest, ubi proximum est littorum oris. *Boxhornius.*

CAP. 79. *Diem prædixisse*] An potius *prodixisset?* Id enim verbi potius in hac re usurpatum. Livius l. III. 'In carcerem est conjectus, eique Tribunus diem prodixit.' Ex eodem et item aliis plura exempla dat Scaliger in Festum. Sane et Muret. ita legit. *Acidalius.*

CAP. 80. *Celenderis*] Sic cum esset in vulgatis, Lipsius testatur, apud Josephum legi, *Celendris:* quam vocem repperi etiam in Man. *Pichena.*

In numerum legionis composuerat] Recte, *in numerum*, nam neque animos, neque experientiam aut usum, ne arma quidem legionariorum habebant, adeoque nihil præter numerum. *Freinshemius.*

Hinc militum, inde locorum] Supplet Muretus: *hinc militum vis, inde locorum asperitas.* Sed ex ingenio tantum. *Pichena.* Ego probo. *Acidalius.* Excusa bene stat: nam asperitas non tantum loci, sed militis. Sic Horat. Ode 1. 'acrem militiam' dixit, id est, asperam: et alibi, 'gnavus et asper.' Et 'sævitiam Centurionum,' noster l. I. qui rigidi dicti, et asperi. *Aurelius.*

CAP. 81. *Interim Piso*] Pisoni consilium fuit; quale Thracibus IV. 48. et Germanis H. V. 21. *Freinshemius.*

Semet adflictando] Non est credibile Pisonem virum arrogantis animi, et primæ nobilitatis et ex stirpe Numæ regis, nec fortunæ succumbentem, semet afflictasse. Lego igitur, *Et pro muris modo sua castra metatus ad conflictandum.* Aurelius. Progressus extra muros nihil omittebat, quibus ad misericordiam flecterentur, modo semet ipsum miserans, suamque sortem deplorans. *Pro muris* reddit Germ. supra murum: falso; licet adstipulentur omnes, præter Gal. *Freinshemius.* Recte meo judicio omnes, qui *pro muris*, ut *pro rostris, pro tribunali,* acceperunt: nec potest placere *progressus extra muros.* Quousque enim progredi tuto poterat, qui extra muros, qua parte incubuerant Sentiani, nihil vacuum aut liberum habebat? Et quanto commodius hæc invidia fiebat ex alto et late conspecto loco? quantoque ad plures pertinebat et visus adflictantis sese et vox querentis ac sollicitantis? Sic igitur accipe, Pisonem circa id ipsum tempus, quo rejiciebantur et se claudebant intra munimenta sui, eodem per aversam portam rediisse a tentata classe et dum parant Sentiani, quæ oppugnando essent idonea, in summis mœnibus hanc tragœdiam saltasse, donec Sentius parata jam parte instrumenti canere signa et vim fieri jussit. *Gronovius.*

Occanere cornua] Occulte surreptum Sallustio est, 'Jussu Metelli cornicines occanuere.' *Lipsius.*

CAP. 82. *Dolor, ira, et erumpebant*] * questus. Eundem ordinem in exprimendis affectibus ejusmodi, eorum singularem artificem sequi Nasonem, passim observare est. Quod monendum erat, quia ejusmodi elegantias, aut potius fulmina ac vires scribendi, pauci observant, pauciores exprimunt et sequuntur. Nam hæc quoque non prætermittenda sunt illis, qui ad antiquorum exemplar ac judicium se componunt. *Boxhornius.*

In extremas terras relegatum] Cum libro proximo *externæ terræ* dicantur illæ Orientis, in quas relegatus est Germanicus, ut infra, 'Ob longinquitatem itineris externis terris quoquo modo crematum:' et 'differri etiam per externos.' Imo hoc ipso libro, ubi Alexander et Germanicus comparantur: 'Utrumque suorum insidiis externas inter gentes occidisse:' hic etiam scribendum censeo: *Ideo nimi-*

rum in externas terras relegatum. Adde, quod apud veteres extrema potius sæpiusque dicantur loca Septentrionis et Occidentis, quam Orientis, ut, 'Extremi hominum Morini;' et ejusmodi alia. Imo extremæ fere terræ dicuntur ultimæ, post quas aliæ non restant. In quam rem plurima ipse Tacitus sufficit exempla. Vide Agric. vitam. *Boxhornius.* *Extremas terras* intellige imperii Romani. Florus IV. 1. 'quod in extremis finibus mundi arma Romana peregrinabantur.' Cicero ad fratrem I. 1. 'Non ignoro, quid sociis accidat in ultimis terris, cum audiverim in Italia querelas civium.' Locorum, quæ affert pro *externis*, alia ratio est. *Gronovius.*

CAP. 83. *Saliari carmine*] His carminibus nominari valde laudabile erat. Sic Plutarch. in Numa. Et Servius in Æn. VIII. 'Famam cupit,' ait, 'pro opera, videlicet, quod est votum illustrium virorum.' Varro tamen ait Salios, qui cantant Mamurium Veturium, significare veterem memoriam. Quæ aliquis γραμματικώτερος composuerit, non ego. *Aurelius.*

Querceæ coronæ statuerentur] De hoc ponendi coronas querceas, vel etiam aureas super curules sellas antiquo more, et veteres scriptores meminerunt, et ex argenteis denariis constat, in quibus sellæ hujusmodi superimpositis coronis significatæ sunt: et fortasse denarius Augusti, in cujus altera parte, sella curulis habetur cum duabus coronis, ad honorem pertinet Cæsari decretum, de quo ita Dio l. XLIV. Ἐψηφίσαντο, inquit, τόν τε δίφρον αὐτοῦ τὸν ἐπίχρυσον εἰς τὰ θέατρα, καὶ τὸν στέφανον, τὸν διάλιθον, καὶ διάχρυσον εἰσάγεσθαι. Itaque sellæ curuli in eo denario inscriptum est, CÆSAR. DIC. PERP. *Ursinus.*

Arcus additi] De istis arcubus Suet. Claud. I. 'Præterea Senatus inter alia complura marmoreum arcum cum tropæis via Appia decrevit, et Germanici cognomen ipsi posterisque ejus dedit.' *Aurelius.*

In monte Syriæ Amano] Ptolemæus eum in Cilicia ponit. Cic. Epist. ad Att. l. v. 5. 'Inde ad Amanum contendi, qui Syriam a Cilicia aquarum divortio dividit.' Ita etiam fam. ep. II. 10. *Mur.*

Tribunal Epidaphne] Plin. l. v. 21. Epidaphnes scribit esse cognomen Antiochiæ. Ego regionem ejus urbis fuisse arbitror. *Muretus.* In æreo numismate, quod est apud me, ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΤΩΝ ΕΠΙΔΑΦΝΗ, inscriptum est, quod facit ad Taciti locum. *Ursinus.* Liber Mach. II. c. 4. sic habet: 'Ipse loco tuto se continens, Antiochiæ secus Daphnem.' Et noster heic *Antiochiam* ab *Epidaphne* disparat, cum ait, 'Antiochiæ sepulchrum, tribunal Epidaphne positum.' Epidaphne autem pars est, et suburbium Antiochiæ. Et Antiochiæ porta erat, quæ Daphne dicebatur; qua scilicet iter erat ad Daphnem, de qua D. Hieron. in vita D. Ignatii, Catalogo scriptorum Eccles. Dio l. LI. de Daphne suburbio Antiochiæ mentionem facit. Et Libanius scripsit de Daphne orationem luculentam, quam laudat Julianus scribens ad eum. Auctor quoque Egesippus l. III. 5. Daphnem istud suburbium scribit vocari, quod perpetuam habeat viriditatem. Eamque describit eleganter Sozomenus l. v. 18. histor. Eccles. aitque templo Apollinis et oraculo valde commendatam fuisse apud paganos. Narrat et in eo lucum Daphnes, de quo XI. libro Cod. 'de cupressis ex luco Daphnes.' Et credibile est, amœnum istud Suburbanum, Germanicum subiisse in adversa valetudine, in quo Balista unus ex XXX. tyrannis agrum habuit, ut scribit Spartianus. Quamvis autem Suetonius dicat *Antiochiæ obiisse*, et noster *Epidaphne;* idem est. Quippe nomine urbis, etiam suburbia con-

tinentur, ut ait L. Ut Alphenus. de verb. signif. D. Plinius quoque ita accipiendus est l. v. 21. ‘ Antiochia libera, Epidaphne cognominata.’ Quod scribit ad differentiam ejus Antiochiæ, quæ in Mesopotamia et Cilicia. *Aurelius.*

Censeretur clypeus] * vultus ejus imago:’ et infra: ‘ Rogo quantum pretium est Clypeus in curia? tantæ victoriæ, quantæ una aurea statua.’ *Vertranius.* De hac clypei ponendi consuetudine, et quando primum Clypei imaginum publice, quando in domibus positi, itemque de æreis Clypeis cum argenteis imaginibus, videndus Plin. xxxv. 2. et 3. Addi potest locus ex oratione xii. Hadriani Imp. quem refert Charisius l. xi. ‘ Divus,’ inquit, ‘ Hadrianus orationum xii. A vobis, P. C. peto, et impetratum validissime cupio, ut proxime imaginem Augusti argenteum potius Clypeum sicut Augusto ponatis,’ &c. Atque hic ipse ex argento Clypeus signatus est in pluribus Augusti denariis cum inscriptione, CLV. hoc est, CLVPEVS, antiqua scriptura, ut *Sulla* pro *Sylla*, nisi forte sit, CL. V. pro Clypeus votivus. Præterea Pedianus in Verr. l. xi. *Fornix*, inquit, *Fabianus arcus*, *&c.* Atque hujusmodi scuta in argenteo denario M. Lepidi columnis Basilicæ Æmiliæ affixa videntur. Suetonius in Caio, 16. ‘ inter reliquos honores decretus est Clypeus aureus, quem quotannis certo die collegia sacerdotum in Capitolium ferrent.’ Trebellius Pollio in Claudio, ‘ Claudio,’ inquit, ‘ Clypeus aureus senatus totius judicio in Romana curia collocatus est,’ &c. De Clypeo Scipionis cum imagine patris et patrui videndus Silius Italicus, l. 7. *Ursinus.* Egregia multa de clypeis istis Ursinus et Lipsius, quorum monumentis, addat licet antiquariæ rei mysta Inscriptionem unam alteramque, quarum hæc comparet in operis integri pag. 496. 4, 6. illa 172, 2. *Gruterus.*

Cuneum Germanici appellavit] Mos olim receptus, honoris causa, bene meritorum, inprimis Principum, nomina iis etiam indere rebus, quarum frequentior, ac in cujusvis ore, et perpetuum fere ob usum perpetua mentio est, ut legibus, urbibus, legionibus, turmis, &c. Et hodie observatur. Militiæ celebriora opera, bellicæ naves, aliaque ejusmodi, tantorum hominum nominibus apud nos aliosque insigniuntur. *Boxhornius.*

CAP. 85. *Apud Ædiles vulgaverat*] Minus expressa apud alios vestigia hujus moris: quæ hic in Tacito clara. *

Exacta et a Titidio] Vertranius *exactum:* cui adsentio. *Lipsius.* Faërnus addebat vocem, *ratio*, et legebat: *Exacta et a Titidio Labeone Vistiliæ marito ratio, cur, &c.* Fieri autem potuit, ut id verbum, quod duabus tantum literis notatum esset, *rō* facile librarius omiserit. *Ursinus.*

Sexaginta dies] Dies sexaginta dati lege Julia, a die divortii, marito ad accusandum. Clarum ex l. xi. xiv. xv. Ad legem Juliam de adulteriis; quas vide. *Lipsius.*

De sacris Ægyptiis] In omni Rep. bene instituta semper summo studio provisum est, ne inter cives esset varietas religionum. Itaque sapienter Cic. in legibus hoc statim a principio statuit, ‘ separatim nemo habessit Deos, neve novos, sed nec advenas, nisi publice adscitos, colunto.’ Postumius consul apud Liv. xxxix. 16. Servius in l. viii. vs. 187. Cum igitur multi, et in urbe et per Italiam Ægyptiis et Judaicis ritibus dediti essent, eos senatus pellendos judicavit. Atque Ægyptii quidem omnium mortalium superstitiosissimi erant, ut ex Herodoto, Diodoro, Plutarcho, Juvenali Sat. xv. aliisque cognosci potest. Multi autem Romæ Ægyptiis superstitionibus infecti erant: colebantque Isin, Anubin,

Serapin, Ægyptios Deos, quibus etiam templa publice posita erant. Nam et apud Catullum improba quædam puella homines ad lecticam a Catullo commodato petit, quibus ait se velle ad Serapin deferri, et Tibullus ægrotans Isidem El. invoc. l. I. 3. Prop. II. 33. Ovid. I. de arte 75. Horat. l. I. Sat. 9. vs. 70. Juvenal. XIV. 97. Sed cum utraque, sive religio, sive superstitio, publice suscepta esset: quid tandem fuit quod huic Senatusconsulto causam dederit? De sacris Isiacis pulchram leges historiam apud Josephum l. XVIII. antiquit. cap. 4. De Paulina matrona nobili, sub Tiberio. Judæi cur pulsi ex urbe, narrat idem Josephus l. XVIII. antiquit. c. 5. de Fulvia agens. *Muretus.*

Ea superstitione] * ad Christianos. De hoc graviter me accusatum fuisse accepi; quod, jam fere receperint scholæ illis verbis demonstratos fuisse *Christianos*, cum testimonio ejusdem Cornelii, qui l. XV. 'execrabilem superstitionem:' et Plinii ad Trajanum, qui 'superstitionem pravam immodicamque,' et Suetonii qui 'novam ac maleficam,' appellant Christianam religionem, tum quia in lege ultima Cod. de *Judæis et cœlic.* Judæi arcentur dignitatibus atque honoribus. Quamobrem nisi de Christianis Ulpianum sensisse dicamus, pugnabunt leges illæ duæ, seque invicem abrogabunt, contra quam JCtorum receptæ regulæ patiantur. Verum obtrectatores istos oportuit docere, non sectam Judaicam appellari *superstitionem*, sed ex probato aliquo auctore, *superstitionem Judaicam* significare Christianam religionem: ita enim recte, et non ex generibus et regulis pervulgatis aliena vituperassent. Quintil. l. III. 'Qualis est primus Judaicæ superstitionis auctor.' Quibus verbis Mosen significat. Abrogatio vero legum, alterius negocii est: de qua suo loco scripsi cumulatissime. *Ferrettus.* Quæ tametsi ab Æmilio Ferretto verissime scripta fuissent, Alciatus *Judæos* pro Christianis exaudiens, in diversam partem ivit. Sed aliam *Judæorum*, aliam *Christianorum* appellationem quis non videt? Quod si nomine illorum hos exaudiat hoc loco et similibus Alciatus, quid causæ est, quod non idem faciat apud Tranquillum in Julio 84? Credo equidem, quod nondum, DN. NR. carne tectus esset. Alias igitur *Judæam provinciam*, *Judaicam fiscum*, *Judaicam vitam* apud eundem Tranquillum vir eruditissimus Christianis accommodabit? et hoc nemini visum iri putem. Decepit autem Alciatum ultima constitutio earum, quæ in Justiniani Codice referuntur titulo de Judæis, qua Theodosius et Valentinianus AA. Judæos dignitatibus atque honoribus arcent: cum antea Severus et Antoninus Judæis honores permisissent. Quibus autem mens erit sana, ut olim licuit, semper licebit, posterioribus leges priores abrogatas censere: ita ut Cæsarum rescripto sanctio civilis ab Ulpiani scripto recesserit. *Vertranius.* Andreas Alciatus l. III. dispunction. c. 8. et in tit. de decurionibus, hunc locum putat accipiendum de Christianis, non recte. Idem æque inepte existimat in l. *Generaliter.* D. de decur. nomine *Judæorum* Christianos intelligi. Quod cæteris omissis, tribus tantum argumentis, refellam. Primo, Tiberius Christum non oderat, sed et supplicio affectum graviter tulit, et retulit ad Senatum de eo referendo in numerum Deorum, &c. et ipse, repugnante Senatu, in sententia mansit, comminatusque est periculum accusatoribus Christianorum, Tertull. in Apologetico. Secundo Christiani adhuc nulli erant, nam nomen hoc Antiochiæ primum institutum est, et hoc tempore Chris-

tus nondum cœperat concionari, Actor. XI. Tertio Josephus l. XVIII. 5. Κελεύει πᾶν τὸ Ἰουδαῖον τῆς Ῥώμης ἀπελασθῆναι· οἱ δὲ ὕπατοι τετρακισχιλίους ἀνθρώπων ἐξ αὐτῶν στρατολογήσαντες, ἔπεμψαν ἐς Σαρδὼ τὴν νῆσον. *Muretus.*

Coërcendis illic latrociniis] Quæ latrocinia, non modo ex Sardinia, sed a vicina Corsica erant: nam Strabo, qui hoc ævo viguit, scribit in Corsicæ montibus plures, qui latrociniis viverent, ferasque immanitate superarent, exstitisse. Et ad id forsan respexit Tiberius. At in omnibus provinciis Præsides erant aut alii magistratus, qui latrocinia coërcerent. 'Et Præses provinciæ latrones conquirere debet.' L. XIII. de off. præs. Milites autem erant stationarii huic rei destinati. Sic enim in Apolog. Tertull. 'latronibus vestigandis per universas provincias militaris statio sortitur.' Non prætereo Sallustium in fragmentis, ubi de Sardinia, statim addidisse: 'Genus militum statim a pueritia suetum latrociniis.' *Aurelius.*

Ob gravitatem cœli] De Sardiniæ gravi cœlo hæc cecinit Claudian. de bello Gildonico, in fine: 'quæ respicit Arcton, Immitis, scopulosa, procax, subitisque sonora Fluctibus, insanos infamat navita montes. Hinc hominum pecudumque lues, hinc pestifer aër Sævit, et inclusis regnant Aquilonibus Austri.' Pomponius Mela de situ orbis l. II. 7. de Sardinia loquens ait: 'soli quam cœli melioris, atque ut fœcunda, ita pœne pestilens.' *Pichena.*

Vile damnum] An potius *utile damnum* scripsit. Quomodo Vellei. II. 46. 'Utile Imperatoris damnum salvo exercitu fuisset Reip.' Sic in Historia Miscella XIII. 15. 'Gothos perdidisse Theodosio magis lucrum quam damnum fuit.' Dictum esset ad eam fere formam, qua supra I. 8. 'Adrogantem moderationem' Tiberio exprobrat. *Freinshemius.* Acutius quam verius puto. Statius I. Th. 'jacturaque vilior orbi Mors hominum.' *Gronovius.*

Cap. 86. *Capiendam virginem*] Et de verbo, et de ritu toto, scripsi in proprio Syntagmate *De Vesta* et *Vestalibus.* Lipsius. Vid. Gellium lib. I. 12. Plutarchum in Numa. *Muretus.*

In eodem conjugio] Id est, univira esset: cujus rei honos. Tertull. *Lips.*

Dissidio domum imminuerat] Scribendum *discidio*, et hic et quotiescunque pro divortio hæc vox occurrit. Verissimum est enim, quod observavit Giphanius, male hoc nomine a Scioppio reprehensus, *dissidium* esse dissensum animorum, *discidium* disjunctionem, quæ fit corpore, loco, domo. Vide ad Liv. XXV. 18. *Gronovius.*

Decies sestertii dote] Magis placeret: *Et Cæsar quamvis posthabitam decies sestertium &c.* non, *sestertii* Ursinus. Fallitur: nam *dos decies sestertium*, Latinum non est, sed *dos decies sestertii.* Gronovius.

Cap. 87. *Statuit frumento pretium*] De modo pretioque annonæ, infra l. XV. *Lipsius.*

Qui ipsum dominum dixerant] *Mart. quoque rursus: 'Cum te non nossem, dominum regemque vocabam.' Sed nemo certe felicius, nemo elegantius Græco Poëta Pallada hoc tetrasticho: Ἢν ὁ φίλος τι λάβῃ, δόμινε φράτερ εὐθὺς ἔγραψεν. Ἢν δ' αὖ μήτι λάβῃ, τὸ φράτερ εἶπε μόνον. Ὤνια γὰρ καὶ ταῦτα τὰ ῥήματα, αὐτὰρ ἔγωγε Οὐκ ἐθέλω δόμινε, οὐ γὰρ ἔχω δόμεναι. Negat Poëta, velle se dominum salutari, quia non habet, quod det assentatori, hoc modo eum salutanti. Ludit autem similitudine nominis δόμινε et δόμεναι. *Alciatus.*

Cap. 88. *Reperio apud scriptores senatoresque eorum temporum*] *Non dedecet ergo missam facere *seniores* eruditissimi viri substitutionem. *Sa-*

linerius. Dissentire me cogit veritas a reip. literariæ constituendæ Duumviris, quibus placet extruso illo, *Senatoresque,* substitui, *senioresque;* quia aliquoties infra advocarit ævi sui testes Tacitus. Non nego; sed iisdem locis diserte addit, vel, *memini audire me ex senioribus:* vel, *audita scriptaque senioribus tradam.* At hic, inquit, *reperisse;* in libris videlicet horum, quidem ἀνεκδότοις, illorum vero luce publica donatis. Nempe Senatores fere commentaria conficiebant eorum, quæ dicerent, quæ audirent in curia: ea manebant in familia, et ostentabantur nonnunquam a posteris; utpote e quibus æque atque ex actis publicis privatisque concinnari posset legitima historia; ut pluribus probavi in Suspicionum libris. *Gruterus.* Lipsius *Senioresque* emendat. Et placuit hoc nob. Dousæ: nescio an etiam aliis; mihi quidem non potest. Si enim vult Tacitus dicere, audisse se hæc ex senioribus, obsecro an utatur tum ea loquendi ratione, *Reperio apud seniores?* Potius; *Comperio ex senioribus.* Sed emendationem quidem puto certam: sensum autem paulo diversum; ut capiamus, non audiisse ex ipsis, sed in scriptis eorum, qui tum temporis vixissent, et audita vel visa scripsissent, reperisse. Cujus mentis est omnino illud etiam lib. XI. 'Verum audita scriptaque senioribus tradam.' De cujus loci sententia, suo tamen loco infra hæreo, sed frustra: alia ejus mens esse quam hæc non potest. *Acidalius.* Recte *Seniores* reponunt, non *Senatores.* Sic Livius l. VII. 'Repetitum ex seniorum memoria.' Suet. in Claud. 15. 'Illud quoque a majoribus natu audiebam.' Noster de Druso l. III. 'Vera prorsus seniores loquutos: displicuisse regnantibus civilia filiorum ingenia.' Et l. XIII. 'Adnotabant seniores.' Tertull. in Pallio: 'Et autumat superiorum profanitas.' *Aurelius.*

Canitur] Quibusdam, clarus est. Sed exactius alii, qui *canendi* verbum proprio significatu accipiunt. Notus enim hic Germanorum mos ex Taciti Germ. 2. 3. *Freinshemius.*

ANNALIUM LIB. III.

CAP. 1. *Nihil intermissa*] * Cod. de naufrag. et Virgiliana Dido Æneam media hieme de navigando cogitare miratur. Sed et mare ipsum, cum fremeret, commotumque ac concitatum esset, *hiemare* dicebant. Sic Sallust. *hiemantibus aquis.* Et *hiemem* vocabant *tempestatem.* Muretus.

Litora Calabriæ contra] Quæsita orationi peregrinitas, poëtica vocum collocatione, qualis est illa Virgilii, 'Italiam contra.' *Idem.*

Violenta luctu] * Horatius, de fluvio: 'Multa mole docendus aprico parcere prato.' *Idem.*

Celerrimum fidissimumque adpulsu erat] * De eo videndus Strabo l. VI. *Idem.*

Proxima maris] Legendum *mari.* Idem. Nihil est mutandum, quamvis *proxima mari* usitatius sit. *Ursinus.* Omnes interpretantur de locis mari vicinis. Sed ipsa verba interpretationem hanc non ferunt, neque

proxima maris aliter possunt accipi, quam de proximo mari; sive ipsius maris proxima parte. Sicut III. 73. 'intima Africæ,' pro intima Africa, aut intima parte Africæ IV. 46. et XII. 56. 'Edita montium:' et in hoc ipso vocabulo H. III. 42. 'Proxima litorum.' XV. 58. 'Proxima municipiorum,' pro proximis litoribus aut municipiis. Sic igitur et 'proxima maris' interpretanda erant, si verbis inhæreamus. Nam sententiam versionum magis probo; adeoque non *proxima maris*, sed *mari* legendum arbitror, litera scilicet sibilante, quæ ex vicinitate sequentis vocabuli temere, ut solet, hæsit, rejecta. *Freinsh.*

Silentione an voce] Mœstitiæ comes et silentium. Job. 2. 'Sederunt cum eo in terra septem diebus et septem noctibus, et nemo ei loquebatur verbum:' videbant enim dolorem esse vehementem.' *Aurelius.*

Successit, non alacri] Solent enim qui ex longa navigatione portum, quem petebant, vident, terram salutare, et multas lætitiæ significationes dare. Virg. III. 'Italiam, primus conclamat Achates; Italiam læto socii clamore salutant.' *Muretus.* Ego cum illis potius sentio, qui classem, ut per ipsam rei naturam opus est, sensim admotam et propinquiorem litori factam exponunt: non ut studio cursui temperatum, aut segnius redditum fuerit remigium: quod sicut non intendisse per alacritatem, ut solent appellentes in desiderata loca, ita neque remisisse videri possunt, sed eodem tenore inceptum iter esse prosequuti. *Freinsh.*

CAP. 2. *Munera fungerentur*] Non nove, nec ex Latinitatis portento: quippe ita Plautus in Triumviro: 'Sequere, mea nata, ut munus fungaris tuum.' Et in Asinaria: 'Munus adolescentuli Fungare.' *Aurelius.*

Atque ubi colonias transgrederentur, atrata] Id est, pullis et lugubribus vestibus amicta. *Plebes* antiquus nominativus pro plebs. *Trabeati equites*, ut a plebe discernerentur, pompamque illam angustiorem, et majestatis pleniorem redderent. *Muretus.* Quamvis in Germanici funere 'trabeati equites incessissent,' non ob id tamen inferendum, trabeam funerale indumentum extitisse, sed bene familiare equitibus in publicis solennitatibus. *Marc. Donatus.* Existimo tunc trabeas fuisse atratas, et ex nigro colore, sed habuisse formam trabearum, quæ vestimenta erant primum regia, postea militaria et peculiaria equitibus Romanis, a trabibus intextis discoloribus ex purpura et cocco. *Aurel.*

Trabeati equites] * Illæ enim propriæ equitum: (nam Grammaticorum inventa hic non moror, qui faciunt etiam regum, ducum, augurum:) et ideo *Trabeata agmina*, ipsi equites Statio, in Epulo Domitiani: 'Hic cum Romuleos proceres, trabeataque Cæsar Agmina, mille simul jussit discumbere mensis.' Et in V. Silvarum ad Crispinum: quem locum fusius adscribam, quia mei eget: 'non te series inhonora parentum, Obscurum proavis, et priscæ lucis egentem Plebeia de stirpe tulit: non sanguine cretus Turmali trabeque ac remis, et paupere clavo Augustam sedem et Latii penetrale Senatus Advena pulsasti: sed præcedente tuorum Agmine.' Vere enim emendo, *non sanguine cretus Turmali, trabeaque Remi, nec paupere clavo:* id est, Non tu ex plebe satus, imo nec ex ordine equestri; quem deinde describit tribus notis, luxuria non indecora ingenii, ut solet in illo poëta. *Turmalem sanguinem* vocat; quia propriæ equitum Turmæ: *Trabeam Remi*, quia ii trabeati, exemplo regum: *Pauperem clavum*, id est, angustum et artum, qui ordinis equestris. *Lipsius.*

Vestem] * Virgil. in funere Miseni VI. 221. Statius in Epic. Glauc. 159. Silius l. x. in funere L. Æmilii Paulli

570. *Muretus.*

Solemnia] Νόμιμα. *Muretus.*

Diversa oppida] Non ii modo, quorum oppida prætervehebatur funus, sed ii quoque, quorum oppida, *diversa*, id est, devia erant, obviam tamen proficiscebantur, et pro copiis pompam illam cohonestabant. *Lipsius.*

CAP. 3. *Apud auctores rerum*] Tacitus ab exemplari videtur discessisse, cum, *auctorem rerum*, historiæ scriptorem vocavit, qui Sallustio est rerum administrator gestorque, ut imperator qui bella gerit. 'Tametsi haudquaquam par gloria sequatur scriptorem et auctorem rerum.' *Turnebus.* Sic hoc ipso libro: 'C. Sallustius Romanarum rerum florentissimus auctor.' *Muretus.*

CAP. 4. *Vastus*] Olim emendavi *per silentium vastum;* atque adeo certa mihi emendatio visa est, ut eam recipere non dubitaverim. Nam ipse Tacitus sic sæpe locutus est. l. IV. 'hostisque clamore turbido, modo per vastum silentium, incertos obsessores effecerat.' Hist. l. III. 'Vastum primo silentium mox cuncta simul erumpunt.' In vita Agricolæ: 'Vastum ubique silentium, secreti colles.' Etiam Livius l. x. 'deinde ut silentium vastum in urbe.' Et optima est constructio: Dies erat inquies, modo per vastum silentium, modo ploratibus. Observavi sæpissime in veteribus libris, idque in nonnullis editis quoque conspicitur, *m*, literam, in fine dictionum nonnunquam scribi, 3, tanquam ternarii numeri notam, adeo ut mirum non sit, si aliquando pro litera, *s*, accepta sit a librariis. Hinc in auctore nostro multi errores irrepserunt, ut suis locis ostendemus. *Pichena.* At mihi falli vir optimus videtur. Nam si *vastum silentium* accipimus, tam dies inquies fuit silentio quam ploratibus. At quid est *per silentium inquies?* Apud Ovidium in regia Somni, 'Muta quies habitat.' Apud Statium 'pressisque silentia pennis Muta sedent.' Si ἀντὶ τοῦ *inquies* apud Tacitum esset *varius*, tolerarem. At Tacitus utrique proprium assignat verbum. * *Gronov.*

Miles cum armis] Corrigo, *miles sine armis.* Quid enim novi est militem videri cum armis? Sed deposuerat, opinor, arma, ut dolorem testaretur, quemadmodum magistratus insignia sua. *Harlæus.*

Quam ut meminisse imperantium] Nam hæ voces aperte ad aliquam imperantium contumeliam pertinebant: sed illa querentibus metum ademisse videbatur doloris magnitudo. *Muretus.*

Nihil tamen Tiberium] Pessime enim oderat Agrippinam, ejusque gloriæ invidebat, quo iniquiore animo ferebat tanta in eam conspirantis populi studia. *Idem.*

Superstitem iniquorum] Forsitan *inimicorum.* Rhenanus.

CAP. 5. *Publici funeris pompam*] * debuit. Et animadverterunt ceteræ versiones hunc sensum; vocem tamen *publici* consensu prætermiserunt. *Freinshemius.*

Ticinum usque] Vide quædam non vulgata apud Valerium Maximum, l. v. c. 5. *Lipsius.*

Claudiorum Juliorumque imagines] Ut sæpe alias, sic et hoc loco librariorum error e *Liviis Julios* fecit. Lege ergo *Liviorum.* Tiberio enim et Druso, paterna origo ex Claudiis, materna a Liviis fuit, adoptato in eam materno avo. Sueton. idem testatur et Valer. II. 4. *Muretus.* Ego potiorem habui veritatis rationem, quam scripturæ. Præsertim quum sciam, quoties ob miram literarum similitudinem confusos legamus cum *Juliis Livios.* Ex testimoniis scriptorum quæ supra II. 75. relata sunt, aliisque quam plurimis notum est, majorum tantum imagines esse comitata posterorum funera. Quid igitur certius, quam in Drusi exequiis adfuisse Liviorum imagines; quæ materna illi

familia fuerit, quum Juliam gentem nulla tam arcta cognatione contingeret. Neque vero simile est Juliorum nomen postpositurum fuisse Tacitum: quod quamquam leve videatur, illis tamen jam tum temporibus observatum scimus, ut digniores qui essent, iidem et priores nominarentur. *Freinshemius.*

Cuicumque nobili] Τῷ τυχόντι τῶν εὐπατριδῶν. *Muretus.* Recte vero, qui vocabulum *nobilis* retinuerunt. Sicut enim nunc longe inferior est quem *nobilem* vocant, quam qui *Gentilhuomo* censetur; ita quondam contra fuit: neque quisquam habitus est *nobilis* præter illustrissimos et *longa decora præferentes*, ut eos describit Seneca apud nostrum XIV. 53. *Freinshemius.*

Quanto prima] Legendum, *quando*, ἐπειδή. *Muretus.*

Non fratrem] Drusum: nam de Claudio vix cogitabant, quem in pecudis prope potius quam hominis loco habebant, et sciebant non potuisse per se longius progredi, cum ita duceretur a Druso, ut nervis alienis mobile lignum, et inter aulæ ludibria, ut ait Suetonius, haberetur, cui rei aliud argumentum paulo post reperiemus. *Muretus.* Non sui, non historiæ obliviscitur noster, sed primo loco loquitur ut historicus, posteriore vicem gerit eorum, qui Tiberium maligne carpunt, suaque id facit sibi solita obliqua oratione. Obtrectatores autem ea de causa de Claudio silent; quod erat despectus, et inter aulæ ludibria, unde parum nihilve decoris Germanico: nisi forte Claudium putas ab eo moribundo his verbis designatum fuisse Ann. lib. II. 'Referatis patri ac fratri, quibus acerbitatibus dilaceratus, quibus insidiis circumventus miserrimam vitam pessima morte finierim.' Iidem non tamen Drusum transmittunt, immo ex modo ejus occursus, Tiberii adversus Germanicum simultatem et invidiam metiuntur. Quam autem Claudius vixerit omnibus despicatus, de Suetonio disce, in Claud. c. 3. 4. 5. *Salinerius.* Cave cum eruditissimo Taciti interprete, *fratres*, rescribas. Quamquam enim duo Germanico superstites fratres, Claudius natura, adoptione Drusus, et supra scripserit Tacitus, utrumque Tarracinam usque progressum: cum tamen hæc omnia invidiose in Tiberium a populo dicantur, unius modo fratris Drusi, filii Tiberii, facit mentionem. Et certe Claudius excusari merebatur, quia haud dubie prohibitus est a Tiberio ulterius progredi, quam Drusus, ne plus, quam hic, lugere, magisque affici videretur. Hæc causa quoque est, cur de matre Germanici Antonia hic non queratur populus, licet nullo insigni officio in Germanicum functa. Nam id noluerat Tiberius: ut supra. Quidni credamus idem Claudio evenisse? Itaque non de eo, sed Druso, hæc sunt accipienda, ut ad majorem invidiam concitandam in Tiberium, ejusque domum, comparata. *Boxhornius.*

Instituta] Non tantum de legibus dicuntur, ut nonnemo accepit: sed etiam de moribus et consuetudine: quæ significatio huic loco convenientior est. *Freinshemius.*

Præpositam toro effigiem] Lege, *propositam in toro effigiem.* Herodiani autem locum e principio l. IV. quoniam ad hæc illustranda mirifice pertinet, etsi jam vulgatus est, ne quid tamen desideretur, apponam, ut a Politiano conversus est, paucis tantum quibusdam, in quibus ille turpiter erravit, emendatis: ne cui tam multa Græca molesta sint. * Hactenus Herodianus. Constat autem eorum, quæ ab ipso commemorantur, partim etiam vetustioribus temporibus in usu fuisse, alia gliscente, ut fit, adulatione, ad imperatores omni honoris genere celebrandos, a posteris excogitata esse. *Muretus.* Facit huc illud Propertii. 'Nec mihi tunc fulcro sternatur lectus eburno, Nec sit in Attalico mors

mea nixa toro.' *Acidalius.* Imo *propositam*, id est, in toro positam conspicuam omnibus : ita enim mos erat. *Grotius.*

Vel doloris imitamenta] Simile in Claudii funere, l. XII. ' Ceterum peractis tristitiæ imitamentis.' *Lipsius.*

Doloris imitamenta] Vetus scriptura, *rei doloris imitamenta*, legendum est, *veri doloris imitamenta.* Muretus. Falsus Mureti libellus, dum affirmat, veterem scripturam esse, *rei doloris :* unde ipse, *veri doloris.* Ms. enim nihil discrepat a vulgatis. *Pichena.* Non recte acceperunt, tamquam in eadem classe cum lacrimis, laudationibus, aliis, quæ præmittuntur, ut serio præstari solita censerentur : et hæc veteribus potius quam ipsi Tiberio, ad quem et matrem Liviam unice respiciunt, attribuerentur. Sensus et ordo verborum Taciti talis est : Ubi illa veterum instituta, subaudi mansisse, aut quid simile : dein exsequitur quænam dicat, Præpositam toro effigiem, &c. lachrymas ; et hic quidem finiunt instituta veterum, quæ hic recensere voluerat : itaque non conjungentem particulam, sed disparantem subnectit, ' vel doloris imitamenta.' Ubi manserunt instituta veterum, aut saltem (si illa serio non potuerunt exprimi) imitamenta doloris. *Freinsh.*

CAP. 6. *Gnarum id Tiberio fuit*] Dele verbum *fuit*. Sic lib. I. ' gnarum id Cæsari.' *Muretus.*

Monuit edicto] Ita moris ætate illa, ut Princeps populum peccantem aut exorbitantem alloqueretur per libellum, coërceretque. Eo respicit metaphora scita Senecæ, epist. 95. ' Præcepta sapientiæ, quæ affectus nostros velut edicto coërcent et obligant :' et cave quidquam ibi mutes. *Lipsius.*

Idque et sibi et cunctis] An non magis, *et functis?* In vulgata mihi frigus. *Lipsius.*

Cunctis] Mihi multo majus frigus in τῷ *functis.* Quid enim ? an *functis* vel mortuis egregium erat, quod nemo eorum tam flagranti desiderio celebratus esset ? Immo et sibi, inquit, honestum decensque esse et omnibus, qui sic Germanicum desiderarunt. Maluit autem dicere *cunctis*, quam *populo Romano*, quia mox voce *populi* usurus erat. Nam gravi luctu et sibi honorem habitum significat, cui proximus erat Germanicus, et ipsos lugentes laudem mereri, quod sic testarentur, quanti virtutes ejus facerent. *Gronovius.*

Non enim eadem decora] Sententia commoda : non eadem decere Principes viros primoresque in republica, et ipsum imperatorem ; eadem, inquam, quæ populum. Huic luctum permitti, at non illis.* Similia Euripides in Iphigenia, ubi Agamemnon profatur : Ἡ δυσγένεια δ' ὡς ἔχει τι χρήσιμον ; Καὶ γὰρ δακρῦσαι ῥᾳδίως αὐτοῖς ἔχει Ἄνολβα τ' εἰπεῖν. Τῷ δὲ γενναίῳ φύσιν Ἄναντα ταῦτα. Τῷ τ' ὄχλῳ δουλεύομεν, Ἐγὼ γὰρ ἐκβαλεῖν μὲν αἰδοῦμαι δάκρυ. At vero in Taciti verbis, legebam olim : *Non enim decora eadem Principibus viris et imperatori populo. Modicis domibus, &c.* Populus imperator et princeps, Romani sunt : ideoque contra, de *modicis civitatibus* mox sequitur. Probat Pichena, sed hoc amplius vellet : *Populo, quæ mod. d. a. civitatibus, Convenisse, &c.* Lipsius.

Et imperatori populoque. Modicis] Exigua in speciem depravatio scripturæ tantas tenebras offudit huic loco, ut sententia nullo modo perspici queat. Legendum autem hoc modo : *Non enim eadem decora principibus viris, et imperatori populo, quæ modicis domibus, aut civitatibus.* Comparat *principes viros* cum *modicis domibus*, negatque utrisque eadem decora esse. Modicas enim domos infractio quædam et mollities animi non ita dedecet, quæ principibus viris summe indecora est. Comparat *populum imperatorem*, id est, populum Romanum cum

civitatibus, id est, cum municipiis et aliis tenuioribus oppidis: et ait populum Romanum animo erectiori et fortiori esse debere. Est enim eadem ratio principum virorum ad modicas domus, quæ populi Romani ad civitates: quæ ut etiam in jure proditum est, privatorum loco habentur. *Imperatorem populum* ita dicit populum Rom. ut Virg. 'Romanos rerum dominos:' et ut Claudianus, 'dominam plebem.' *Muretus.* Omnino videtur addendum, *quæ*, quod omissum videri potest a librario, ob alterum, *que*, præcedens. Itaque legendum: *Et imperatori, populoque quæ modicis, &c.* Ursinus. Jungenda illa *imperatori populo*, et relativum *quæ* non inserendum retenta copula *que*, sed ex hac ipsa faciendum alterum *quæ:* et totus locus certissima correctione ita scribendus, ita interpungendus: *Et imperatori populo, quæ modicis domibus, &c.* Opponit principes viros modicis domibus, imperatorem populum modicis civitatibus. Hoc qui non probabit, ille vero vere Morychus. Imperator populus dicitur, ut Virgilio, 'Romanos. r. d.' et Sueton. Cal. 35. 'Dominum gentium populum.' *Acidalius.* Livius lib. I. 34. et 42. populum Romanum appellat, 'principem orbis terrarum populum.' Cic. pro domo sua: 'dominum regum, victorem atque imperatorem omnium gentium.' Virg. Æn. I. 'populum late regem.' Post hæc cum Manuscriptum contulissem, eandem penitus in eo correctionem ac distinctionem inveni. *Pichena.* *Imperator populus* appellatur Romanus, ut apud Florum, 'gentium victor, orbisque possessor, princeps, princeps gentium, regum et gentium arbiter.' Arellio Fusco apud Senec. controv. II. 9. 'Victor omnium gentium populus.' *Freinshemius.*

Abstruserint] Recondiderint, continuerint, devoraverint. *Muretus.* Verbum *abstruserint* mihi omnino convenire non videtur. Loquitur enim de animi infirmitudine et constantia, quæ non est, si tristitia saltem abscondatur, occultetur, sed abjiciatur. Itaque moveor, ut legendum credam, *Absterserint.* Acidalius.

Principes mortales, rempublicam æternam] Præclare hunc locum exsequitur Scipio apud Liv. XXVIII. 'Quid? si ego morerer, mecum expiratura resp. mecum casurum imperium populi Romani erat? Ne istuc Jupiter opt. max. sinit: urbem auspicato, Diis auctoribus in æternum conditam, fragili huic et mortali corpori æqualem esse,' et quæ sequuntur. *Muretus.*

Solennia repeterent] Sic Homerus dixit Il. XXIII. λαοὶ δ' ἐπὶ ἔργα τράπωνται: *Populi revertantur ad opera.* Et hoc funere Patrocli peracto. *Aurel.*

Cap. 7. *Illyricos ad exercitus*] Quibus etiam præfuerat ætate superiori, ut priori libro dictum est. *Muretus.*

Petendæ e Pisone ultionis] Forte legi posset, *spe petendæ, &c.* *Erigi spe*, nota phrasis. *Freinshemius.*

Veneficiis Martinam] Ut hic Martina operam Tiberio navavit in tollendo Germanico: sic Neroni in tollendo Britannico Locusta: certe veneficium videtur mulierum peculiare vitium esse. Celebres sunt venenis, ex ultima illa antiquitate, Circe, Medea, aliæque ejusmodi, et totum genus Ægyptiarum mulierum, Helena quoque ab Homero venenorum perita inducitur, neque cuiquam ignotæ sunt Theocriti et Virgilii Pharmaceutriæ. *Canidiam* autem Horatii quis ignorat? et fere ubicunque veneficiorum aut superstitionum magicarum, ibi et mulierem mentio. Unde *venefica* et *trivenefica* vulgaria in mulieres, et usitata in comœdiis convicia. Quin etiam vera causa, cur Pythias in Eunucho Terentiana Chæream *veneficum* vocet, ea est, quod jactatum inter mulieres id convicium esset: non eæ quas adfert Donatus. Unde Medea apud Euripidem uni-

verse pronuntiat, mulieres, nulla magis alia in re, quam in veneficiis doctas et ingeniosas esse. Id cur ita sit, non difficile est ad explicandum. Mulieres enim, quoniam imbecilliores sunt, eo sunt vindictæ cupidiores. Ulcisci autem eos, a quibus se lædi putant, ferro ac palam, propter eandem illam naturalem imbecillitatem, non queunt. Clam igitur venenis idem efficere moliuntur. *Muretus.*

CAP. 8. *Haud fratris*] *Sic Ulpianus in L. *pro herede* D. de acquirenda hereditate, 'Pro herede autem gerere, non esse facti quam animi.' Scævola in l. *His verbis,* de legatis. 3. 'Et chirographis exactis, quam pecunia erogata, reversus in patriam.' Multos alios similes locos collegit summus vir Antonius Augustinus lib. IV. 1. 8. emendationum. *Muretus.*

Erga filiosfamiliarium] Lege, *Filiosfamiliarum,* una voce. Ita loqui in usu veteribus, ut patremfamilias, *patresfamiliarum;* filiumfamilias, *filiosfamiliarum* dicerent. Notat id Varro esse a Sisenna, VII. de Ling. Lat. Et deinceps usi multi. Infra lib. XI. 'ne in mortem parentum filiisfamiliarum fenori pecunias darent.' Suet. Cal. 26. 'Patresfamiliarum notos:' et Vesp. XI. 'filiorumfamiliarum:' ita enim legi in v. c. peroptimo, quo usi Rancónetus, Turnebus, Cujacius. Vulgo, *filiofamilias.* Mercerus. Mutavi suadente Mercero, immo Tacito ipso: qui lib. I. dixit: 'nunquamne ad se, nisi filiosfamiliarum venturos.' *Pichena.*

Hæc palam] Tum ad vitandam omnem suspicionem conscientiæ, tum quia nolebat ullam potestatem Pisoni facere, illas sceleratas machinationes apud se detegendi. *Muretus.* Hanc causam reddi video, quod operam dare voluerit Drusus, ne secretis sermonibus cum Pisone suspectum se cuiquam redderet. Ego vero aliter hæc acceperim: ideo, nimirum, callido monitu Tiberii, palam, præsentibusque aliis, hos cum Pisone commutasse sermones Drusum, atque imprimis dixisse, 'si vera forent, quæ jacerentur, præcipuum in dolore suum locum:' ut quanto luctui Tiberianæ domui mors Germanici esset, sic palam intelligeretur. Hoc enim maxime volebat Tiberius, ob alia omnia in vulgus suspectus. *Boxhornius.*

Præscripta et a Tiberio] Melius, *præscripta ei.* Lipsius.

Præscripta et] Lego *ei:* et paulo post *tamen,* pro, *tum.* Muretus.

CAP. 9. *Vitandæ suspicionis*] *Frequenti. Sic lib. II. 'Ægyptum proficiscitur cognoscendæ antiquitatis.' Et hoc ipso in libro, 'multa populus paravit tuendæ libertatis.' *Muretus.* Fortasse Tacito magis proprium, *vitandæ suspicioni.* Infra eod. lib. 'Tiberius, quasi firmandæ valetudini, in Campaniam concessit.' Lib. XII. 'Contrahendæ rursus multitudini, gladiatorum spectaculum editur.' Hist. lib. III. 'Is balneas, abluendo cruori, propere petit.' Nihil tamen muto: nam lib. XIV. 'Et cætera ostentandæ pietatis.' *Pichena.*

Dieque et ripa frequenti] Cum vitare potius conspectum populi deberet, cui se invisum sentiebat. *Muretus.*

Festa ornatu] Lege, *festo. Ornatum* autem dixit serta, coronas, lumina accensa, quæ omnia etiam hodie in usu manserunt. *Muretus.* Manuscriptus, *festa ornatu,* unde suspicor legendum, *festa, ornata.* Pichena.

CAP. 10. *Contra Vitellius*] Germanici comites, qui dextram morientis contingentes, juraverant se spiritum ante quam ultionem amissuros, negabant audiendum Trionem, qui in jus vocato Pisone postulaverat, ut ordinario jure nomen ejus reciperent inter reos lege inscripti maleficii. Fuere igitur Trioni prælati, &c. **Vertranius.*

Esse partes Trioni] Lego, *Trionis.* Muretus.

Cognitionem exciperet] Melius erat *acciperet* vel *susciperet.* Et forte pro

illo scriptum fuit ἀρχαϊκῶς, *Ecciperet*, quæ mendo causa. *Acidalius.* Polletus de foro Rom. III. 2. hunc locum exscribens pro *exciperet* præfert *reciperet:* quod si a libro sit, probum esse arbitror. *Freinshemius.* Hoc quidem dilutum nimis, quum constet nullum aliud esse vetus scriptum exemplar horum librorum, quam unde sunt editi. Et nodum in scirpo quærunt. *Exciperet* est admitteret. *Gronovius.*

Conscientiæ matris innexum] Ipsum quoque conscium matri eórum quæ adversus Germanicum facta essent. *Muretus.*

Judice ab uno facilius discerni] Non Tacitus hoc dicit, sed Piso post pessimum ministerium vanissimæ spei serviens. Verius sanctior regis præceptor 3. Pol. cap. 11. Διὰ τοῦτο καὶ κρίνει ἄμεινον ὄχλος πολλὰ, ἢ εἷς ὁστισοῦν· ὅτι μᾶλλον ἀδιάφθορον τὸ πολύ· καὶ καθάπερ ὕδωρ τὸ πλεῖον, οὕτω καὶ τὸ πλῆθος τῶν ὀλίγων ἀδιαφθορώτερον· τοῦ δ' ἑνὸς ὑπ' ὀργῆς κρατηθέντος, ἤ τινος ἑτέρου πάθους τοιούτου, ἀναγκαῖον διεφθάρθαι τὴν κρίσιν· ἐκεῖ δ' ἔργον ἅμα πάντας ὀργισθῆναι καὶ ἁμαρτεῖν, &c. *Gronovius.*

Ad senatum remittit] Hæc erat una ratio expediendi se. *Muretus.*

Cap. 11. *Postquam reo*] Lege, *Post quæ*, ut paulo infra hoc ipso in libro. Sed et in veteri libro plane ita scribitur. *Muretus.* Auctore Manuscripto, parva sed congruens mutatio facta est. Sic paulo infra: 'Post quæ Tiberius:' et supra lib. I. 'Post quæ L. Arruntius.' *Pichena.*

T. Arruntium] Nicolaus Faber, vir quem Probitas et Eruditio juxta amant (veris, nec ambitiosis, laudibus utor) Notis ad Senecam patrem legendum censet, *Lucium*, non *Titum:* verissime. Est illustris ille vir, Senator et Consularis, Augusti judicio dignus Principatu: Tacito nostro sæpe nominatus. *Lipsius.*

Marcellum] Eprium nomine: cujus celebre ingenium in foro. *Lipsius.*

Æserninum Marcellum] Sic legendum esse ostendi conjunctim, ut nempe unius hominis hoc nomen esset, non distincte, ut olim, *Æserninum, Marcellum.* Freinshem.

L. Piso] Rei frater. *Muretus.*

Liveneius] Puto primam litteram geminandam, ut sit, *L. Livineius;* ita enim in veteribus nummis scribitur. *Idem.*

Quæ fiducia reo] Imitatum ex illo Virgilii, 'quæ sit fiducia capto.' *Id.*

Premeret an promeret] Elegantia orationi ex similitudine vocum quæsita. *Muretus.* Verba hæc, *an promeret*, non sunt a Manuscripto: in eo enim sic legitur: *satin' cohiberet ac premeret sensus suos Tiberius, ac premeret.* Unde suspicari possumus, perperam et oscitanter a librario ingeminata. Lector judicet. *Pic.* Ex iis quæ prodit ex codice Mediceo Pichena, inducor fere ut credam, resectis vocibus quatuor, rescribendum tantum: *satin' cohiberet sensus suos Tiberius: iis haud.* Gruterus. Voculam *iis* audacter deleo, et totum hunc locum aliter distinguo, recepta Mureti lectione *post quæ*, non *postquam:* quæ vox caussa fuit, ut τὸ *iis* inculcaretur. Ab illo enim *postquam* huc usque pendebat sententia, et ut necteretur necessarium erat hoc *iis* quasi vinculum injicere. At nunc vide, quam omnia melius fluant; *post quæ reo, &c. petenti, iisque diversa excusantibus, M. Lepidus, &c. adfuere; arrecta omni civitate, quanta fides amicis Germanici, quæ fiducia reo, satin' cohiberet ac premeret sensus suos Tiberius, an promeret. Haut alias intentior populus plus sibi in principem occultæ vocis, aut suspicacis silentii permisit.* Sciens struendæ orationis lector judicabit, et scio probabit. Alium nec probare curo, nec volo judicare. *Acidalius.*

Iis haud alias intentior populus] Vera et genuina Manuscripti verba: *Is haud alias intentior: populus plus sibi, &c.* Quæ, ut alia multa corrupta fuerant, frigido quidem ac persimplici

sensu: at contra, optimus est atque efficax in lectione prisca. Duo enim ostendit: Tiberii scilicet in eo negotio intensissimum animum, ac populi majorem licentiam. *Pichena.* Ex Sallustiana oratione, qui in Jugurthino: 'Incredibile memoratu quantum plebes intenta fuerit.' *Aurelius.* Τὰ *ac premeret* in unico libro posteriori loco meram esse delirationem librarii Pichenæ subscribo: neque aut inde faciendum *an promeret*, aut tam puerilis atque ὀχληρώδους, ut Lucilius recte judicat, lusus lenocinio τὸ σεμνὸν suum condonasse Tacitum censeo. *Satin'* dixit, non *Utrum*, ut alteram quoque dubitationis partem necesse fuerit adscribi. Quæ præterea hic vel ipse Pichena vel Gruterus vel Acidalius moliuntur, ea me non afficiunt. Nam de Tiberio, quod significat toties, quid opus nunc repeti? Dein illa *populus plus sibi permisit*, curta et manca oratio est, nisi populus idem *haud alias intentior* accipitur. Accedit, quod, cum tria posuerit, quæ tum occupabant cogitationes hominum et suspensas habebant, parum commode, duobus transmissis, de tertio aliquid interjicitur, quod nemo ignorabat. Quin, si verum volumus, omnis hæc periodos nihil aliud est quam repetitio et explicatio τῶν *arrecta omni civitate*, quæ præcidi oportuerat mentione facta rerum, quæ cunctos etiam quietos sollicitarent. Quasi esset: His, inquam, arrecta omnis civitas, his intentus populus magis quam unquam alias, plus etiam sibi juris fecit aut in aurem loquendi de principe aut in sermonibus repente vel obstinate tacendi neque exspectato sono ora solvendi. Est enim, ubi et silentium sit genus libertatis. Docent apud nostrum Pætus Thrasea Helvidiusque Priscus ejus gener. *Gronovius.*

Cap. 12. *Adjutorem*] Plus hoc est quam legatum, nedum quod nonnulli assessorem. Sic IV. 7. Drusus invidiose queritur, apud patrem suum 'incolumi filio adjutorem imperii alium vocari.' Quanquam *adsessores* etiam συμπόνους vocatos reperiam, in Glossis, et apud Ulpian. qui hæc Demosthenis in Midiam: Παρεδρεύοντος ἄρχοντι τῷ υἱεῖ, exponit, Συμπονοῦντος καὶ συμπαρόντος τῷ παιδί. Sed apud Romanos nullam ferme fuisse auctoritatem usumve adsessorum, nisi ut jus suggererent, satis novimus. Piso autem Germanico ad res gerendas datus erat *adjutor:* ut quidem Tiberius videri voluit. *Freinshemius.*

Privatas inimicitias novi principis ulciscar] Dixit Tiberius Cæsar, si Cn. Piso morte Germanici filii mei luctuque meo lætatus est, ulciscar inimicitias, quas in me ut privatum exercuit. Itaque de privatis inimicitiis Germanici mentio nulla penitus hic est, quo minus ad eum *novi principis* appellatio referenda videtur: sed neque Tiberio convenit, utpote qui jam sexennio imperasset. Qua de re, cum Romæ nos Antonius Vacea amicus meus summus lauto prandio accepisset, me, et clarissimum virum P. Fabrum, Gabrielemque Faërnum familiarem Pii IV. Pontificis maximi, in sermonibus, qui post epulas haberi solent, Faërnus, cui tum omnes assensimus, legendum hoc loco censuit, *privatas inimicitias, non principis ulciscar:* quasi diceret Tiberius, se non ut principem lege Julia majestatis in Pisonem acturum, sed uti privatum inimicitias ulturum. *Vertranius.* Antonius Augustinus, *non ut Princeps, &c.* quæ lectio non displicet. *Ursinus.* Legendum *non vi principis.* Sic lib. V. 'Paratos ad ultionem vi principis impediri.' *Muretus.* Eadem Mercerus. *Non vi principis* sum secutus. Eundem ferme sensum his verbis complexus est Livius XXXIX. 5. negans 'suas [privatas] simultates pro magistratu exercere boni exempli esse.' Sed altera lectio *non principis*, absurdum sensum inducit: tanquam

privatas quidem offensas ulcisci fas esset, principis, non esset: quum e contrario vere dictum sit (licet ad adulationem ibi detortum) III. 70. 'sane lentus in suo splendore esset [princeps;] Reip. injurias ne largiretur.' *Freinshemius.*

Non Principis ulciscar] Ita emendavimus: tamen cum vetus lectio sit, *novi Principis:* aptius, ut nunc censeo, ex ea feceris, *non ut Princeps:* sive mavis, *non vi Principis.* Non utar potestate, quam Princeps habet: sed noxas mihi illatas, ut privatas ulciscar. *Lipsius.*

Adversa finguntur] Vereor ut integra hæc Tiberii oratio. Nam post hæc ultima nescio quid aures meæ suspensæ adhuc ulterius exspectant. Equidem si constructionem spectas, et sensum aspicis, non inspicis; nihil desiderabis: desiderabis, si acutius rimeris. Et facile conjectare est quid adnexum fuerit, ex sententia priorum. *Acidalius.* Nihil me movet Acidalii suspicio. Sed quia Tacito fere *adversa* sunt, quæ *secundis* opponuntur, hic eum scripsisse censeo, *diversa.* Ea enim et ipse et optimi quique sæpe accipiunt pro istis, quæ aliter *contraria* dicimus. Vide indicem. Justinus lib. III. 'oraculi diversa, sententia fuerat.' Suetonius Julio I. 'diversarum partium habebatur.' Nemo, inquit, Drusi lacrimas, meam mœstitiam spectet, ne incitetur illis ad condemnandum innoxium: nemo, quæ in contrarium de nobis falso sparguntur, ne sontem eo facilius absolvat. *Gronovius.*

CAP. 14. *Cibos arguentes*] Statim subjicio: 'Quod haud minus Tiberius, quam Piso abnuere:' quæ verba paulo post non suo loco posita sunt. *Muretus.*

Tot adstantium visu] Legendum videtur, *visus.* Lib. II. 'augebat intuentium visus eximia ipsius species,' tamen utcumque ferri potest, *visu,* id est, in oculis tot adstantium. *Pichena.*

Scripsissent expostulantes] Alieno loco hæc inserta. Mihi sententia præclare reddi videtur, si iis amotis legas: 'Senatus, numquam satis credito sine fraude Germanicum interiisse: simul populi ante Curiam voces audiebantur.' Quo tamen illa quæ superant remittenda sint, mihi non liquet. *Lipsius.*

Lacunam hic esse necesse est: desunt enim quædam, quæ suspicione et conjectura restitui possent. Sed sine emendatioris ope codicis temerarium esset. *Ferrettus.* *Scripsissent expostulantes,* delenda. *Muretus.* Locum esse mutilum indicant verba, quæ Faërnus addebat ex manuscripto libro. Sunt autem hæc, quæ nihilominus non implent: *Scripsissent: instabant accusatores statim scribi sententias expostulantes, &c.* Ursinus. *optimum et innocentissimum Principem, interfecisset; qua caussa ad audendum atrox adeo scelus esset impulsus. Tamen id crimen, tanta vi tantaque constantia et adseveratione objectum, non minus Tiberius, quam Piso abnuere. Nam, ut paullo ante loquitur Tacitus, 'solum veneni crimen Piso visus est diluisse.' Et intererat Tiberii, ut potius nomine læsæ majestatis, ob bellum provinciæ illatum, quam veneficii, contra Pisonem ageretur; metuentis scilicet, ne alias scelesta, quæ creditus est Pisoni adversus Germanicum dedisse, mandata in lucem protraherentur. Hæ expostulationes Senatus, *infensæ patrum voces,* pagina proxima appellantur. *Boxhornius.*

CAP. 15. *Postquam sibi exitiabile intelligit*] * Male quidam accipiunt, quasi non ex hoc facto Plancinæ, sed aliunde, exitium sibi imminere intellexisset. *Freinshemius.*

CAP. 16. *Interrogationibus exquirit*] Et hic Mureti libello fidem ne habeas, dum ait, in vetere libro defectum hujusmodi apparere: *ex .... quirit,*

quem ille replet: *ex filio quærit*. Scias enim, talem in Man. lacunam non esse. *Pichena.*

Atque illo pleraque] Non fugiet corruptio loci attentum lectorem. Quis enim erit, ad quem hæc referantur, *Atque illo?* nullum certe nomen præivit. Puto mutila esse: nisi sint; scribe, *Atque filio.* Est enim εὔλογον filium Pisonis attulisse parentis codicillos, et ab eo quæsisse Tiberium singulatim de morte. *Lipsius.*

Atque illo] Filio. *Muretus.* Mutilum locum, quilibet pronuntiabit. Asteriscum tamen opponerem, non post verbum, *exegisset*, sed post verbum, *quæsitam.* Existimo enim, Tacitum,* &c. *Pichena.* De filio Pisone interrogato non modo εὔλογον, sed necessarium est, si rem recte cogitas. Et oratio concinna aliter non est, nisi sic struatur. Sed quod Lipsius ait, Pisonis filium attulisse parentis codicillos, id non εὔλογον, sed plane ἄλογον. Fugit ipsum ratio, nec meminerat amplius, liberto suo Pisonem dedisse ad Cæsarem ferendos. Nec putemus jam primum a quocunque ad Tiberium delatos, sed in curiam a Tiberio ipso allatos. Etiam cave illa verba, *Recitat codicillos*, de filio Pisone accipias, sed de ipso Cæsare. Quod non modo sententia loci totius vult, sed efflagitat ipsa verborum istorum structura. *Acidalius.* Ipsa periodi structura sententiam juvat ita componentium, *suam invidiam apud senatum quæsitam.* Nisi forte ut in loco corrupto defectoque suspicioni locus sit, aliter hæc ab auctore concepta fuisse. Sequentia certe non amplius sibi constant, et proinde diversis interpretationibus obnoxia fuere. Quippe, *Atque illo*, alii sic efferunt, ut tamen non appareat, quis responderit, alii ad senatum trahunt, tanquam ille responderit Tiberio; quidam ad filium Pisonem; nonnulli verbum verbo reddere contenti, quas in auctore salebras inveniunt, easdem lectori relinquere quam litem hanc suam facere maluerunt. Mihi potior visa est ratio de liberto hæc interpretandi, cui codicillos a Pisone traditos supra memoraverat auctor: præsertim quum et socerum meum Berneggerum, et Curtium Pichenam idem sensisse cernerem. *Freinshemius.*

Quatenus veritati] Melius, *quatinus:* id est, quoniam. *Lipsius.*

Quatenus] Legendum, *Quatinus.* Hæc autem quid inter se differant, ita exponit Cornelius Fronto, 'Quatenus, qua fini, Quatinus, quoniam.' *Muretus.*

Collegium consulatus] Utriusque collega fuerat, et Augusti et Tiberii. *Muretus.*

Cap. 17. *Etiam ipsius*] Graves enim a semetipso pœnas exegerat, quod ad misericordiam plurimum posse monet Aristoteles in Rhetoricis. *Muretus.*

Expertas] Παθητικῶς, ut in illo Propertii: 'Expertæ metuens jurgia sævitiæ.' *Idem.*

Biduum imagine cognitionis] Inani et assimulata specie. *Muretus.*

Miseratio quam invidia augebatur] Ad Græcorum et Hebræorum imitationem, loquendi hæc forma ecliptici generis est, qua familiarissime usus Cornelius. Ita quoque Ulpianus, Paulus, Modestinus, Martianus, et Florens Tertullianus sæpe locuti sunt: quod et alii ante nos animadverterunt. *Vertranius.*

Isque prænomen mutaret] Quod et factum: nisi Dio mihi imponit, qui libro LX. Lucium (non Cnæum) Pisonem Cn. Pisonis et Plancinæ filium præfuisse Africæ sub Claudio tradidit. *Lipsius.*

Quinquagies sestertio] Sunt nobis, *centum vigintiquinque millia Philippicum.* Videsis opes ejus ævi, etiam ab hoc exemplo: et quomodo vel exsuli provisum. Vere ergo Seneca: 'Eo temporum luxuria prolapsa est, ut majus viaticum exsulum sit, quam

olim patrimonium Principum fuit.' *Lipsius.*

Quinquagies sestertio] Puto vocem, *sestertio*, vacare. *Quinquagies centena millia sestertium*, efficiunt more Romano ducenta millia scutorum monetæ. *Muretus.* Videtur legendum : *Et accepto quinquagies sestertium, &c.* non, *sestertio*, ut supra. *Ursinus.* Frustra laborant ambo. *Quinquagies sestertium* sunt nostrorum Philippum centum viginti quinque millia. *Gronovius.*

Relegatur] Lege, *relegaretur.* Muretus. Vulgo *relegatur.* Lipsius correxit: nam supra dixit, *concederetur.* Pichena.

CAP. 18. *Firmus adversus pecuniam*] Contra de Vespasiano Aurelius Victor: 'infirmus tamen, uti quidam prave putant, adversus pecuniam.' *Pichena.*

CAP. 19. *Sacerdotia*] Quidam sacerdotium singulariter: sed Tacitus *sacerdotia* dixit tamquam de pluribus: erant enim varia, nec unius generis, sacerdotum collegia. *Freinshemius.*

Adeo maxima quæque] Similis querela Thucydidis l. I. Οἱ γὰρ ἄνθρωποι τὰς ἀκοὰς τῶν προγεγενημένων, καὶ ἢν ἐπιχώρια σφίσιν ᾖ, ὁμοίως ἀβασανίστως παρ' ἀλλήλων δέχονται· et statim: Οὕτως ἀταλαίπωρος τοῖς πολλοῖς ἡ ζήτησις τῆς ἀληθείας, καὶ ἐπὶ τὰ ἕτοιμα μᾶλλον τρέπονται· nec dubium, quin ad hæc loca respexerit noster. *Lipsius.*

Repetendis auspiciis] Τοῦ ἀνανεοῦσθαι τὴν ἀρχὴν ἕνεκα. Forsitan legendum, *repetitis.* Muretus.

CAP. 20. *Pagida flumine*] Quem alio nomine Belum dici Plinius ait. *Lips.*

CAP. 21. *Decumum quemque*] Morem hunc nemo melius exposuit Polybio VI. 36. *Freinshemius.*

Sorte ductos] Totidem Sallustiana verba Servius citat, 'Sorte ductos fuste necat:' quod ad Crassum referendum videri in decimatione cohortis unius vere observavit noster Douza. *Lipsius.*

Fusti necat] Ita Ms. Vulgo, *fuste necat.* Pichena.

Apronius jure proconsulis] Huc refer illud Suetonii, c. 32. 'Corripuit Consulares exercitibus præpositos, quod de tribuendis quibusdam militaribus donis ad se referrent; quasi non omnium tribuendorum ipsi jus haberent.' *Lipsius.*

Adhærebat] Ex Man. Vulgo, *hærebat.* Pichena.

Missu patris, Apronius Cæsianus] Addita fuerat copula, *missuque patris*, contra auctoritatem Manuscripti: eam ergo abstulimus, minime necessariam. *Idem.*

CAP. 22. *Ad proferenda ea, quæ velut rejicere voluerat*] Monueram quidem prioribus notis, in Man. legi, *reicere*, sed corruptum existimans, putaveram reponendum, *reticeri*, pro eo quod vulgo legebatur, *reticere.* Sed Julius Nellius I. C. Florentinus, acutissimi ingenii vir, probam sibi videri Manuscripti lectionem affirmavit. Cum enim senatum deprecatus esset Tiberius, ne majestatis crimina tractarentur, testes tamen illexit ad delicta ea proferenda, quorum cognitionem velut rejicere voluerat. Itaque verbum illud reposui. *Pichena.* Muretus *voluerant.* Non, non hæc mens. Tu me auctore legito, *reticeri.* Tiberius simulator et dissimulator, quæ quasi reticeri voluerat, ea proferri studet. *Acidalius.*

Militari custodia] Militarem custodiam uti se habuit paullo uberius explicavi: non tibi veterane, sed tibi tiro, in Excurs. nostris: quos utiliter et ad alia Taciti vide, in *B.* Lipsius.

CAP. 23. *Et obscurissimæ domui*] Abunde infra hoc ipso libro. *Lipsius.*

Petitum illustrium domuum] Subolet hic deesse nonnihil: ibique finem esse periodi, *a Lepido petitum.* Ferrettus. Veretur hic mendum Æmilius, ubi nullum invenio scrupulum, quam in eo quod insolentius *adversa*, jungitur patrio casui, cum alias tertium exigat: intelligitur autem adversa illustrium domuum et familiarum princi-

palium, quæ, ut supra scriptum est, per Chaldæos in domum Cæsaris quæsierit. *Vertranius.* Dudum monui continuanda hæc verba cum illis, *solatio adfecit*, inclusis parenthesi quæ intermedia. *Illustrium domuum adversa (etenim, &c. amiserant) solatio adfecit D. Silanus Juniæ familiæ redditus.* Narraverat adversa Calpurniorum et Æmiliorum, familiarum sane illustrium. At ea pensata Juniorum prosperis. Non opus verbis: quando tam certam conjecturam et firmavit adsensu suo maximus Lipsius, et editiones nuperæ agnovere. Prorsus simile quod libro sequenti: 'His tam adsiduis tamque mœstis modica lætitia interjicitur, quod Cominium equitem Romanum Cæsar precibus fratris concessit.' *Mercerus.* Sic l. IV. 'paternis adversis:' et in eodem, 'adversis casuum.' *Muretus.*

CAP. 24. *Adulterosque eorum*] * De pœna adulterorum legendus Cujacius l. VI. Observationum c. 11. *Idem.*

Qui per insignem nobilitatem et el.] Lego verissima conjectura: *qui super insignem nobilitatem et eloquentia præcellebat.* *Et* pro etiam. *Acidalius.*

Idque jure licitum, quia non SC.] Ei, qui ex SC. vel lege aliqua esset exul, opus beneficio senatus aut principis fuit: ei qui sponte secessisset, non item. Itaque D. Silano redire per leges licuit. Exilium autem dicitur ea pro Cæcina, non supplicium, sed perfugium portusque supplicii. Nam qui volunt pœnam aliquam subterfugere, aut calamitatem, et solum vertunt, hoc est, sedem ac locum mutant. Sic Cn. Fulvius indemnatus exulaturus. Tarquinios abiit: id ei justum exilium esse, scivit plebs. Livii XXVI. Sic Scipio Africanus in exilium voluntarium secessit, et civitatem exoneravit, Seneca ep. 87. Sic Metellus Numidicus ne Romæ causa malorum certaminum esset, in voluntarium exilium Rhodum profectus est. Livii epit. LXIX. Ne dicam ab Atheniensibus accusatum Protagoram sponte exulasse: Arcadionem ob odium, quo Philippum regem prosequebatur, sibi exilium indixisse, ut ex Theopompo et Duri Samio l. VI. Athenæus scriptum reliquit. *Vertranius.*

CAP. 25. *De moderanda Papia Poppæa*] Lex apud veteres in multa fama et usu: de qua ubertim disserimus in Excurs. et multa ad Taciti aliorumque lucem, in C. Lipsius.

De moderanda Papia Poppæa] Observatum a doctis est, magnam Romanis semper conjugiorum curam fuisse. Hinc illa Censoria vox: *Ex animi tui sententia uxorem habes?* De qua formula M. Tullius 2. de Oratore, et Gellius x. 20. Inde quoque ficta lex ab ipso Cicerone, 3. de Legibus: *Cœlibes esse prohibento.* Pœna tamen pecuniaria erat. Val. Maximus l. II. 9. Multa hac de re sunt apud Xenophontem.* *Muretus.*

Incitandis cælibum pœnis] Putavi olim scriptum fuisse a Tacito, *incitandi cælibum pœnis:* id est, incitandorum cœlibum gratia. Multa enim ad eum modum scripta antiquis. Plautus Captivis, 'nominandi istorum.' Varro de re rust. 'Generandi animalium.' Cic. Phil. v. 'condonandi agrorum.' Gellius XVI. 8. 'Videtur eum librum scripsisse sui magis admonendi, quam aliorum docendi gratia.' Quem locum non erat, cur de mendo suspectum haberent. Vetus interpres Dyctis Cretensis, in quo multa proba et veteris notæ; sed pleraque depravata ab imperitis correctoribus: 'Missi ab Trojanis, qui peterent eorum, qui in bello ceciderant, humandi veniam.' Ita libri scripti; vulgo addiderunt vocem *corpora*, quibus insueta hæc locutio. Corippus l. XI. 'Et patrium diadema dedit, curasque regendi Imposuit rerum genitor, quas ipse creavit.' Et ad eundem modum in l. XXII. C. de admin. tut. *pecuniæ fenerandi* scrip-

tum est: 'Huc accedit, quod ipsius pecuniæ fenerandi usus vix diuturnus est.' Suetonium credunt ita locutum in Aug. 98. 'Exacta jocandi licentia, diripiendique pomorum, et obsoniorum, rerumque missilium.' Mihi non liquet, quoniam et libri quinque optime habent, *Missilia*, et inter eos fidelissimus ille Ranconeti, quem jam laudavi: et Suetonius solet *rerum missilia* dicere, non *res missiles*. Et hæc quidem ita sunt, sed quid ad Tacitum? qui neque eam locutionem usus alibi, neque hic secundo casu scripsisset *incitandi cœlibum*, et statim tertio, *augendo ærario*. Nihil melius quam quod notatum eruditissimo Lipsio, *Incitandis cœlibum pœnis*, non aliud esse quam augendis. Indixerat quidem pœnas, &c.* *Mercerus.*

Domus subverteretur] Vulgo, *subverterentur*. Manuscripto repugnante. Quod autem ait; *delatorum interpretationibus*, ostendit perplexitatem legis Poppææ. Ideoque inferius ait, 'exsoluti plerique legis nexus.' Seneca Contr. l. IX. 4. 'Scriptum legis angustum est, interpretatio diffusa.' *Pichena.*

CAP. 26. *Suopte ingenio peterentur*] Lego, *peterent*. Acidalius. Quæ præcedunt verba, *vetustissimi, &c.* et quæ sequuntur, *cuperent, &c.* postulant, ut legatur, *peterent*, non, *peterentur*: licet et hoc ferri possit. *Ursinus. Suopte ingenio* refertur ad *honesta*, non ad *vetustissimi*. Sic Liv. l. II. 'Sed curæ fuit consulibus et senioribus Patrum, ut imperium suo vehemens, mansueto permitteretur ingenio.' *Gronovius.*

Repertaque quædam] Deleo illud *que*. Muretus.

CAP. 27. *Saturnini*] De cujus morte Cicero in Oratione pro C. Rabirio perduellionis reo, prima in Catilinam, octava in Antonium. Livius l. LXIX. Velleius posteriori volumine. Plutarchus in Mario. Appianus l. I. de bellis civilibus: alii. *Muretus.*

Drusus] De quo Livius l. LXX. et LXXI. fuit defensor senatus adversus Servilium Cæpionem. Repertus domi mortuus. Extat ejus vox apud Florum, 'nihil se ad largitionem ulli reliquisse, nisi si quis aut cœnum dividere vellet, aut cœlum.' *Idem.*

Lepidi rogationibus] De quibus Florus l. III. et quædam Sallust. in Fragm. *Lipsius.*

CAP. 28. *Per* XX. *annos*] Per XXIV. *Muretus.*

Queis pace et principe] Corruptus et mutilus locus. *Muretus.* Interpretatur Rhenanus quibus juribus nos uteremur *pace et principe* existente. Triumviratus enim tempore, injusta nec pacifica erat dominatio: secus pace composita, ipsoque Augusto principe. *Pichena.* Et eorum loco jura constituit ita comparata, ut eorum beneficio certa restitutæ tranquillitatis, bonique principis utilitas ad civitatem pertingeret. Quidam accipiunt, quasi dictum esset, *se principe*, alii melius *sub principibus*: nam profecto non tantum in suum principatum, sed perpetuas leges Augustus tulit: quarum pleræque diu post eum valuere. Consentiunt huic opinioni ceteræ versiones, mihi videntur verba *principe uti* paulo acutiorem sensum habere. *Uti principe* non tantum est habere principem, sed etiam usum et utilitatem ex eo capere. Sic χρῆσθαι positum est in apophthegmate Catonis, quod l. XL. Dio refert: ἀγαθοῦ ἀνδρὸς εἶναι ἔργον, μήτ' ἀποδιδράσκειν τὴν προστασίαν τῶν κοινῶν, ἄνγε τινὲς χρῆσθαι αὐτῷ ἐθελήσωσι. *Si qui ipso uti velint.* Freinshemius. Non placet acumen intempestivæ adulationis. *Quibus uteremur*, est, quod cum Pomponio dicas, *aleremur*; regeremur, viveremus. *Pace*, id est, per pacem.* *Gronovius.*

Acriora ex eo vincla] Assentior Pichenæ, *artiora.* Lipsius.

Inditi custodes] Deleo *inditi*, et lego: *Custodes etiam L. P. P. P. inducti*,

et pro *visi*, *ut si*. Muretus.

Visi a privilegiis] Lego distinguoque, *inditi custodes*, *et lege Papia Poppæa præmiis inducti* (subaudi, *sunt illi custodes*) *si a privilegiis parentum cessaretur*. Aut, *sicubi a privilegiis parentum cessaretur*. Aut, *præmiis inducti vi*: veluti præmiis cogentibus. *Rhenanus*. Beatus in his emaculandis ingenium vexavit suum: Æmylius veritus est, ne quidpiam Corneliano scripto deesset: ego sic locum ex opinione nostra legenti in plano pono; *præmiis inducti*, *ne si a privilegiis parentum cessaretur*, *velut parens omnium populus*, *vacantia teneretur*. Vertranius. Divisis quæ oscitantia transscriptorum in unum coaluerant, *vi si a privilegiis*, ubi quæso corruptio? ubi obscuritas? Lex Papia Poppæa præmiis, et pœnis inducebat ad matrimonia contrahenda: ex pœnis (de quarum moderatione hic tantum agitur) una fuit, ne cœlibes testamento relicta capere possent, sed ea ad ærarium deferrentur. *Incitandis cœlibum pœnis*, *et augendo ærario*: quibus adtexe Cod. de infirm. cœlib. pœn. 'qui jure veteri cœlibes habebantur, imminentibus legum terroribus liberentur, atque ita vivant, ac si numero maritorum matrimonii fœdere fulcirentur; sitque omnibus æqua conditio capessendi, quod quisque mereatur.' Utraque sibi invicem prælucent, nec posteriora vulgo satis perspecta sunt τὸ *vi* pro pœna, sive suppliciis. Terent. Adelph. 'Qui imperium credunt gravius esse, aut stabilius vi quod fit, quam illud quod amicitia adjungitur.' Ordo denique verborum constat, nam finita digressione de origine progressuque legum, deque custodibus ab Augusto additis, quo ipsa firmius observarentur, redit ad narrationem Legis Papiæ, ejusque pœnas tantum recenset, quia solum de pœnis ejus minuendis tractabatur. *Salinerius*. Illud *visi*, mendosum est, proque eo Danesius, *nisi*, reponebat, ut totus locus ita legatur: *Acriora ex eo judicia*, *custodes etiam lege Papia Poppæa præmiis inducti*, *nisi a privilegiis parentum cessaretur*, &c. nam vocem, *inditi*, ex ea, quæ sequitur, *inducti*, repetitam esse suspicari possumus. *Ursinus*. Ægrotare hic mihi videtur Tacitus, etiam cum Lipsii medicina. Prius legebatur, *visi*, in Man. atque editis. Leviter ille immutat, facitque, *ut si*. Utcunque tamen sustinetur, ideo eam lectionem recepi. Taciti mens videtur, juxta Lipsii interpretationem: Ut si homines cessarent a matrimoniis, neque curarent fieri patres; tunc quidquid iis legatum aut relictum esset, vacans, sive caducum, quippe contra leges, haberetur, atque ad populum publicumque ærarium devolveretur. *Pichena*. Sententiæ cursus prono quasi alveo defluet, si emendaverimus, *ut si a privilegiis*, quomodo emendasse aliquem memini, sed quis, et ubi, non memini. *Gruterus*. Lipsius olim, *Præmiis inducti aut si a privilegiis*. Muretus tentavit: *acriora ex eo vincla*, *judicia*, *custodes*: *etiam lege P. P. P. inducti*, *ut si ap.* &c. Nondum te expedias, imo magis impedias. Mihi levissima mutatione sic videatur aperta et vera sententia confieri. *Acriora ex eo cuncta*: *indices odiis*, *et lege Papia Poppæa præmiis inducti*, *ut si a privil.* &c. *Ex eo*, cape exinde: ut Virgil. 'Ex illo fluere ac retro sublapsa referri Spes Danaum.' *Indices* vocat delatores et accusatores, qui propriis odiis, et mox præmiis lege Papia Poppæa constitutis inducti. Ex *vincla* feci *cuncta*. Ex *inditi custodes*, *indices odiis*. Quæ hic vis aut audacia? *Acidalius*.

Vacantia] Deficientia, caduca. Erant autem præmia delatorum ultra quartas. Sueton. in Ner. 10. 'Præmia delatorum Papiæ legis ad quartas redegit.' *Muretus*.

CAP. 29. *Capessendi vigintiviratus solveretur*] Vigintiviros aperuit nobis so-

lus Dio LIV. Triumviros Monetales, Triumviros Capitales, Quattuorviros Viales, Decemviros Stlitibus. Instituti sunt hoc numero ab Augusto (antea ad vigintisex erant) anno DCCXLI. Dionem adi, atque etiam Festum in voce Præfecturæ; cujus locum Cujacius emendavit l. XI. Observat. *Lipsius.*

Quinquennio maturius] Vides ergo, quam aberret vir doctus et Italiæ suæ Suada, qui negat legitimam ullam ætatem Quæsturæ fuisse. Fuit: præter hunc locum, Spartianus in Juliano: 'Quæstor, ante annum quam legitima ætas sinebat, designatus est.' Sueton. in Calig. c. 1. 'Quæsturam quinquennio antequam per leges liceret, et post eam Consulatum gessit.' Sed quænam illa? vide in Excurs. *D.* Idem.

Prætendebat sibi] Vide Dionem de Tiberio, l. LIII. in actis anni DCCXXX. de Druso, l. LIV. actis anni DCCXXXV. *Lipsius.*

Sibi] Dio l. LIII. *Muretus.*

Atque fratri] Druso. Dio l. LIV. *Id.*

Ac tamen initia] Attamen id fuit initium Cæsaribus ad summum fastigium, et tunc petente Augusto privignis Tiberio atque Druso quæsturam ante tempus, et solutionem XXviratus, respiciebant homines fere veterem morem: præcipue quia minor erat causa, leviorque conjunctio sanguinis Augusto cum Tiberio et Druso, quam Tiberio cum Germanico. *Ferrettus.* Muretus, *Hæc tamen.* Ego porro ex *magisque* faciam *quamvis* transpositione saltem literarum, et sic distinguam: *Hæc tamen initia fastigii Cæsaribus erant, quamvis i. o. v. mos, et privig. c. vitrico, &c.* Ita vera Taciti sententia exprimitur. *Acidal.*

Videbantur] Immo *videbatur;* nempe Tiberius. *Gronov.*

CAP. 30. *Affluentia luxu propior*] * Tacitus tamen alibi, *luxui,* dixit, ut l. XII. 'Non luxui aut voluptatibus assuefactus.' Lib. XV. 'aliquando luxui indulgebat.' *Pichena.*

Fato potentiæ raro sempiternæ] Sophocl. in Ajace, ὡς ταχεῖά τις βροτοῖς χάρις διαῤῥεῖ; *Quam velox mortalibus gratia effluit?* Et Ovid. Met. II. 'Nulla potentia longa est.' Horatius de fluxa mulierum fide ita scribit: 'Heu quoties fidem Mutatosque Deos flebit, et aspera Nigris æquora ventis Emirabitur insolens.' *Aurelius.*

An satias capit] Hujus vocabuli usurpatio Cornelium antiquarium ostendit, usum nomine, quod Accio Lucilioque, M. Varroni et Sallustio familiare Nonius testatur: ego his addo T. Lucretium ex l. V. 'Nil, ut opinor, ita ad satiatem terra ferarum.'* *Vertranius.*

CAP. 31. *Tam connexus*] Suspicor Tacitum scripsisse, *connexis.* Gronov.

Sive ut amoto] Hic omnino desideratur alia portio alternativæ orationis. *Ferrettus.* Non desideratur, etiamsi non apparet priori parti τὸ *sive* præpositum, quod Æmilio fraudi fuit. Sic Annal. l. II. 'visu sive metu credita.' Hoc facile alii assecuti. Sed vim τοῦ *meditans* haud scio an satis perceperint. Id enim est non cogitans, sed in antecessum experiens, prætentans, prægustans, et ei quasi proludens. Ut *meditari* dicimur, in quo nos exercemus ad discendum: et morbi genus in difficultate respirandi *meditationem mortis* vocat Seneca ep. 34. ubi notavimus. Pro eo *discere* ponit in Hercule Furente Somnum alloquens: 'genus humanum cogis longam discere mortem:' id est, meditari. *Gronov.*

Apiscendi favoris] Id est, obtinendi. *Apisci* namque, a quo *aptus,* idem Pompeio quod *adipisci* est. *Vertran.*

Loco non decessisset] Videri queat redundare vox *loco;* sed tantum videri: nam composita pro simplicibus sæpicule ponit noster, et *locus,* meis quidem auribus si absit, videatur magis loqui de eo qui non decesserit de via, quam qui non cesserit sede sua Corbuloni. *Gruterus.*

Memorabantur exempla majorum] Si animus est, consule Electa mea, capite de lictoribus: et adde quod in Plutarchi Gracchis scribitur, C. Veturio mortem illatam, quia Tribuno in forum venienti non decessisset. *Lips.*

Oratorum ea ætate] Dio l. VI. *Idem.*

CAP. 32. *Ut socordem*] Ἀβελτερον. *Muretus.*

Asiæ sorte depellendum] * provincia conjuncta. Invitis omnibus scriptis ita tenendum; nec magis Victorio ad edendum *fors* quam Gebhardo ad probandum *accidere* fuit intima causa. Sed et frustra captatur τὸ *depellere.* Neque enim id aliter dicitur quam *dejicere honore* Livio, l. XXXIX. ' Coierantque ad dejiciendum honore eum:' et *detrudere* Suetonio in Julio, *detrudendi Domitii causa:* non sane quem jam habebant, in cujus possessione erant, sed quem petebant, spe tantum et votis sibi despondebant. *Gronovius.*

CAP. 33. *Plura uxoribus objectari*] * illas Proconsulum uxores. Sic accipio Martialis epigramma: ' Gentibus in Libycis uxor tua, Galle, notatur Immodicæ fœdo crimine avaritiæ.' *Aurelius.*

Duorum egressus coli] Rari hoc ceperunt, quippe nihil habent de *egressu,* qui proprie hic perstringitur; et de quo etiam intelligendum hoc ex IV. 68. de Sabino: * decorabantur. Cujus rei plurima passim occurrunt exempla. De Cicerone, Druso, Gracchis quanta frequentia deducti sint aliquando, nota res. Id multo magis in provinciis factum credibile est, quum ab uno ibi penderent omnia. De ejusmodi cultu Martial. Epig. III. 36. ' Horridus ut primo semper te mane salutem, Per mediumque trahat me tua sella lutum.' *Freinshem.*

Vinclis exsolutis] Dubites, an non etiam *vinclis exsolutæ,* scribendum, ut *legibus constrictæ.* Ego amplius, annon inserendum etiam: *nunc vinclis exsolutæ non modo domos, fora jam et exercitus regerent.* Videtur sententia melior esse, et voculæ istæ perire facillime potuisse. *Acidal.* Plautus enim Truculento: ' At si verum eritis fassæ, vinclis exsolvemini.' Sed tamen noster supra, ' exsoluti plerique legis nexus;' infra, ' ad exsolvendum obsidium.' Unde apparet *exsolvere* interdum prorsus idem quod solvere. Statius; ' Saturnus mihi compede exsoluta.' Denique Tacitus Hist. l. III. ' vincitur: sed exsoluta statim vincula.' Inserere autem *non modo* incivile est. *Gronov.*

CAP. 34. *Multa duritie veterum*] Videtur legendum *duritiæ,* non, *duritie.* Ursinus. Lege: *Multa a duritie veterum in melius e. l. m.* Sic etiam Muretus. *Acidalius.*

Cetera promiscua cum marito] Hoc est quæ maritis darentur, etiamsi non adessent conjuges. *Freinshem.*

In modum dissidii obliterentur] Scribe *discidii:* hoc est, divortii. Quasi divortium cum eis factum esset. Ut l. II. 86. ' Agrippa discidio domum imminuerat.' *Gronov.*

CAP. 35. *Manium Lepidum*] Ita ex historia restituit Lipsius, et hic, et alibi. Vulgo *M. Lepidum.* Pichena. Sed hunc Marcum potius quam *Manium* dicendum non absurde pugnat Rupertus supra ad I. 12.

Sed neque eadem asseveratione, et consensu adulantium] Quid velit Tacitus, satis video: sed hoc ita sit expressum, ut ille voluit, nec ne, parum mihi liquet. Contrarium enim verba menti sonare videntur. Si *auditus est consensu adulantium,* videtur ei contigisse, quod desiderare se fingebat, et valuisse excusatio. Valde itaque mallem; *et consensu adulantium adjutus est.* Intellige, visa est frangi et expugnari ejus modestia, ut honestius remitteret, ac delatum honorem susciperet. Non ita intente serioque sese excusavit: et ut majori cum specie desisteret, subvenerunt pudori ejus et juverunt eum quasi cuneis factis obturbantes per adulationem et

cogentes scilicet judicio Cæsaris et senatus cedere. Ut lib. I. 'Remisit Cæsar adroganti moderatione.' Lib. XII. 'Et Cæsar adulationibus senatus libens cessit, ut vicesimo ætatis anno consulatum Nero iniret.' Hi non *auditi* sunt: quippe orationi eorum repugnabatur: sed *adjuti* in eis, quæ specie recusantium flagrantissime cupiebant. Verbum sic habes undecimo extremo: 'Juvitque ejus oblivionem Senatus.' Lib. XII. 3. 'Prævaluere hæc adjuta Agrippinæ illecebris.' Et eodem c. 61. 'Claudius facilitate solita, quod uni concesserat, nullis extrinsecus adjumentis velavit.' Suetonius Vitellio: 'Neroni acceptior peculiari merito, quod præsidens certamini Neroneo, cupientem inter citharœdos contendere, nec quamvis flagitantibus cunctis promittere audentem, ideoque egressum theatro, revocaverat quasi perseverantis populi legatione suscepta, exorandumque præbuerat.' Hic quoque adjutus, non auditus. Noster quoque lib. XIV. 'Atque eum auctore Burrho prima centurionum tribunorumque adulatio firmavit.' Et hoc adjuvandi genus. *Gronov.*

CAP. 36. *C. Cestius Senator*] Nescio an moris Tacito inter titulos addere, *Senator*. Et quid hic opus? aut quis nesciat in Senatu non nisi Senatorem disseruisse? Ambigo (non enim affirmo) an non *Senior* substituendum: ad discrimen: quia reperio illo ævo duos Cestios fuisse, patrem et filium: libro VI. infra, 'Admonuit Cestium patrem.' An magis placet, *Senatu?* quod esset in Senatu: elleipsi Tacito percrebra. *Lipsius.*

C. Sestius Senator] Suspectus Lipsio titulus iste, *Senator*, cum sit clarum, in Senatu non nisi Senatorem disseruisse. Neque ego aliter sentio: tamen locum similem in Tacito observavi, Annal. l. I. prope finem, ubi ait: 'Inter quæ Pius Aurelius Senator, questus:' nam et ibi res in Senatu agebantur. Ergo videat lector, sitne utroque in loco librarii error, an Tacitus Senatoris titulum addat, forte ad differentiam aliorum ejusdem nominis et cognominis, qui Senatores non erant. *Pichena.*

Audeat jus experiri] Mihi vera visa est interpretatio, cujus auctor jam non succurrit, quem tamen (neque enim me diu fallere poterit,) alibi laudare non omittam: illius igitur opinionem meis verbis exposui: et mox cum eodem *vinctam* quam *convictam* malui. Nec enim aut cognitione opus erat, aut si fuisset, ille cognoscendi locus, illudve tempus habebatur. Sed ultio poscebatur, in damnata, et manifesto noxia. *Freinshemius.* Olim tuebamur hunc locum Observ. II. 2. quo vise, si tanti est. *Gronov.*

CAP. 37. *Diem ædificationibus*] Verane hæc lectio? si est, interpretor in Druso notari studium ædificandi, et crebras insanasque substructiones: ex sententia scriptoris Græci apud Suidam: Οἰκοδομήματα Ἀσσύρια καὶ δαπανηρὰς λειτουργείας χαίρειν ἐάσαντας χρὴ τοὺς ἄρχοντας ἄρχειν. Ψεκτέον γὰρ, ὁ ἄρχων ὁ χαίρων οἰκοδομήμασιν εὐπρεπέσιν. Nam hoc tolerabile, præquam illud Ferreti: 'Ædificationibus,' ait, 'pro eo quod est emendandis rebus: nisi in verbo mendum sit.' Sed est profecto, me quoque judice, mendum. Quis enim apud Romanos viro principi ædificationes vitio dedit? laudi potius: ut M. Agrippæ, Augusto, aliisque. Et ut vitium sint: quis scriptor id prodidit de Druso? cujus monumentum ullum ædificiumve suspicione non tango. Lego, *editionibus:* convenienter sane ad Drusi mores. Nam Editiones, * &c. *Lipsius.*

CAP. 38. *E primoribus Macedoniæ*] Forsitan scriptum erat *e pr. Macedoniæ*, hoc est, *e provincia Macedoniæ.* Muretus. Quasi non Suetonius in Octavio 79. 'Ut quidam e primoribus Galliarum confessus sit inter

suos,' &c. Id. Tib. 49. 'Præterea Galliarum et Hispaniarum, Syriæque et Græciæ principes confiscatos.' *Gronov.*

Cotye fratre] Scriptum erat *FR. F.* id est, Fratris filio. Putarunt librarii esse *fratre* legendum. *Muretus.* Vacillationis hic Tacitum arguit Lipsius, et humani aliquid passum esse: qui fratrem Rhescuporidis Cotyn dicat, quem l. II. fratris filium fecerat. Liberat hac culpa Muretus, scribens, *Cotye Fr. F. interfecto.* Et verisimile est has olim notas a librario non intellectas, aut alteram neglectam: atque hinc originem mendi. *Acidal.*

Cælaletæ, Odrusæque, et alii] A Plinio *Celætæ* dicuntur: a Dione l. LIV. Σιαλέται, sed corrupte. Qui autem, *Alii?* Populi nomen, sed perversum. Placuit in Epistolicis, *Astii*, reponi: et caussam vide. At nunc verum censeo, *Dii:* quæ vox abiit in *alii:* linea tantum diducta. Similis error notatus mihi infra, in Agricolæ vita. Dii autem, montani Thraces. Locuples auctor Thucydides l. II. Παρεκάλει δὲ καὶ τῶν ὀρεινῶν Θρᾳκῶν πολλοὺς,... οἱ Δῖοι καλοῦνται, τὴν Ῥοδοπὴν οἱ πλεῖστοι οἰκοῦντες. *Lipsius.*

Odrusæque et alii] Apposui in margine vocem, *Dii*, juxta postremam Lipsii correctionem. *Pichena.* Muretus, *Odrusæ, Setalii, validæ nationes.* Nondum mihi noti *Setalii.* Acidal.

Philippopolim] Describit eam Strabo l. VII. in Astorum regione: Ὑπέρκειται δὲ τοῦ Βυζαντίου τὸ τῶν Ἀστῶν ἔθνος, (ex Livio, Ἀστίων leg. esset) ἐν ᾧ πόλις Καλύβη, Φιλίππου τοῦ Ἀμύντου τοὺς πονηροτάτους ἐνταῦθα ἱδρύσαντος· id est: *Superjacet Byzantium Astorum gens, in qua opidum Calybe, in qua Philippus Amyntæ F. pessimos quosque collocavit.* Dicta eadem est, Trimontium, Poneropolis, Δουλώπολις, caussis claris e Strabone. *Lipsius.*

A Macedone Philippo sitam] Sunt qui emendant dextre admodum, repetita syllaba prioris vocis, *Philippo positam.* Sed ex supervacuo: nihil enim priori forma frequentius auctori nostro, ut exemplis multis prodidit doctissimus Rhenanus. Sed et nos idem vocis tuemur infra Hist. IV. 23. *Gruterus.* In indice Floriano, voce *Ponere*, ostendi legendum *Macedoni Philippo sitam.* Sicut VI. 41. 'Urbes Macedonibus sitæ.' Vide et supra ad II. 7. *Freinshem.*

CAP. 40. *Et majorum bona facta*] Forte, *bene facta.* Rhenanus.

Cum id rarum] Hoc est, quo tempore adhuc rarum erat: id quia non expresserunt plerique, videntur contra notissimam veritatem affirmare Taciti adhuc ævo rarum fuisse: quod mirere; quum constet istis temporibus totas nationes in civitatem Romanam fuisse receptas, præsertim sub Claudio. Unde jocus Senecæ in Apocolocynt. 'Sed Clotho: Ego me hercule, inquit, pusillum temporis adjicere illi volebam, dum hos pauculos, qui supersunt, civitate donaret. Constituerat enim omnes Græcos, Gallos, Hispanos, Britannos togatos videre.' *Freinshem.*

Per conciliabula et cœtus] *Conciliabula* non tam ob minorem convenientium numerum dicta sunt, quam quia clandestino coibant, honesta *conciliorum* appellatione indigna judicabantur. Non enim semper vocabuli diminutio rem quoque minorem arguit: sed interdum per contemptum id schema usurpatur. Verbi gratia *adolescentulus*, apud Tacit. I. 59. *Tiberiolus* VI. 5. Diverso genere peccant, qui *conciliabula* non distinxerunt a legitimis et justis conciliis. *Freinshemius.*

Libertati tempus] Mallem, *libertatis.* Pichena.

CAP. 41. *Andecavi*] Legendum est *Andegavi.* Muretus.

CAP. 42. *Vulgus obæratorum*] Non adsentior viro doctissimo, qui illustrando huic loco mittit nos ad Varronem de re rust. I. 17. Nam quod ibi legimus, *quos obæratos nostri vocitarunt*, nihil ad Taciti et Cæsaris o bæ

ratos. Et aperte scribendum *operarios*, ut ex serie totius capitis clarum, manuducente vetere scriptura, *oberarios*, quam et optimus atque eruditiss. Victorius e suis libris adnotavit, et ego ipse legi in optimo Regiæ bibliothecæ libro, qui per omnia fere similis optimo illi Victoriano; hoc melior quod postrema pagina in eo superest, quæ abfuit ab altero, et quia abfuit, extrema Varronis librorum clausula corruptissima, quam juvabit obiter restitutam hic dare. Editur vulgo: ‘Nos hæc; at strepitus a dextra, et eccum recta candidatus noster designatus ædilis, cui nos occurrimus, et gratulati in Capitolium prosequimur: ille inde eundo suam domum, nos nostram. Opinionis nostræ sermonem de pastione villica summatim hunc quem exposui habeto.’ At quanto melius in illo veteri: *Et cum lata candidatus noster designatus ædilis se in villam: Cui nos occidimus, et gratulati in Capitolium prosequimur: ille inde endo suam domum; nos nostram. Opinioni noster sermone de pastione villatica summatim hoc quem exposui habito.* Egregie, si addas scribendum, *nos nostram o Pinni noster.* Nam hic liber scriptus ad Q. Pinnium; ut primus ad Fundaniam uxorem, alter ad Turranium Nigrum. *Endo suam domum*, habet ab Ennio. *Occidere* pro occurrere, notum ex Festo et Plauto. Jam illa, *se in villam*, eleganter addita, quia illi in villa publica, ubi expectavere candidatum: dixerat enim ‘Respectantibus nobis, quod eo candidatum nostrum venturum sciebamus:’ nam ita scribendum, non *et candidatum*, ut vulgant. Unum est in veteri scriptura, quod nondum intellexi, quid sibi velint illa, *cum lata*, nisi sit, cum lata turba. Sed de hoc quæramus amplius. At de toto capite 17. libri primi, et de operariis illis, plura alio loco. *Mercerus.*

Cap. 43. *Nobilissimarum*] Manuscripti lectionem, licet corruptam, referre malui, quam *nobilissimam*, scribere, sicuti olim fuerat emendatum. Mihi certe legendum videtur, *nobilissimamque*, quod et scripturæ veteri propius, et copulam hic necessariam censeo: ut Sacrovirum duo occupasse dicat, oppidum, et juventutem. *Pichena.* Lipsius, *Et nobilissimam.* Si nihil plus desit, potius erat inseri, *ob nobilissimam.* Acidal. Lege, *Et nobilissimam Galliarum subolem studiis ibi operantem.* Qui enim *operati studiis*, aberant tum haud dubie Augustoduno. *Operantes* igitur *studiis* deprehendit, occupavit, et velut in custodia habuit. Τὸ *et*, quod inseruimus, haud dubie ultima syllaba præcedentis vocis hactenus absorpsit. *Boxhornius.* Quasi *operati studiis* dici nequeant, qui cum maxime studiis attendunt. Livius l. IV. ‘rem familiarem saltem acquiescere eo tempore, quo corpus addictum atque operatum reipubl. esset.’ Plinius XXVI. 2. ‘sedere in scholis operatos.’ *Gronov.*

Liberalibus studiis ibi operatam] Digna res nota, quod jam tunc ea urbs hospitium Musarum. Nam Rhenano quæ læva mens fuit, cum gloriam eam transferre voluit ad Augustoclivienses? Scilicet indigni hac gloria nos Galli. Tueor et retineo in Excurs. *H.* Lipsius.

Gladiaturæ destinati] E Gallia genus gladiatorum, qui Mirmillones: quorum arma hic descripta. Vide Saturnalia nostra. *Lipsius.*

Quibus more gentico] Legerem, *quibus more gentis*, &c. nisi l. v. sic quoque loqueretur, ‘Quorum sceptuchi utrinque donis acceptis, more gentico, diversa induere.’ Sed suspicor hanc elegantiam librario ferendam acceptam. De qua re mentem nostram aperuimus in Annotationibus constructionum locutionumque quibus Tacitus utitur. *Rhenanus.* Tertullianus de anima: ‘pro gentica, pro avita, pro publica aut privata devotione.’ Habet etiam Avienus Festus

in Ora Maritima. *Gronov.*

Crupellarios vocant] * Sane ex Taciti narratione non colliges pugnasse eos ex equis. *Lipsius.*

Crupellarios vocant] Forsitan leg. *clibanarios*, ut et alii annotarunt. Ammian. Marcell. l. XVI. Vide et Nazarium in laudatione Constantini. Talium mentio et apud Plutarchum in Lucullo. *Muretus.*

Ut nondum aperta consensione] Leg. *aperte:* et Muretus ita. *Acidal.*

Viritim promptis studiis] Non interpretati sunt, *viritim*, ut vellem. Videntur enim omnes dicere privatos causæ Æduorum favisse; at Tacitus nihil aliud quam hoc ipsum: publico consilio, * &c. *Freinshem.*

Cruentas epistolas] Principum rescripta, quibus scilicet illi vel ad præsentium postulata, vel ad absentium consultationes respondebant, Epistolæ dictæ. Habemus ex Jurisconsultis l. I. D. de constit. Princip. et exemplum in l. sed addes, 19. §. 3. D. locat. l. divi fratres, D. de jure patron. l. III. D. de testib. Sanctio etiam imperatoria, *Epistola* quandoque dicta. Ita *Epistola* D. Adriani de peculio dividendo inter mandatores et fidejussores, cujus fit mentio l. fin. C. de constit. pecun. Itaque Cornelius Tacitus, * &c. *Donatus.*

Altitudine animi, an compererat] Varro l. v. de Ling. Lat. 'Quintanæ an septimanæ sint futuræ.' Tacitus l. II. 'Metune invidiæ, an ratus conscientiam facti, satis esse.' Et lib. XII. 'Socordiane Claudii an vinolentia?' *Aurelius.*

CAP. 45. *Quanto intolerantior iterum servitus victis*] Non puto aut apud hunc aut alios historicos reperiri id genus ex participiis verbalia sensu passivo. Quare præferam *intoleratior* ἀτλητότερος. Sic lib. XII. 'Tanto toleratiora capesseret.' *Grotius.*

CAP. 46. *Neque oculis neque*] Sallustianum est apud Nonium: 'Formidine attonitus, neque animo, neque auribus, aut lingua competere.' Etiam tale hoc Livii l. v. 'Romani ne auribus quidem atque oculis satis constare poterant.' *Lipsius.*

Et fugientibus consilite] Livius lib. XXIV. 'Jussi et duces ordinum Præfectique auxiliorum simul consilire.' Vulgo legitur *consulere.* Putatur ea vox legi etiam l. v. 'Aliosque occultos consilit,' sed male. *Muretus.* Ex loco inferiore, qui est l. v. 'aliosque occultos consilit,' &c. videtur hic scribendum; *et fugientes consilite, &c.* Ursinus.

Ingens ad ea clamor] Gellius I. 11. 'Quid ille vult ardentissimus clamor militum Romanorum, quem in congressibus præliorum fieri solitum, scriptores Annalium memoravere?' Cato Porcius apud Plutarch. dicebat, in præliis solere se 'clamare acriter, ferire fortiter, nunquam recedere turpiter.' Livius lib. XXXIII. 'Raro alias tantus clamor dicitur in principio pugnæ coortus: nam forte utraque acies simul conclamavere.' Vetustissimus est clamor iste militaris, et Hebræis quoque Græcisque usitatus. *Aurelius.*

CAP. 47. *Omissa urbe*] Parum attento lectori, aliquod verbum deesse videbitur huic sententiæ: quæ tamen plenissima est, si superiora respicias. Subintelligitur enim, id scilicet ad bellum proficisci principibus minime decorum esse levibus causis. *Pichena.* Non est oratio integra, ut excusa est. Lego igitur, *Neque decorum principibus, si una alterave civitas turbet, omisisse urbem, unde in omnia regimen.* Quod egregie dictum a Tiberio. Nam 'celsior fortuna celsa loqui et sentire debet.' Am. Marc. 17. et istud est, quod Cicero tantopere arguit Pompeium, quod omiserit urbem, qua relicta tota respublica periit. *Aurelius.* Malim *omisisse urbem.* Freinsh.

Quia non metu ducatur] Muretus e regione vocum, *quia non metu ducatur,* stellulam adpinxerat. Mihi integer

locus videtur, si *motu* pro *metu* legas. Excusat Tiberius non Majestatem imperii Romani decuisse, ut turbantibus una alterave civitatibus omissa urbe in bellum ipse iret: nunc, quando non motu aut turbis eo ducatur, iturum ut præsentia spectaret et compararet. *Motum* sic frequentissime Tacitus. Paulo ante: 'In tanto rerum motu.' L. I. 'Eo in motu arguere Germanicum omnes.' Sic idem sæpe 'res motas.' *Acidalius.* Nunc autem, quia nulla credendi occasio esset, quasi metu et solicitudine, ne respublica detrimentum ab hujusmodi hostibus acciperet, id facturus esset, velle se proficisci, &c. *Freinshem.*

Cap. 48. *Homonadensium castellis*] Vide Strabonem l. XII. *Muretus.*

Coluerat] Omnibus officiis prosecutus fuerat. *Freinsh.*

Incusato M. Lollio] Ita emendavi olim, cum vulgo esset *M. Folio.* Hausi emendationem facile ex historia, quæ apud Suetonium: 'Namque privignum Cajum Orienti præpositum, cum visendi gratia trajecisset Samum, alieniorem sibi sensit ex criminationibus M. Lollii comitis et rectoris ejus.' Item Plinium l. IX. et Velleium l. II. Fuit enim hic Lollius C. Cæsari rector, quo more principibus juvenibus etiam nunc dantur: et post illum P. Sulpicius Quirinius, Tiberio amicus. Causa errori, quod in priscis libris sine geminatione fere, *Lolio.* Lipsius.

Cap. 49. *C. Lutorium Priscum*] Vulgo, *Clutorium.* Sed Dio auctor sic emendandi, apud quem est, *Γάϊος Λουτώριος.* Error ex adhæsu notarum, ut infra *Pantejus,* qui est P. Antejus. Mentio hujus aut alterius Lutorii apud Plinium l. VII. 29. ubi tamen male, *Sutorio Prisco.* Lipsius.

C. Lutorium Priscum] Dioni et Xiphilino *Γάϊος Λουτώριος Πρίσκος* hic est: lectione dixerim eo veriore, quod prænomen equiti Romano tribuit. *Vertranius.*

Cap. 50. *In integro est*] Sententia mihi mallet, *esto.* Lipsius.

Cap. 51. *Ante diem decimum*] *'sententiam trahit.' Hæc satis certa videbantur. At turbant me Declamatores: inter quos Quinctilianus Themate declamationis CCCIII. 'Damnatorum,' inquit, 'supplicia in diem tricesimum differantur.' Et in ipsa Declamatione: 'Et mihi videtur ideo constituta esse lex, quæ damnatum post tricesimum diem puniri voluit: quoniam videbat legum lator posse fieri ut deciperetur accusator.' Item Calpurnius Flaccus (Pithœo nostro auctores hos debemus) Declamat. XXV. 'Pœna raptoris in diem trigesimum differatur.' Nam vixisse istos ante Theodosii longe ævum, satis claret. An igitur exolescentem rettulit dumtaxat ratamque Tiberianam legem habuit Theodosius, et in Tacito, Dione, Seneca, suspicamur de mendo? An potius Declamatores illi in transscribendo vitiati a posteris sunt, et ad posteriorem illam legem aptati? Mehercle hæreo, eo magis, quod Quinctilianum illum Augusti ævo vixisse volunt: quod ex hoc loco non potest. *Lipsius.*

Cap. 52. *Ne princeps antiquæ parsimoniæ*] Rhenanus aliique ipsum secuti hunc locum sic construxerunt, ne princeps durius adverteret antiquæ parsimoniæ. Mihi videtur Tiberium ipsum appellari 'Principem antiquæ parsimoniæ,' quod ex historia clarum, et testatur Tacitus l. IV. 'Rari per Italiam Cæsaris agri, modesta servitia, intra paucos libertos domus.' Similis loquendi modus est l. XII. 'Libertinus sestertii ter millies possessor, antiquæ parsimoniæ laudibus cumulabatur.' *Pichena.*

Nec mediocribus remediis sisti posse] Corruptus hic quidem est Man. *remedii isti:* qui tamen ad veram lectionem aperit viam, *remediis sisti.* Nam Tacito familiaris loquutio lib. XIV. 'Nec jam sisti potuerat.' Lib. XV. 'Neque tamen sisti potuit.' Hist.

lib. v. 'nec sisti poterat.' Et fortasse a Livio sumpsit, qui lib. III. ait: 'non ita civitatem ægram esse, ut consuetis remediis sisti possit.' *Pichena.* Vide nostra ad Livium l. IV. 12. *Gronovius.*

Num coërcitio plus damni in remp. ferret] Quæritur cur luxus coërcitio majus damnum reip. afferat, cum contra, idque plurimis rationibus, utilissima videatur. Respondet ipse Tacitus infra: 'Si quis legem sanciat, pœnas indicat, iidem illi civitatem verti, splendidissimo cuique exitium parari, neminem criminis expertem clamitabunt.' *Pichena.*

CAP. 53. *Viri strenui*] Plerique, diligentes, aut quid simile: tamquam eo respiceretur, quod in administrando Magistratu suo strenuos se præberent. Sed magis est, ut citra hunc aspectum, titulus iste his temporibus hujus et paris dignitatis hominibus tribui consueverit. Idque patet ex adjectione *viri*, 'Viri strenui ædiles.' Sic Cic. pro Cluentio c. 8. 'Asturius, vir fortis, et experiens, et domi nobilis.' Atque idem alibi 'Virum fortem ac strenuum' C. Cæsarem nominat. Jam tum enim cepit, sobriis quidem et verecundis primordiis, illa titulorum luxuria, quæ postea, ut ex historiæ Augustæ scriptoribus librisque juris constat, immensum aucta est, nostræque adeo ætati, amissis ereptisque pridem rebus, ingentem inanium vocabulorum thesaurum reliquit. *Freinshemius.*

Promiscuas viris et feminis vestes] * Plura pete e Clem. Alexandr. l. III. Pædag. c. 3. cujus index, πρὸς τοὺς καλλωπιζομένους τῶν ἀνδρῶν. *Lipsius.*

Promiscuas viris] Vide Senecam epist. 123. et Clementem l. III. Pædagogi. *Muretus.*

Lapidum caussa pecuniæ] Gemmas intellegit, et inprimis uniones: quorum feminis ad inaures creber usus. Vide Excurs. *I.* Lipsius.

CAP. 54. *Vita populi Rom. per incerta*] Patet *vitam pop. Rom.* appellari commeatus, quibus illa sustinebatur, quique ex transmarinis provinciis Sicilia, Ægypto, Africa subvehebantur. *Freinshemius.*

Simultates faciunt] Jos. Mercerus, *fugiunt:* at ego *faciunt*, verum puto. Semina simultatum illi spargunt, me volunt colligere acerbos fructus. * Nihil quidem nunc actum, Tacitus ita clare dicit, et post orationem etiam ostendit, ut calumnia sit aliter interpretari. Et age, dissentiat a Suetonio: an rarum est? *Lipsius.*

Simultates faciunt, ac mihi relinquunt] Curiose inquirenti mihi olim in hanc sententiam, visum mendum, et probavi doctis: nunc, nisi fallor, veram medicinam vidi. Rescribendum, *simultates faciendas mihi relinquunt.* Fons mendi ex veteri scriptura, *faciundas.* Ædiles incusaverant luxum generali oratione, gloriamque ex eo apti. Remedium ei malo in singulorum correptione, quod plenum invidiæ et simultatum Senatus ad Principem retulerat. Ille ambigua, ut solebat, oratione primum excusat in universum emendari posse. Sub finem, iisdem, qui gloriam ex reprehensione vitiorum quæsiverant, relinquit emendationem singulorum, hoc est, *simultates faciundas.* Et ne coacti videantur, vult videri relictum hoc ipsorum arbitrio, si pares se judicent tantæ rei. * *Mercerus.* Advolavi et ego, muscæ more, ad ulcus istud, et putabam membrum sanum statim exhiberi posse, recisis voculis binis *faciunt ac:* verum jam fero vulgatum; ut dicat Tiberius initium simultatum oriri quidem ab ædilibus: sed excuti statim deinde, et transferri cum augmento in se exsecutorem talium. Simile huic, quod supra, Ann. II. 38. 'Urgere modestiam Senatus, eandem vim in me transmittere,' &c. *Gruterus.* Sensus postulat *faciundas mihi relinquunt.* Postulant illi Senatusconsulta acria: deinde negligunt ea

exsequi, Cæsaremque ea cura offensionibus plena onerant. Similis sensus l. VI. 'Neque emtio agrorum exercita ad formam Senatus consulti, acribus, ut ferme talia, initiis, incurioso fine.' *Grotius.*

CAP. 55. *Remissa ædilibus*] Si *remissa* sic explicamus, ut ædiles ab ejusmodi cura demoti sint, quid Suetonio respondebimus: *dato ædilibus negotio popinas ganeasque usque eo inhibendi, ut ne opera quidem pistoria proponi venalia sinerent.* Si autem permittendi significatu, sicut illud, *Manibus et cineri* (*si qua est ea cura*) *remitto;* alio in luto versamur, nam ædiles solentes incumbebant in curam annonæ, et cibariorum. *Annonam curamus, et ædilem gerimus* ait amicus Apuleio, qui pisces nimis caros præstinaverat. Nec dicemus (nisi subfrigide) nonnulla quibusdam permitti, qui ea per se jam facere poterant. His igitur evitandis accipiamus *remissa*, id est, rejecta denuo in ædiles: ii enim Senatum, Senatus Tiberium consuluere, a quo ædiles jussi sunt propriam curam subire. *Remittere* dicta significatione, *integramque causam ad senatum remittit.* At contentiosis τῇ ἀντιπτώσει satisfaciemus. *Salinerius.*

Rerum adeptus est] Faciebam olim, *rem Romanam adeptus:* nunc non muto. Est archaismus, et sic dictum, ut 'Rerum potiri.' Nam ita l. VI. 'Nihil abnuentem, dum dominationis apisceretur.' *Lipsius.*

Quis Sergius Galba rerum adeptus est] Notha sunt viro doctissimo, qui restituit ab ingenio: *rem Romanam adeptus est.* Non σολοικίζει Tacitus, sed θουκυδιδίζει, apud quem legimus: ὁ δῆμος εὐθὺς ἀναλαβὼν τὰ ὅπλα περὶ ὀργῆς ἐχώρει ἐπί τε Πελοποννησίους καὶ τὰ ἐναντία σφίσι μετ' αὐτῶν πράξαντας, καὶ προσπεσόντες τρέπουσι ἅμα μὲν μάχῃ αἰφνιδίῳ, ἅμα δὲ τοῖς Ἀθηναίοις τῶν πυλῶν ἀνοιγομένων φοβηθέντων· i. e. *populus armis ocius arreptis animo irato in Peloponnesios ferebatur, inque suos, qui diversæ factionis erant, et facta impressione vertunt in fugam cum prœlio repentino, tum portis Atheniensibus apertis territorum.* Ad quæ Scholiastes φοβηθέντων ἀντὶ τοῦ φοβηθέντες· lege meo periculo φοβηθέντας. Similia Latinis auribus Afranius obtulit apud Nonium: 'Optandum uxorem, quæ non vereatur viri.' Verum hæc nobis in mundo sunt, ne foras quæsitum eamus. Tac. Ann. VI. 'nihil abnuentem dum dominationis apisceretur.' *Salinerius.*

Plebem, socios, regna colere] Id est, demereri, θεραπεύειν. *Freinshem.*

Verum hæc nobis] In funesto hoc loco olim conclamavi. Forte, *nobis in majores:* id est, adversum majores: medicina, quæ huic mortuo non faciet vitam. *Lipsius.*

Verum hæc nobis majores certamina] Quid si legatur, *erga majores certamina.* Rhenanus. Scribo, *nobis in majores.* Vertranius. Faërnus addebat vocem, *adversus*, et ita legebat: *Verum hæc nobis adversus majores, &c.* Sed incertum, utrum ea lectio ex conjectura sit, an ex vetere aliquo libro *Ursinus.* Ea quibus de virtute cum majoribus certamus, nec cedimus: quod optat haud ignarus cum Venusino vate vitii naturæ humanæ, 'Mox daturos Progeniem vitiosiorem.' Convertit se ad majores, ut infra ad Romanos omnes Hist. III. 'quibus armorum causis, quo tantæ cladis pretio pro patria pugnavimus?' Verum in quem usum timor iste? jam eo sub Domitiano ventum erat, ut nil pejus timeri posset. Juv. Sat. I. 'Nil erit ulterius, quod nostris moribus addat Posteritas, eadem cupient facientque minores.' Non hæc, non Annales Tacitus vivo Domitiano composuit, sed eo mortuo, cum jam virtutes quasi postliminio sub optimis principibus redirent. Ann. XI. 'utriusque principis rationes prætermitto satis narratas libris, quibus res Domitiani imperatoris composui.' Et in Agricol.

'nunc demum redit animus, et quanquam primo statim beatissimi seculi ortu Nerva Cæsar res olim dissociabiles miscuerit, principatum et libertatem.' Quid autem virum doctissimum sollicitavit? Davus ego, non Œdipus, nescio. *Salinerius.* Pulcerrime: sed obscure nonnihil. Lipsius illud bene addit: *Verum hæc nobis in majores.* Ego τὸ *verum* transposuerim ita: *verum nec omnia apud priores, &c.* Huic sententiæ porro similis est alia Taciti Ann. II. 'Omnia, Patres conscripti, quæ nunc vetustissima creduntur, nova fuere. Inveterascet et hoc quoque, et quod nunc exemplis tuemur, inter exempla erit.' Sed plane geminus ille Synesii locus Epist. 57. Πολλὰ τῶν δεόντων χρόνος ἐξεῦρε, καὶ διωρθώσατο· οὐχ ἅπαντα πρὸς παραδείγματα γίνεται, καὶ τῶν γενομένων ἕκαστον ἀρχὴν ἔσχε. Ἡμεῖς ἀρχὴν δῶμεν ἔθει βελτίονι: *Multa rerum utilium tempus invenit aut correxit. Non omnia ad exempla fiunt, et singula, quæ facta sunt, initium semel habuerunt. Demus et nos principium meliori consuetudini.* Contra tamen nonnihil Cassius Cornelianus Annal. XII. 'Non quia dubitarem super omnibus negotiis melius atque rectius olim provisum, et quæ converterentur, in deterius mutari: sed ne nimio amore antiqui moris studium meum extollere viderer.' *Colerus.* Lipsius funestum hunc locum jam olim conclamavit. Idem tamen tentat, *nobis in majores:* sed medicina, ut fatetur ipse, quæ huic mortuo non faciet vitam. Tentabo et ego, nec scio an depositum excitabo: lege: *posteris tulit: quorum hæc nobis in majores certamina ex honesto maneant.* Optat Tacitus ut sui sæculi morem certandi cum majoribus posteri etiam in se æmulentur. *Nobis maneant certamina,* phrasis nota et perspicua. *Acidalius.*

CAP. 57. *Publicis privatisve monimentis*] Legendum videtur, *privatisque.* Pichena. Muretus, *Privatisque,* rectius. *Acidalius.*

Atque Haterius] Non dubie scribendum, *At Q. Haterius,* idque illi prænomen. Simile in Suetonii Vitellio mendum c. 1. 'Exstatque elogii ad Q. Vitellium libellus.' Scribo, *exstat Q. Longini:* vel ut Muretum video velle, *Q. Clodii.* Lipsius.

At Q. Haterius] Ita Lipsius correxit ex historiæ fide. Male antea, *Atque Haterius.* Pichena. Conjeceram olim, *Æque Haterius,* sed ut attendo magis facto M. Silani, non id tam risum merebatur quam indignationem: itaque qui notam eam leget in Suspicionibus, ei notam adponat, amplexus omnino Lipsianam emendationem, *At Q. Haterius.* Gruterus.

CAP. 58. *Ut Asiam sorte haberet*] De hac sortitione dictum supra III. 32. et hinc etiam intelligi potest, de sorte jam adquisita, non demum fortunæ favore obtinenda hic agi; sane enim impudens alias erat postulatum, ut *Asiam forte haberet.* Neque moveor, quod opponi posset, si provinciam obtinere prohibiti fuissent flamines, ne quidem ad sortem admitti debuisse. Primo enim exemplis veterum ostenditur, eos ipsos, qui in provincias ire prohibiti fuerant, sortitos fuisse; imo ne prohiberi quidem potuisse ne irent, nisi fuissent sortiti. Vide infra V. 71. Deinde potuit accidisse, ut sortiti quidem essent nemine prohibente, vel quia provinciæ intra Italiam evenire possent (vide Mæcenatis orationem in Dione l. LII.) vel etiam incuria cærimoniarum, quarum demum admoneri contigerit homines, quum viderent in provinciam profecturos eos, quos minime oportebat, etiam fortassis, ut fit, invidia aperiente oculos. *Freinsh.* Freinshemius mirifice παραφράζει: Ser. Maluginensis qui flamen Dialis sive sacerdos Jovis erat, postulavit, ut in Asiam, quam erat sortitus, mitteretur. Putasne Taciti mentem hunc intelligere? Hoc ipsum, ni fallor, controversum erat, an posset *sortiri,* h. e.

Proconsul fieri? *Rupertus.* Non difficilis hic nodus, si memineris, quæ ad caput 32. monuimus. Asia et Africa, &c. * *Gronovius.*

Porro si hi duxissent] Offendo in hac phrasi. Forte, *si hi duo rexissent.* Duo, Martialis et Quirinalis: vel, *si hi direxissent.* Aliquis tamen fortasse ad sortem haud male traxerit: et *duxerint*, id est sorte extraxerint. *Lipsius.*

Duxissent provincias] 'Proximus erat, collata.' Ita κληρωτοὶ dicti in loco Dionis, quem adduxi supra, provinciarum publicarum præsides. Et Tacit. sup. l. II. 'majus imperium quoquo adisset, quam his, qui sorte aut missu Principis obtinerent.' Id est, quam omnibus provinciarum præsidibus, sive ii in populi Romani provinciis, sive in Cæsarianis. Præsidibus dixi, quia nomen id olim generale utrisque, quod postea in jure nostro restrictius observatum. Gellius, XI. 11. 'Ad Philosophum Taurum venerat vir clarissimus præses Cretæ provinciæ:' quæ certe in populi Romani provinciis, et ei proconsul. Et ne postea mutasse credas, idem Gellius fine capitis vetat: 'sedeat hic potius,' inquit, 'qui populi Rom. magistratus est.' *Mercerus.* Non hæc recte corruptionis arguuntur. *Ducere* pro *regere* cujus παθητικὸν apud Plaut. 'Ducuntur omnia Dei nutu.' Indeque *ducatus* ut regimen Suet. in Ner. c. 34. Privignum Ruffinum Crispinum impuberem adhuc, quia ferebatur ducatus, et imperia ludere.' Junge eundem in Tib. 19. 'Ostento sibi ac majoribus suis in omni ducatu expertissimo.' Sic moderatio legionum exprimitur apud Tacit. Hist. III. 'Adventu deinde duarum legionum, e quibus tertiam Dillius Aponianus, octavam Numisius Lupus ducebat.' Ad quæ faciunt: 'Sex millia Dalmatarum recens dilectus comitabantur, ducebat Poppæus Silanus consularis.' *Salinerius.* Sustuli hinc stellulam ab aliis positam, cum nullum sit mendum, intelligitur enim *duxissent*, id est, sortiti essent, vel sorte duxissent, quod Mercero etiam probatur. *Pichena.* Suspectum aliis, et, ut aiunt, non dubie corruptum verbum. Mihi sanus et integer locus, proba phrasis videtur. *Ducere provincias* subintellige *sorte*, ut idem sit, quod sortiri provincias. Et hic 'Servius, ut Asiam [verba sunt Taciti ipsius] sorte haberet, postulabat.' *Acidalius.*

Non æmulationi] A Mureto est emendatio. Male libri omnes, *æmulatione:* nam perspicuum est, omnia hæc respicere verbum, *obnoxium.* Pichena. Leg. *æmulationi:* et ita quoque Muretus. Ego tamen amplius *aut* deleverim. Leg. *Non æmulationi, non odio, privatis adfectionibus obnoxium.* Lector serius probabit. *Acidal.*

CAP. 59. *Auspicia saltem*] Lucem dat Livii locus l. XXII. de C. Flaminio, qui ante initum Consulatum profectus ab urbe. 'Quod enim illi justum imperium, quod auspicium esse? Magistratus id a domo, publicis privatisque penatibus, Latinis feriis actis, sacrificio in monte perfecto, votis rite in Capitolio nuncupatis, secum ferret nec privatum auspicia sequi: nec sine auspiciis profectum in externo ea solo nova atque integra concipere posse.' Vide etiam quæ de auspiciis infra scribo, l. IV. *Lipsius.*

Bellum scilicet] Non male etiam, *bello:* sive, *bello eum:* sed distinctione adhibita commode servaveris illud prius. *Lipsius.*

Bellum scilicet] Lipsius ait, non male legi posse, *Bello.* Ego mallem, *Bello eum scilicet.* Pichena. Utrumque, sive *bellum* sive *bello* legas, rectum. *Acidalius.* Immo, quia liber unicus *bellum*, male et non recte subjicies *bello*, etsi oratio reliqua id facile ferat. * *Gronovius.*

Tum maxime peragrantem] Scribo

cum maxime. Rhenanus. Muretus *cummaxime.* Rectius. *Acidalius.* Manuscriptus, *cummaxime*, quod expressi. *Pichena.*

CAP. 60. *Complebantur templa*] * Adde quæ de Asylis Pollux: Εἰ δὲ καὶ ἀσυλόν τι εἴη, τοῦτο καὶ κρησφύγετον λέγε, καὶ φύξιμον, καὶ ἱεροὺς ὅρους, ἐφ' ὅσον τοῖς οἰκέταις ἀσφάλεια. *Lipsius.*

CAP. 61. *Locum Ortygiam*] Scribendum, *lucum.* Strabo: Ἐν δὲ τῇ αὐτῇ παραλίᾳ μικρὸν ὑπὲρ τῆς θαλάττης ἐστὶ καὶ ἡ Ὀρτυγία, διαπρεπὲς ἄλσος παντοδαπῆς ὕλης, κυπαρίττου δὲ τῆς πλείστης· διαῤῥεῖ δὲ ὁ Κέγχριος ποταμὸς, οὗ φασι νήψασθαι τὴν Λητὼ μετὰ τὰς ὠδίνας. Ἐνταῦθα γὰρ μυθεύουσι τὴν λοχείαν καὶ τὴν τροφὸν τὴν Ὀρτυγίαν, καὶ τὸ ἄδυτον, ἐν ᾧ ἡ λοχεία, καὶ τὴν πλησίον ἐλαίαν, ᾗ πρῶτον ἐπαναπαύσασθαί φασι τὴν θεὸν ἀπολυθεῖσαν τῶν ὠδίνων. Quæ sola, satis illustrant hunc totum Græcanicæ fabulæ locum. Vide tamen, si lubet, Epigrammatarium Græcum l. IV. εἰς ναούς· ubi Ephesum vocat, Dianæ τὰν τροφόν. *Lipsius.*

Locum Ortygiam] Quod sequitur, *Deorum monitu sacratum nemus*, significat, quod ego contendo scriptum ab auctore, *lucum Ortygiam.* Vertranius. Lipsium secutus, reposui *lucum:* vulgo *locum.* Sed addiderim copulam: *et lucum.* Pichena.

Ubi Latona] Forte melior lectio, ac distinctio: *et lucum Ortygiam. Ibi Latonam.* Idem.

Oleæ, quæ tum] Paulo aliter Strabo, ut vidisti: qui vult post partum demum, innisam oleæ quietis caussa. *Lipsius.*

Supplicibus Amazonum] Aliquid ea de re Pausanias l. VII. ubi de templo Dianæ Ephesiæ; quem suadeo legas. *Idem.*

CAP. 62. *Proximo Magnetes, &c. decoravere*] Malo *decoraverit.* Imo melius esset, *decoravissent:* atque etiam *Proximi*, ut respiciatur quod antecessit, 'Primi omnium Ephesii adiere.' *Acidalius.* Scripserim, *Proximi Magnetes:* respondet enim illi præcedenti capiti: 'Primi omnium Ephesii adiere.' Sic supra II. 47. 'Magnetes a Sipylo proximi damno ac remedio habiti.' *Freinsh.*

Dianæ Leucophrynæ] Fuisse hujus Deæ hoc cognomento aram Athenis quoque auctor est Pausanias, cui a Themistoclis filiis dedicata statua fuerit, sed fani, quod in Magnetibus sit, pulchritudinem amplitudinemque Strabo in XIV. exequitur. *Alciatus.*

Aphrodisienses posthac] Lege *post hos:* deinde *attulere, laudantis quod Parthorum.* Acidalius. Omnia belle habebunt, neque opus erit refingere vocem ullam, modo mutetur interpunctio plenior in leviorem, hoc modo: *adtulere; laudati quod, &c.* Gruterus. Recte Acidalius, immo Lipsius, *laudantis.* Gronovius.

Sed Aprodisiensium civitas] Muretus *sed* delet. Ego lego *pertulissent: seque Aphr. c. Veneris; St. Jo. et Triviæ religione tuebantur.* Acidalius. Perperam. *Tuebantur religionem*, ut supra, 'flagitia hominum ut cærimonias Deum protegentis.' *Gronovius.*

Cyro dicatum] Valeret hoc imperante Cyro: sed amplius videtur velle, non sub imperio modo Cyri, sed ab ipso delubrum id dicatum fuisse. Ergo emendem, *Regi Cyro dicatum:* hoc est, quod rex Cyrus dicavit, quæ loquendi forma tam nostro quam aliis usitatissima, ut notavit Lipsius ad Ann. II. 50. quomodo Justinian. in l. II. §. S. C. de V. I. E. 'liber singularis nobis excogitatus est.' Ut ita forte explicari possit difficillima l. III. c. familiæ exisc. 'Expilatæ enim hæreditatis crimen frustra coheredi intenditur,' &c. hoc est, coheres intendit, cum ista particula *ejus*, quæ in ista lege mox sequitur, neque ad aliud subjectum, quam ad vocem coheredis, absque Latini sermonis injuria, referri possit, neque de alio quam actore, cujus in ea lege mentio, absque sensus perversione

intelligi. *Freinshemius.*

CAP. 63. *Dario rege uti*] Scribo, *niti.* Lipsius.

Neque minus Milesios Dario rege niti] Verbum, *niti*, reposui, auctore Lipsio longe aptius, quam, *uti.* Pichena. Lips. *niti*, et Muretus. Sed et distingue amplius, *Propiora Sardianos; Alexandri victoris id donum: neque minus Milesios: Dario rege niti.* Neque minus propinqua sive recentia Milesios referre, vel quid tale subintelligendum. *Acidalius.*

Modus tamen præscribebatur] Non satis considerate ergo elapsum hoc Tranquillo: 'Abolevit et jus moremque asylorum, quæ usquam erant.' Dumtaxat moderatus est, et temperavit. *Lipsius.*

Facere aras] Curtius Pichena in scripto esse ait, *fiere æra:* atque ita *figere*, pulcherrime emendat. Voluit nempe Senatus in ære sculpi et proponi hæc decreta, et has suas modificationes. *Lipsius.*

Jussique ipsis in templis figere æra, sacrandam ad memoriam] Turpiter corruptus fuerat hic locus: *jussique ipsis in templis facere aras.* Neque ego de mendo suspicatus fuissem, nisi me Manuscriptus admonuisset, in quo legitur, *fiere aera:* unde facilis fuit emendatio, *figere æra*, una tamen litera adjecta. Intelligit enim de æreis tabulis ad parietes templorum affigendis, ad sacrandam memoriam Senatusconsulti eo die super asylis facti. Sic l. XI. 'Aspiciuntur etiam nunc in ære publicandis plebiscitis per fora ac templa fixo.' Hist. l. IV. 'quique æra legum vetustate delapsa noscerent figerentque.' Virgil. Æn. VI. 'fixit leges pretio atque refixit:' 'quia,' ut ibi Servius ait, 'incisæ in æreis tabulis affigebantur parietibus.' Idem Tacitus paulo supra: 'cum ejus diei Senatusconsulta aureis literis figenda in curia censuisset.' *Pichena.*

CAP. 64. *Theatro Marcelli, effigiem divo Augusto*] Persuasi ut ita distingueretur in hac editione: cum vir doctissimus ita legeret *Marcelli effigiem*, atque inde morem dedicandi Diis statuas notaret: sed revera hoc negotium ita se habet, ut Livia posuerit, &c. * *Freinshemius.*

Ludique Magni] Καὶ αὕτη μὲν (scilicet ἡ πανήγυρις ἡ ἐπὶ τῇ νίκῃ τῇ πρὸς τῷ Ἀκτίῳ) διὰ πέντε ἀεὶ ἐτῶν μεχρὶ οὗ ἐγίγνετο, ταῖς τέσσαρσιν ἱεροσύναις ἐκ περιτροπῆς μέλλουσα· λέγω δὲ τοὺς ποντίφικας, καὶ τοὺς οἰωνιστὰς, τούς τε ἕπτα καὶ τοὺς πεντεκαίδεκα ἄνδρας καλουμένους. Idem l. LVIII. de iis quæ decreta post mortem Sejani: Ἐψηφίσαντο δὲ ἑορτὴν διά τε τῶν ἀρχόντων καὶ διὰ τῶν ἱερέων ἁπάντων (ὃ μὴ πώποτε ἐγεγόνει) ἀχθῆναι, καὶ τὴν ἡμέραν ἐν ᾗ ἐτελεύτησε, καὶ ἵππων ἀγῶσι καὶ θηρίων σφαγαῖς ἐτησίοις, διά τε τῶν ἐς τὰς τέσσαρας ἱερωσύνας τελούντων, καὶ διὰ τῶν τοῦ Αὐγούστου θιασωτῶν ἀγγέλλεσθαι, ὃ οὐδέποτε ἐπεποίητο. Quibus verbis interpretis errorem esse scio: qui vertit, *per quatuor collegia Pontificum.* Imperite, cum debuisset, *sacerdotum.* Pontificum sane collegium unum est. Quod dicit autem Dio non antea pronuntiatos ludos curatosque per quatuor collegia, et Augustales: id si sensit, errat, et refellit hominem clare hic, qui in manu, Taciti locus. Ceterum ad curationem, &c. * *Lipsius.*

CAP. 65. *Claritudo sua obsequiis*] Sciendum nihil hic intelligi aliud quam ipsos homines claros ob majores videlicet suos, aut honores ipsorum. *Obsequia*, libentius cum Gallis reddam *complaisances;* quam cum Hisp. *servir:* nam *obsequii* vox aliquanto mitior est; et mitiori voce voluit uti Tacitus, in re, ubi magis excusare instituit primores, quam arguere. *Fœdaque et nimia*, de adulatione incruenta sermonem hic esse, quum cetera, tum imprimis initium sequentis capitis adprobant. *Freinshemius.*

CAP. 66. *Opprobrium majorum*] Sallustianum est. *Lipsius.*

Junio Othoni] * Alicui recitare in aurem? Subtilis ergo in id vitium hominis jocus: quem belle æmulatus est Martialis: 'Garris in aurem semper omnibus, Cinna, Garris et illud, teste quod licet turba. Adeone penitus sedit hic tibi morbus, Ut sæpe in aurem, Cinna, Cæsarem laudes?' Nec enim dubito, quin oculos habuerit ad breve illud Scauri acutumque dictum. *Idem.*

Propolluebat] Clarissimus Nic. Faber, *perpolluebat*. Hieron. Groslotius noster (vere noster, dudum studiis, nuper amore mihi junctus) *propellebat:* bono pariter et prompto sensu. *Idem.*

Obscura initia impudentibus ausis Prætor polluebat] Jurarem germanam hanc Taciti lectionem esse. Male vulgo, *propolluebat*. Duabus forte literis scriptum compendio fuit, *pr. polluebat*, unde facile librarius deceptus est. Idque cum historia optime congruit; nam supra dixit Tacitus, *Junius Otho prætor:* nunc ipsum ab origine quasi describens, ait, fuisse prius Ludimagistrum, mox Senatorem. Recte ergo sequitur, *prætor;* ut dedecus respectu prætoriæ dignitatis, notabilius ostenderetur. Hanc emendationem eo promptius recepi, quod Lipsius a me super ea consultus, sibi maxime placere rescripsit. *Pichena.* Lipsius olim, *porro polluebat*. Ego, *protollebat:* quod valere hic idem putem ac si esset proferebat, propagabat. *Acidalius.* Haud male, qui mutant, *ausis porro polluebat*, sed non id erat etiam necesse: vocabuli enim *porro* energia includitur item illi *pro;* ut pluribus ostendi in libris Suspicionum. *Gruterus.* Ambigue sententiæ scripturæque verbum, *Propolluebat*, aut si forte, *porro polluebat*. Hic mihi sensus in paraphrasi placuit. Nec tamen damnem Ital. qui legisse videtur, *propalabat:* quod profecto neque a scriptura multum dissidet; neque a commoditate sensus quidquam. Poterat enim homo novus in sinu gaudere, et honore, qui obtigerat, sine magna invidia frui, si se intra modestiam continere voluisset. At *impudentibus ausis* advertit omnium oculos, effecitque, ut vulgo denotaretur, conspicuusque fieret. Firmando huic sensui sunt hæc Taciti Hist. II. 20. 'Uxorem Cæcinæ Saloninam, quamquam in nullius injuriam insigni equo ostroque veheretur, tamquam læsi gravabantur: insita mortalibus natura, recentem aliorum felicitatem ægris oculis introspicere; modumque fortunæ a nullis magis exigere, quam quos in æquo videre.' Dicit Saloninam *in nullius injuriam* comparato ornatu, occasionem sermonibus præbuisse; quanto magis igitur Otho, qui virum clarum atque nobilem cupiebat evertere? *Freinshemius.*

CAP. 67. *Voce, vultu, eo quod*] Lipsius *et quod*. Ego paulo aliter cum alia distinctione: *premeret voce, vultu; eoque quod ipse creberrime interrogabat.* Acidalius. De vultu proprie hic agitur. Sic IV. 34. *Idem.*

Ut tormentis interrogarentur] Ita Lipsius: vulgo, *interrogentur*. Pichena. Optime alii *interrogarentur*. Sed unde peccatum tale in re clara, et quam flagitat ἀκολυθία sermonis? Suspicabar aliquando hujusmodi varietates inductas a librariis sic ablativos absolutos, uti vocamus, resolventibus; scripsisseque Tacitum, *servos Silani, tormentis interrogandos, actor*. Sed jam pœnitet licentiæ, et cuicumque potius exerrationi scribæ imputaverim. *Gruterus.*

Ausis] Faërnus legebat, *missis ad Cæsarem codicillis*. Ursinus. Non possum exputare, cur vocem mutare voluerit Faërnus in *missis*. Nihil enim usitatius altero etiam scriptori nostro: exempla cumulavit Rhenanus. Nimirum vult nondum extra spem fuisse; ac præsumsisse veniam; nam desperati quiescunt. Seneca Agamemnone 502. *Idem.*

CAP. 68. *Alia parente geniti*] * Filio item indulgenda. Hæc dixerim, nec mihi firma aut proba, ut præmisi. Scripsit ad me ex Hispania vir doctus, in veteri libro se legisse: *quippe alta parente:* quod ad nostrum illum sensum faciat, sed mallem aliud verbi. *Lipsius.*

Materna bona quippe alia parente] Distingue, Silano fuisse matrem et novercam: materna bona intelligit veræ matris, quæ a bonis novercæ separanda essent, ac Silani filio, tanquam aviæ ipsius paternæ bona reddi. *Pichena.* Lectio palam vitiosa, apparet tamen sensus, quem et Lipsius fere vidit, propter dignitatem maternæ ejus familiæ datum Silano, ne bona, quæ inde ad eum pervenerant, publicarentur, sicut antea in damnatione Æmiliæ Lepidæ: 'Scauro, qui filiam ex ea genuerat, datum, ne bona publicarentur;' supra III. 25. Ceterum constat Silanos maternam originem, &c. * *Freinshemius.*

CAP. 69. *Minutura, quoties*] Ne deliberare quidem quemquem puto, quin conjectura nostra vera sit, *Minui jura, quoties glis. pot.* præclara et ex usu rerum gnome. *Lipsius.*

Minutura quoties gliscat potestas] Doctissimus vir diduxit, et scripsit *minui jura*, ex quibus γνώμη, quam Tiberius præ oculis non habuit: nam legibus, quæ in facta constituuntur, nihil damni contingere potest ex provisu principis, ne peccaturi in provinciis mitterentur. Ad quid igitur ea dixit? Imperatorem dissimulabat, nec latum unguem ab artibus Augusti discedebat. Deprecatur itaque vim majorem, quasi tantum reip. princeps esse velit, et sic ratiocinatur: optime mea cum onera tum potentia præfinita sunt, utque Romanum Principem decebat: si quid additis, regis id erit, nec vobis tolerandum. Quamobrem ea in me parcite conferre, quæ toties a me irrita fient, quoties a vobis decreta fuerint. Ad ultimum *minuere* παθητικῶς. Homer. μινύθει δέ τοι ἦτορ ἑταίρων Cæs. Gall. lib. III. 'Neque pedibus aditum habeant cum ex alto se æstus incitavisset, quod bis semper accidit horarum XII. spatio, neque navibus, quod rursus minuente æstu naves in vadis afflictarentur.' *Salinerius.* Videndum an *minutura*, mutandum sit in, *minus tuta.* Ursinus. Quamvis doctissimus Salinerius lectionem veterem, *minutura* defendere conetur, ego tamen ab ipsius interpretatione sensum nullum, ad Taciti mentem haurio. Nulla igitur causa, quin correctionem Lipsii veram existimem, atque recipiam. *Pichena.* Non adsentior *jura*, quæ pro libertate et republica (quam adhuc se conservare simulare Tiberius solebat) ponuntur, de *justitia* interpretanti; quam *potestate* illa, quæ *juribus* hic opponitur, in causis privatorum melius, atque in plena libertate, administrari posse, ipsorum Cæsarum priorum exempla docent: unde sup. I. 2. 'Neque provinciæ illum rerum statum [monarchicum] abnuebant: suspecto senatus populique imperio ob certamina potentium et avaritiam magistratuum: invalido legum auxilio, quæ vi, ambitu, postremo pecunia turbabantur.' Angl. *leges.* Bene si *leges* accepit ea significatione, qua libertatem arguunt, et dominationi opponuntur. Quod idem de Gal. I. dici potest, qui *les droits* reddit; nam hoc etiam de jure et majestate reip. potest accipi, secus si ponatur in singulari, ut apud alterum, *le droit:* tum enim jura, quibus privata negotia disceptantur, intelligi solent. *Freinshemius.*

Cytheram potius] In manuscripto, *Cythonum.* Putes *Cythnum* fuisse, quæ insula est juxta Atticam, sub Eubœa, nostro alibi, Ptolemæo item et Plinio, nominata. *Lipsius.*

Cytheram concederet] Faërnus legebat, *Cytheram potius concederent,* non, *concederet.* Ursinus. Adjeci conjunctionem, *ut*, ex Manuscripto. *Ut Cy-*

theram potius concederet. Pichena.

Silani sorore Torquata] De *Junia Torquata* Silani sorore, et de *Manlia* Torquatorum familia per adoptionem in Juniam Silanorum inserta diximus in lib. de Familiis, additis veteribus inscriptionibus de hac ipsa Junia Torquata. *Ursinus.*

CAP. 70. *Capito insignitior infamia fuit*] Ex Man. restitui vocem, *insignitior.* Vulgo, *insignior.* Pichena.

Egregium publicum] Ita dictum, ut vulgo bonum publicum, et Livio 'pessimum publicum,' lib. II. Rhenanum risi scribentem: 'Obscurus locus est [censeo Delphos mittamus ad consulendum] aut certe mendosus: qui forsan sic legi debeat, Se, remp. et bonas domi artes.' *Lipsius.*

Egregium publicum] Locus hic Beato videtur mendosus. Ego tam scriptum quam sensum ejus in plano puto, explicoque *egregium publicum*, pro decore publico, ea forma dictum, qua sæpissime idem Cornelius, *bonum*, Seneca *malum*, Livius, *pessimum publicum* aiunt: apud quos *publicum*, de nomine adjectitio factum est substantivum. *Vertranius.* Legit Theodorus Marcilius ex membrana, ut ipse ait, *se, rempublicam, et bonas domi artes:* invita sane Minerva. *Egregium publicum* Tacitus dixit, sicut Varro *villas pessimo publico ædificatas:* quem Livius imitari non veritus est lib. II. 'Nec ambigitur, quin Brutus pessimo publico reges exacturus fuisset.' Sed ex ipso Tacito, ut solet, Sulpicius Severus Histor. Sacræ l. II. 'Quod initio jure judiciorum et egregio publico defensum.' *Colerus.*

CAP. 71. *Equestri fortunæ*] Parvula unius apicis additione legerim, *sequestri Fortunæ.* Ut intelligamus supplicasse Romanum equitem Fortunæ, quæ se mediam collocaret inter fatum et Augustam. Nam, ut Gellius vult XX. 11. 'sequester a sequendo; quod ejus, qui electus sit, pars utraque sequatur fidem.' Quæ verba transcripsit Isidorus in Orig. Seneca ad Helviam, X. 12. 'Menenius Agrippa, qui inter patres et plebem publicæ gratiæ sequester fuit.' Inde etiam est, quod Patribus Salvator noster Christus *sequestri* nomine veniat. *Gruterus.* Ædem fortunæ Equestris Romæ fuisse nemo dubitat. Tacitum ergo omnes accusant. Ego librarios mallem. Robertus Titius humaniores literas in Bononiensi Gymnasio publice profitens, me monuit, sibi atque eruditissimo viro Jano Grutero legendum videri, *sequestri fortunæ.* Sic Virg. Æn. XI. 'pacem sequestram' dixit pro induciis: et ut induciæ mediæ sunt inter præteritum et futurum bellum, vel potius inter bellum et pacem; ita *fortuna sequestris* media est inter adversam et prosperam fortunam, seu inter morbum et valetudinem. Itaque non absurde appellari quodammodo poterit, Fortuna valetudinaria. Sed cum multa Fortunæ cognomina apud antiquos scriptores inveniantur, de sequestri autem nulla mentio, nihil affirmare ausim, judiciumque integrum lectoribus relinquo. *Pichena.* Ita est: quod constaret ex memoralibus scriptorum libris, in urbe fuisse *templa Fortunæ Equestris;* ausus sum inserere suspicionum libellis emendandum videri, adjectione literæ, *Fortunæ sequestris;* cui necdum adstruo veritatis firmiorem imaginem. Lætor interim non id omnino displicuisse comptissimis moribus viro Curtio Pichenæ: ut enim hodie obtinet, nihil placet quam quod nostrum est; alienum omne sanna excipimus, aut pedibus etiam trahimus. *Gruterus.* Valde me permulcet illa *Fortuna Sequestris:* sed et inventor et approbator tam belli cognominis, explicando ejus tædium faciunt. *Sequester* meo judicio non a *sequor*, quod Gellio creditum, sed a *secus* quasi *secuster*, ut a *magis magister*, a *minus minister*, dictus, quoniam intervenit dissidentibus ipse neutrarum partium, semotus ab

utroque, et liber a causis eorum, aliusque atque certantes. Duas autem personas significat: vel arbitri, medii, interpretis, quam notionem illi duriter captant; vel custodis, penes quem res controversa deponitur, l. cx. D. de V. S. Plautus Mercat. iv. 3. 'Immo sic sequestro mihi data est.' Rudente iv. 3. 'nisi pars datur, Aut ad arbitrum reditur, aut sequestro ponitur.' Cato apud Gellium: 'Per Deos immortales, nolite vos sequestro ponere.' Hoc est, nolite custodiam vestri committere cuiquam præter vosmetipsos: nolite vos, cum liberi sitis, fiduciarios reddere, et cuiquam in potestatem dare. Paulus lib. vi. D. Deposit: 'Proprie autem in sequestre est depositum, quod a pluribus in solidum certa conditione custodiendum reddendumque traditur.' Unde observant *sequestre* genus esse depositi. At ego Pauli verba corrupta esse censeo, neque unquam Latinis dictum aliquid *esse sequestre* aut *in sequestre*. Scribe: *Proprie autem sequestro est positum, quod a pluribus, &c.* Idem spectavit Tertullianus de resurrectione c. 51. 'Hic sequester Dei atque hominum appellatus ex utriusque partis deposito commisso sibi.' Et c. 63. 'In deposito [caro] est apud Deum per fidelissimum sequestrem Dei et hominum, Jesum Christum.' Et de patientia: 'Adeo satis idoneus patientiæ sequester est Deus, si injuriam deposueris penes eum.' Hanc quoque vim hujus vocabuli considerarunt, qui *Fortunæ Sequestri* pro Augustæ valetudine donum voverunt, nempe ut ejus salutem apud Fortunam deponerent, et huic illam custodiendam mandarent. Quod etiam votum, postquam eam dea sartam tectam habuisse visa, solverunt. Ut Domitianus in Capitolii oppugnatione ex incendio servatus *Jovi Custodi.* Gronovius.

Nullum tali cognomento] Miraberis equitum Romanorum et Taciti conniventiam, si ex antiquitate recitetur Livii lib. xl. et postea xlii. testimonium, his fere verbis: 'Q. Fulvius ædem Fortunæ equestri, quam Proconsul in Hispania dimicans cum Celtiberis voverat, annos sex postquam voverat, dedicavit: enixo factum studio, ne ullum Romæ amplius, aut magnificentius templum esset.' Ejusdem Val. Maximus i. 11. et Lactantius ii. 8. meminerunt. *Vertranius.*

Plusquam binoctium]* Vulgata lectio erat, *dum ne plusquam:* sed novitia cum sit, quis moretur? *Lipsius.*

Ut pontificis Maximi arbitrium plusquam binoctium] Lego, *ut pontificis Maximi arbitrio ne plusquam binoctium abesset.* Rhenanus. Ita legendum arbitror, *Ut Pont. Maximi arbitrium, dum ne plusquam binoctium abesset: ne diebus publici sacrificii, neu sæpius, &c.* Ferret. Hæc, qui me audiet, ita leget, *Quoties valitudo adversa flaminem Dialem incessisset, ut pontificis maximi arbitrio, dum ne plus quam binoctium, abesset: ne diebus publici sacrificii, neu sæpius quam bis in eundem annum.* * Vertranius. Multum debemus diligentiæ Picheniauæ, per quam liquet illud prius, *dum ne,* invectum a mala manu, neque conspici in chirographo authentico; nam nexus sane orationis omnino requirit; *recitavitque decretum pontificum, &c.* Gruterus.

L. Metelli Pontif.] Auctorum loca adduxi supra. *Lipsius.*

Cap. 72. *Basilicam*] Quidam templum. Decepit eos, quod postea *basilicæ martyrum,* quarum apud Augustinum aliosque patres frequentissima mentio, sunt appellatæ, quæ sacella prius erant, mox ingentia templa. At Gal. recte, *le palais.* * Freinshemius.

Arguerat Taurum] Tauri amphitheatrum intellegit in campo Martio: Marcii Philippi, ædem Herculis Musarum: Balbi, theatrum. Vide Suetonium Aug. c. 29. Dionem l. li. et liv. *Lipsius.*

Nec Augustus arguerat Taurum] Pla-

cet Lipsio, *arcuerat*, id est, prohibuerat, optimo quidem sensu. Sed fortasse vulgata lectio defendi potest, si accipiamus *arguere*, pro sinistre interpretari; ut sensus sit: nec Augusto incidit suspicio, publicam illam munificentiam ad populi favorem captandum excogitatam fuisse. *Pichena.* Recte Lipsius. Alterum vix Latinum. 'Arcuerat conferre,' ut Senecæ defendimus in Hippolyto vs. 805. 'tu licet asperos Pugnacesque deos viribus arceas Et vasti spatio vincere corporis.' Et solenne librorum vitium est. Ovidio diu fuit Met. xv. 72. 'Primusque animalia mensis Arguit imponi:' pro *Arcuit.* Statio diu Theb. II. 630. 'cur inficiatus honora Arguerim fama,' (et male defendit Gebhardus) pro *Arcuerim.* Valerio Flacco IV. 317. 'hæc Amycum tandem manus arguit ausis:' pro *arcuit.* Gronov.

Tanta vis unum intra damnum] Muretus mallet, *tanta vis ignium intra damnum stetisset:* quod mihi non probatur. Nam in vulgatis recte subintelligitur, tanta vis ignis, quæ intra unum illud theatri damnum stetit, neque ulterius pervagata est. *Pichena.* Muret. *tanta vis ignium, &c.* At vero vox *unum* necessaria. *Acidalius.*

CAP. 73. *Sua populique Rom. contumelia*] Verba hæc male transposita fuerant: quæ suadente Lipsio, in suum ordinem reposuimus. *Pichena.* Parerem, si, jubente unico codice, dixisset. Quod quando non ausus, illam juncturæ vulgaris horum verborum immutationem, *sua populique contumelia Romani*, haudquaquam auribus accidere meis ingratam, quin et aliquid magnificum præferre mihi videri, fateor. *Gronovius.*

Ingentibus bellis labaret] Non damno *labaret*. Sed erit, opinor, cui verbum id grave nimis videbitur, magisque probabit, *laboraret*. Acidalius.

CAP. 74. *Castella et munitiones*] *Oppida* frequentiores et ampliores hominum conventus facere; *castella* minores atque angustiores, sed murorum tamen ambitu utraque circumsepta, sicuti *vici* sine muris. Quod autem *castellum* locus munitus esset, constat ex Cic. scribente in Epist. 'Multa castella cepi, multa vastavi.' Et ad Att. 'Castellum natura munitum.' Ab eadem similitudine in acie *castella mobilia*, non *stabilia* vocata a Tacito et aliis, quod ex Taciti ejusdem verborum serie facile dignoscitur, dum inquit: 'Castella et munitiones idoneis locis imponens.' Erant itaque *castella* in acie propugnacula, quæ in procinctu portabantur, ex asseribus, sive alia consimili materia fabricata, ad castra metandum quam maxime apta, ita dicta a stabilium castellorum similitudine et usus convenientia. *Donatus.* De castellis mobilibus in acie somnium lepidum. *Gronovius.*

Tiberius Blæso] Distinguo locum, *Blæso postremum. Obiere eo anno*, non levi ad historiam momento. *Lipsius.*

Tiberius Blæso postremum] In vulgatis ita distinguebatur: *ac tunc Tiberius Blæso. Postremum obiere, &c.* Nos ex Ms. melius distinximus, idque præviderat Lipsius ex ingenio. *Pichena.*

CAP. 75. *Asinius Salonius*] Lectu hoc facile, intellectu difficillimum est. Servius meus ad Virgilium Ecloga III. scribit, 'C. Asinio Pollioni post captas Salonas Dalmatiæ, natum filium, dictum Saloninum.' Is tam Dioni quam Cornelio C. Asinius C. F. a Tiberio dimissam Vipsaniam duxit, ex eaque Asinium sustulit. Hic superstite patre moritur, et superstite uterino Druso: erant enim Vipsania, M. Agrippæ filia, nati ambo: sed Tiberio patre, Drusus; Asinio Gallo, Asinius, cui patris cognomen *Saloninus*, convenientius a Tacito scriptum fuerit. Ergo hujus Asinii, quo de loquimur, avi fuere paternus C. Asinius Pollio, maternus M. Vipsanius Agrippa. Sed in hoc mirum est aucto-

rum dissidium. Tacito nepos Asinii Pollionis, moritur hoc loco: contra Cassius habet lib. LX. 'Asinius Gallus Drusi frater uterinus insidiatus est Claudio Cæsari.' Idem Tranquillus Claudio, XIII. inquit, 'Conspiraverant ad res novas Gallus Asinius et Statilius Corvinus, Pollionis et Messalæ oratorum nepotes.' *Vertranius.* * Non dubito Suidam, et qui eum sequuntur in numerandis duorum cognominum coævorum scriptis turbare. Item Casaub. comm. ad Strab. l. IV. fol. 56. qui Asinium a Strabone laudatum de Rheni longitudine et binis ostiis, Pollionis filium Quadratum, qui res Germanicas scripsit, esse opinatur. *Rupertus.*

Cæsarique progener] Uti aliquam duceret e liberis Germanici. *Lipsius.*

Progener destinatus] Ut aliquam Germanici filiam duceret. *Muretus.*

Consulatum ei acceleraverat] Anno IↃCCLIX. 10. Kalend. Julii cum C. Vibio Postumo. *Idem.*

ANNALIUM LIB. IV.

CAP. 1. *Florentis domus*] Nihil enim ipsi, quod nollet, acciderat. *Florere* dicuntur, qui vigent. Lucretius: 'Tum lætas urbes pueris florere videmus.' Hesiodus, *θάλλουσιν δ' ἀγαθοῖσι διαμπερές. Muretus.*

Nam Germanici mortem] Hoc mirum videri non debet, nam semper suspecta et formidolosa tyrannis est aliena virtus. 'Regibus boni quam mali suspectiores sunt: semperque his aliena virtus formidolosa est,' Sallust. in Catilin. Aristotel. 5. Polit. Unum præceptum tyrannidis conservandæ, ait esse tollere *τοὺς φρονηματίας.* Itaque multi contemptu vitarunt periculum. 'Brutus erat stulti,' &c. *Idem.*

Turbare] Turbida esse. Hic notanda rerum humanarum instabilitas et inconstantia, quæ cum prosperrime fluere videntur, tum periculi plenissimæ sunt.* Ac profiteor me cum Fortunam dico, eam intelligere, de qua Catilinar. I. copiose disserui. *Idem.*

Sævire ipse aut] Utrumque æque noxium populis. *Idem.*

Initium et causa] Non sunt omnino idem, etsi in Posterioribus videatur Arist. utrumque confudisse; sed in principio quarti *τῶν μετὰ τὰ φυσικὰ* (ut quidem Græci dividunt) hæc duo distinguuntur. Legendus Simplicius principio *φυσικῆς ἀκροάσεως. Idem.*

Dominationem captaverit] Probum videbatur: et captavit certe, non cepit. Tamen cum in Medicæo sit, *raptum perit,* placet quod Pichena efformat, *raptum ierit.* Lipsius.

Quo facinore dominationem raptum ierit] Cum Manuscr. habeat, *raptum perit,* mihi facilius veriusque visum est corrigere, *raptum ierit,* quam, *captaverit,* ut in vulgatis. Sic lib. II. Histor. 'Mox ut Othonem ac Vitellium scelestis armis res Romanas raptum ire, vulgatum est.' *Pichena.*

Apicio] Seneca Epist. 14. Plinius VIII. 15. et IX. 17. et X. 48. Dio lib. LVII. Fuit et alius Apicius eodem ingenio præditus, quem usque in Parthos ostrea misisse ad Trajanum Athenæus refert: cum artem quandam eorum recentium conservandorum in longitudinem excogitasset. Extant et tertii cujusdam Apicii libri aliquot de re coquinaria. *Muretus.*

Prodigo stuprum veno dedisse] Ita Man. et alibi Tacitus simili modo locutus. Vulgo, *venum dedisse.* Pichena.

Diviti et prodigo] Ἀσώτῳ· κατὰ τὸν δεύτερον τρόπον τῶν ὑπ' Ἀριστοτέλους λεγομένων, ἐν τῷ Δ. τῶν ἠθικῶν. Hic ipse lib. XI. 'Ob magnitudinem infamiæ, cujus apud prodigos novissima voluptas est.' *Muret.*

Solertia] Ἀγχινοίᾳ. *Muret.*

Haud minus noxiæ] Noxia sunt in eo, qui (ut Sejanus) affectat imperium, largitio et luxus; nam voti compos, supplet per scelera, quod ambitione exhaustum fuit. Sic æque damnosæ sunt industria et vigilantia simulatæ, quia post in contraria, &c.* *Salinerius.*

Parando regno finguntur] Angl. *Dissemblingly used to win a kingdom.* Neque *fingi* neque *regnum* recte expositum puto. Nam immensum distat, *fingat*, h. e. simulet aliquid aliquis, an vero dissimulanter eo utatur: ibi enim videri vult, quod non est; hic, quod est, non videri. Deinde *regnum* latius patet quam *kingdom*; neque enim tantum de ea potestate, quæ regi proprie sic dicto competit; aut pro imperio, cui præest, ponitur; sed indistincte pro omni dominatione, quocumque nomine appelletur. Vide quæ notavimus in Indice Floriano, voce *Regius*. Freinshem.

CAP. 2. *Antea intendit*] Ἐπέτεινε. *Muretus.*

Fiducia ipsis] Xenoph. l. II. Κύρου παιδείας. *Idem.*

Metus crederetur] Monuit me Josias Mercerus legendum videri, *dederetur*, vel, *dideretur*, quod verbum sane ubique in Tacito velut fataliter corruptum. In manuscripto aiunt esse *credetur:* si quis aliud forte eruet. *Lipsius.*

Inter cæteros metus crederetur] Faërnus pro corrupto verbo, *crederetur*, reponebat, *oriretur*. Sed legi etiam posset, *cresceret*. Ut vult etiam Muretus. *Ursinus.* Quæ mihi et aliis visa, nunc damno. Verius est quod video placuisse doctissimo Savilio *crearetur*. Mercerus. Doctissimus vir *dederetur* vel *dideretur:* idque non hic tantum, sed ubicunque hoc verbi invenitur. Reor τὸ *crederetur*, (licet *credetur* levi macula legatur in Flor.) idem valere quod *esset* ut *credebatur* pro *erat: cui tamen asperitatis etiam adversus levia credebatur*, ubi si substituas *dederetur* sive *dideretur*, nugas egeris magnas. Verum audi eadem Græco sermone. Xiph. in Tib. ὥστε τὰ παραγγέλματα, καὶ ἀθρόους, καὶ διὰ ταχέων λαμβάνειν, καὶ φοβεροὺς πᾶσιν ἅτε καὶ ἐν ἑνὶ τείχει ὄντας εἶναι· i. e. *ut congregati citius jussa capesserent, et omnibus (veluti unis in castris) formidabiles essent.* Salinerius. Ego vulgatam lectionem utcumque non sperno. Quod scilicet Sejanus, cohortes in una castra conducendo, Tiberium ipsum, ac populum Rom. decipere cogitaverit, ea specie, ut illam militum conjunctionem, ad ipsorum fiduciam, et ceterorum metum, crederent; cum re vera ad potentiam sibi sedulo parandam pertineret. *Pichena.* Rectissime Mercerus, *dideretur.* Hoc sensu libro hoc ipso inferius: 'Quanto majore mole procideret, plus formidinis in alios dispergatur.' *Acidalius.* Male hæc ita scribi et alii notarunt: sed quod substituunt *dideretur* fiduciæ non convenit. Ego pro *crederetur* omnino scribendum esse arbitror *cresceret.* Grotius. Quid si reponas *crearetur?* id sane proxime abesset a manuscripti, quem citant, scriptione *crederetur:* et *creare ærumnas, fraudem, periculum, commoditates*, et similia, passim apud melioris notæ auctores reperias. *Freinshem.* Sic interpretor: Ut multitudinem suam noscendo, robur æstimando, vultus omnium singuli familiariores habendo certi fierent de fiducia inter sese, deque metu sui apud cæteros; se, quicquid esset audendum, confidere inter se, aliis metum facere posse. Vide III. Observ. 10. *Gronovius.*

Prætendebat lascivire] Προυφασίζετο ἀτακτεῖν. *Muretus.*

Neque Senatorio ambitu abstinebat] * attolleret. Sic ego aliter quam Lipsius. Universi *Senatorium* a *Senatorius* deductum existimarunt; quum sit ab *senatu*. Sicut apud Latronem in Catilin. II. 21. et VI. 1. 'Senatoria auctoritas,' et 'senatoria simultas,' non singulos senatores, sed universum ordinem respicit. Itaque *Senatorius ambitus* hic mihi videtur non ille, quo senatores sibi potentiam conciliant: neque quo ab aliis ambiuntur et corrumpuntur singuli: sed aliquid majus et ulterius. Callida nimirum ea ratio, quam iniit Sejanus, ut in his etiam negotiis, quæ per senatum et in senatu tractabantur, efficeret, quæ vellet. Est igitur vox *ambitus* accipenda cum effectu: neque *Senatorius* hoc quidem loco significare videtur aliud, quam cui in senatu locus est. *Freinshemius. Senatorius* utique formatur a *Senator*, non a *Senatus:* neque tamen propterea significat tantum, quod est unius senatoris, aut singulorum in senatu: sed etiam potest significare, quod est senatorum, et sic senatus vel totius corporis. *Ambitus senatorius* est ambitio in senatu. Neque hoc faciebat, ut extolleret clientes suos: id enim ei largiebatur Tiberius, non aliqua factio in senatu: sed hoc extollere erat via ad potentiam in senatu. Itaque facile admitto *ambitu ornandi* quod ex Ms. notat Pichena. Non cessabat etiam in senatu.* *Gronovius.*

Interque principia legionum sineret] Inter militaria signa, ait Suetonius capite 48. in Tiberio; de quo ritu abunde in libris Histor. et Milit. Rom. *Lipsius.*

Interque principia legionum] Inter militaria signa. Suet. 48. *Muretus.*

CAP. 3. *Et quia vi tot simul*] Et hoc quoque morum adferebat. *Muretus.* Vide Not. ad IV. 16. *Freinshem.* Putem *eripere* reponendum pro *corripere*, et delendum *tamen*. Mens enim auctoris, ostendere consilia Sejani fuisse retardata per plura obstacula, inprimis, quod in domo Augusti essent multi Cæsares, filius juvenis, nepotes adulti. Itaque quemadmodum considerabat periculosum esse tot homines vi aperta de medio tollere, ita etiam bene norat conspirationem requirere tempus et intervalla ad exsequenda scelera destinata. Tandem elegit viam occultiorem. Alioqui dicendum fuisset: *et quia vi tot simul aggredi intutum:* et non *corripere.* Harlæus. Atqui aggredi et de medio tollere *corripere* est, non *eripere.* Justinus l. III. 'Exuentem se ac nudatum gladio trajecit. Tum et filios ejus corripi jubet.' Nec deleverim τὸ *tamen:* id enim tacite demonstrat ambitionis tantæ et Sejani indolem: datque intelligendum: Quamquam ægre ferret ambitio incitata hanc moram, et properaret ad vota Sejanus, *placuit* ei *tamen occultior via.* Posses alioqui et *tandem* legere. *Gronovius.*

Neque femina amissa pudicitia alia abnuerit] Faërnus ita legebat: *Neque femina amissa pudicitia alia abnuit, &c.* quod magis placet. *Ursinus.* Vox *abnuerit*, si decurtetur aliquot literis, ut placitum Faërno, plurimum, mea sententia amiserit dignitatis et virium. *Gruterus.* Video sensum; sed aptior futurus est si legas, *abnueret*, quomodo et Tacitum scripsisse suspicor. *Freinshem.* Non ego: et miror nodum in scirpo quæri. *Gronovius.*

Prolationes, diversa] Muretus, *prolatio diversa interdum.* Audacior hic aliquis gradationem non vereatur: Sed magnitudo sceleris metum, metus prolationem, prolatio diversa interdum consilia adferebat. Quæ tamen ipsa inclusa brevibus istis Taciti more, qui diducere tam exiliter non solet, sed cogere et in pauca verba copiosas sententias congerere. *Acidalius.*

CAP. 4. *Quæque fratri ejus*] Biennio ante. Lib. III. 4. *Muretus.*

Aut certe non adversus habebatur] Haud quidem adfirmarim vocabulum *habebatur* intrusum: sed tamen eo exturbato, omnia belle se habitura, id equidem adfirmarim. *Gruterus.*

Quanto sit angustius] Recte; et dictum in Trajani laudem, qui fines imperii promovit. Dixi supra. *Lipsius.*

Angustius imperitatum] Laus obliqua Trajani. *Muretus.*

Cap. 5. *Duæ classes*] Hæc et sequentia explico ubertim in Admirandis, lib. I. *Lipsius.*

Rostratæ naves] Χαλκέμβολοι, æratæ. Virgilius, Horatius, Cæsar, Hirtius. *Muretus.*

In oppidum Forojuliense] In Carnis. Civida d'Austria, Lazio et Leandro. *Muretus.* Gravis lapsus tanti viri. Immo in Gallia. Vide Histor. III. 43. *Gronovius.*

Dehinc initio ab Suria usque ad flumen] L. cum Mureto, *initio ab Suriæ usque ad flum.* i. ab initio Suriæ usque ad Euphratem; consuetudine apud Tacitum trajiciendi præpositiones et ejusmodi particulas. *Acidalius.*

Quatuor legionibus coërcita] Vulgo, *coërcitum.* Sed Man. sequi malui, qui *coërcita*, habet, nota figura. *Pichena.*

Accolis Ibero Albanoque] *Iberiam et Albaniam.* Ptolemæus et Strabo *Caucasios* appellant. Plinius et Mela, *Georgos.* Hodie *Georgiani* vocantur. *Muretus.*

Tres urbanæ, novem prætoriæ] * De tota ratione prætoriani et urbani militis nihil addi potest ad ea quæ doctissimus Savillus adnotavit, in accuratissimo tractatu de militia Romana, quem una cum notis ad Taciti Historias, et Agricolam editum ante aliquot annos pauci videre, quia malo maximo rei literariæ Anglica tantum lingua publicatus. *Mercerus.*

Et colonis] Potius, *coloniis.* Lipsius.

Et colonis antiquitus Romanis] *Coloniis antiquis Romanis.* Muretus.

Sed persequi incertum fuit] Et hoc Lipsius restituit *fuerit*, pro *fuit.* Pichena. Turbat vox ultima, ideoque reformatur ab aliis, ego mallem deletam una litura. *Gruterus.*

Cap. 7. *Non quidem comi via*] Lege, *cum vi*, verissima emendatione. *Acidalius.* Quamquam non comi et in vulgum grata via, sed nimia severitate asper et plerumque formidatus. *Freinsh.*

In monumentis] Non bene videntur pro *in monumentis*, substituisse, *intra monumenta.* Freinsh.

Communes illi] Sueton. Claud. 27. et noster libro tertio. Porro quod notarunt doctissimi viri *μνημονικὸν ἁμάρτημα* in Tacito, assentiri non possum. Longe enim aliud est, *destinare*, aliud *despondere.* Muretus. Hic memoria in Tacito desideratur, quasi ea defectus, scribat, Drusum queri de re quæ jam præterierat. Mihi vero innocens, eumque sic vindico ab ea nota. Aliud est *sponsa*, aliud *destinata*: *sponsa* non dicebatur ante stipulationes. Gell. IV. 4. 'Qui uxorem ducturus erat, ab eo unde ducenda erat, stipulabatur eam in matrimonium ductum iri: qui daturus erat itidem spondebat: is contractus stipulationum sponsionumque dicebatur sponsalia: tunc quæ promissa erat, sponsa appellabatur, et qui spoponderat ducturum, sponsus.' At *destinata* ea erat, quam pater alicui se daturum præ se ferebat, sed eam nondum desponderat: quæ differentia non obscura ex his emergit. Martianus l. VII. D. ad l. Jul. de adul. 'Et potest adulterii accusari, qui Tutor vel Curator fuit, et intra vicesimum sextum annum duxerit uxorem, non a patre desponsam vel destinatam vel in testamento denominatam.' Dicamus itaque nostrum respicere ad illud tempus, cum Sejani filia filio Claudii solum fuerat destinata, quo etiam dum vivo non immerito, nec absurde, Drusus id ægre fert: Suetonium vero, cum jam biennio post plus minus ei desponsa fuisset, post quæ brevi

Drusus Pompeius vita cessit. *Salinerius.* Ego simplicius intelligo, nihil aliud queri Drusum, nisi quod jam Sejanus conjunctione Cæsaris dignus habitus esset, ut ait Tacitus infra. Ideoque, quamvis primum illud matrimonium morte irritum fuerat, fortasse prævidebat fore, ut quandoque Sejanus aliud simile moliretur, affinitatemque cum Drusorum familia iterum et arctius jungeret. *Pichena.* Tacitus aliis aliter excusatur; mihi videtur ita posse commodissime, si non existimemus restringendas has querelas esse ad hoc tempus, quo Tacito memorare eas placitum, sed cogitemus jam ante, nec semel, ut ipse auctor est iis verbis, *crebro querens*, erupisse: et singulas quidem eo maxime tempore, quo ea, quibus offendebatur, facta erant. Eas cum suis quasque locis commemorare nollet, collegit hic loci, in quem seposuerat totam de potentia Sejani historiam, ut patet ex primo statim hujus libri capite. *Freinsh.*

Precandam post hæc Modestiam] Amicus noster *precandam modestiam* exponebat votis expetendam; subtilius profecto (dicam enim quod sentio) quam verius: et tamen si hunc sensum recipiamus, noster confirmabitur. Si enim votis expeti debet ista modestia, undenam, nisi ab numine, quod eam conferre potest? Porro autem id numen quid, nisi ipsa Modestia? Quod quidem frustra negatur, proterve irridetur. Nam ut nullo possit testimonio, &c.* *Freinsh.*

Amicus ille qui sit, cujus hic arguitur protervia, si libido est scire, benigne lector, vide Observ. III. 10. Qui si parum satisfecerit tibi, fruaris licet Modestia dea. Sed illud festivum, si recipiatur sensus, quem Tacito attribuimus, tamen fore, ut constet sensus, quo ille delectatur, nempe exorandum esse Modestiæ numen. Tanquam cum dicitur *precandam modestiam, &c.* * Gronov.

Cap. 8. *Deligit venenum*] Theophrastus l. IX. περὶ φυτῶν ἱστορ. de aconito: συντίθεσθαι δὲ, ὥστε κατὰ χρόνους τακτοὺς ἀναιρεῖν, οἷον δίμηνον, τρίμηνον, ἑξάμηνον, ἐνιαυτὸν, τοὺς δὲ καὶ δύο ἔτη. Mihi tamen hoc verosimile non fit: causæ sunt obscuræ. *Muretus.*

Vix propinquorum] Vide lib. II. c. 4. variar. lection. *Muretus.*

Conformaret] Ita quidem in Man. et etiam in antiquioribus editis, idque, ut mihi videtur, optimo sensu; nihilominus recentiores supposuerant, *confirmaret*. Pichena.

Cap. 9. *Appius Clausus*] Lego, *Atta Clausus*, vel *Attus*. Adi lib. XII. Annal. *Lipsius.*

Accius Clausus] Sustuli, quod erat, *Appius*, Ms. auctoribus. Codices n. ambo Vat. infra XII. 26. habent, 'Accio Clauso continuos duravisse.' Quæ lectio firmatur ex eo, quod M. Valerius scribit: 'Appius ex Sabinorum prænomine Accio venit: idque Romæ Claudiorum fuit, quorum princeps Accius Clausus dictus est.' Itaque apud Livium lib. XI. legendum est: 'Accius Clausus, cui postea Appio Claudio fuit Romæ nomen.' Et sane hanc scriptionem in Suetonii Tiberio quidam indicavit ex veteribus libris referens sic scriptum, 'Quod magis constat Accio Clauso gentis principe:' ubi vulgares libri habent, *constat Appio Clauso.* Ego vero scribendum, *constat Accio,* omni asseveratione contendo. *Vertranius.* Man. *Attus* quod rectius credo; nam et lib. XII. libri veteres habent, *ab Atto Clauso,* ut ibi notavi. *Pichena.* Recte Pichena. Vide ad Livium II. 16. *Gronovius.*

Cap. 10. *Ubi locus veneficii, tempusque composita sint*] Lectionem Ms. reposui, quæ in vulgatis immutata atque imminuta fuerat: *Ubi locus veneficii, tempus, composita sunt.* Pichena.

Tum senem] Alibi legitur, *captum senem.* Muretus.

Juveniliter hauriente] Νεανικῶς. *Idem.*

CAP. 11. *Facinorum omnium repertor*] Sic Virg. Æn. II. 'scelerumque inventor Ulysses.' *Muretus.*

Falsas auditiones] Ἀκροάσεις. *Muretus.*

Quorum in manus cura nostra venerit] Antiqui libri, *Quorum in manus scripta nostra venerint.* Muretus. Haud scio qui sint illi libri antiqui. Sed *cura* sic et lib. III. 'si effectis, in quæ tendi, plures ad curas vitam produxero.' Ovidius de Ponto eleg. IV. 14. 'quorum quod inedita cura est,' ex felicissima restitutione Cl. Heinsii. Idem IV. 24. 'Hoc pretium curæ dulce recentis erat.' Martialis ep. lib. X. 2. 'Festinata prior decimi mihi cura libelli.' *Gronovius.*

Avide excepta] Libri veteres *unde.* Forte, *unde unde.* Muretus.

CAP. 12. *Neque spargi venenum in tres poterat*] *Spargi* non potest reddi a linguis vulgaribus, itaque substituerunt, *dari.* Freinsh.

Ut superbiam fecunditate] Lege, *superbam.* Muretus. Dura ea constructio, durior sermo. Forte legendum; *ut superbam fecunditate, subnixam popularibus studiis; inhiare dominationi, &c.* ita sane nullus obex qui impediat sententiæ cursum. *Gruterus.*

Delegerat Julium Postumum] Verbi hujus maxima vis est. Arguit enim Julium Postumum, quo de hoc dicitur, fuisse criminatorem οὐ τῶν τυχόντων, sed excellentem inprimis, et ob hoc inter alios cum cura et judicio selectum. *Freinsh.*

Mutiliæ Priscæ] Puto eandem esse, quæ vitiose apud Dionem l. LVIII. Πουπλία Πρίσκα, facili ob similitudinem literarum lapsu, pro Μουτιλία, C. Gemini Rufi uxor. *Idem.*

CAP. 13. *Proconsul ulterioris Hispaniæ*] Id est, Bæticæ, quæ populo relicta, et ideo in ea Proconsul. Plura distinctius de Hispaniæ divisione infra ad I. Histor. *Lipsius.*

Ulterioris Hispaniæ] * Adde Lipsium ad Histor. lib. I. 13. *Gronovius.*

Ob atrocitatem] * Lib. IV. DD. de pœn. Postremum ἡ ἀντινομία imperatoris et Ulpiani sic sedatur. Justinianus respicit ad sua tempora, quando desita interdictione deportatio tantum vigebat: vel is, licet pœnæ variassent, de iis agit, quasi jure vetere ad illum modum præfinitæ fuissent. Sic pœna legis Juliæ de adulterio apud imperatorem est ultimum supplicium. Instit. de publ. Jud. quæ certe mitior fuit ab Augusto promulgata. Tacit. Ann. III. *Salinerius.* Non minus verisimiliter ad voces, et aptius forte ad sententiam scripseris, *ob atrocitatem pœnarum.* Acidalius. Emendatio hæc a Lipsio est huic loco valde accommoda, cum habeant libri *ob atrocitatem temporum:* quam lectionem cum omnes constanter præferant, nec de atrocitate *morum* inculcandum esset Tacito in persona ejus, qui de vi publica damnabatur, suspicari in mentem venit, hæc ut alia nonnulla his libris loco suo mota esse, olimque cohæsisse cum narratione superiori versiculo proposita, in hunc forte modum: *remissione tributi in triennium, ob atrocitatem temporum.* Freinshemius.

Amorgum deportatur] Ἀμοργὸς, ἢ καὶ Ἀμόργιον, μία τῶν Κυκλάδων, ἢ καὶ Παγκάλη. Vide Stephanum, περὶ πόλεων. *Muretus.*

Carsius sacerdos] *Sacerdotem* cognomen intelligo familiæ Carsiorum, quomodo fuit et Liciniorum. *Freinsh.*

Paternis adversis] Δυστυχίαις. *Muretus.*

CAP. 14. *Oscum*] *Osci,* Strabo l. V. Cic. in Epist. ad Marium. *Muretus.* Faërnus et Danesius legebant: *Oscum quendam ludium levissimæ, &c. ut auctoritate patrum coërcendus sit.* Ursinus.

CAP. 15. *Unusque e senatoribus*] Hoc est solus ex omni senatorum numero. Male quidam, tamquam plures ex senatu comites secessus habuerit Tiberius: quod ipsum est contrarium eorum, quæ Tacitus hic cum cura

notat. *Freinsh.*

Censorium funus] Quæri video quid sit censorium funus. Vertranius censuit, id esse in cujus nimiam pompam, ut in opus censorium, animadvertere Censoribus licuisset, nisi jussus Prætoris adfuisset. Nimis velim ad manum mihi laurus sit, quam mordeam: ita præcordia mihi saliunt ad risum. Alii idem putant Funus publicum, Funus censorium, Funus indictivum. Non audio. Arbitror ego Funus publicum et indictivum,* &c.

Procurator Asiæ] Eadem omnia e Tacito Dio, libro LVIII. in extremo. *Lipsius.*

Ne se jus] *Non se ei jus.* Muretus.

CAP. 16. *Patritios confarreatis parentibus*] Plinius lib. XVIII. 'Quin et in sacris nihil religiosius confarreationis vinculo erat: novæque nuptæ farreum præferebant.' Constat a. ex hoc loco, pervetustas valdeque difficiles fuisse cærimonias contrahendi matrimonii per confarreationem. De hoc Boëthius in Top. Cicer. l. II. prope initium. *Ferrettus.*

Et quando exiret] Defectum locum censeo: et deesse quæ ad cæremoniarum difficultatem pertinent. Qui cautus cæremoniæque Flaminio adjunctæ, habes apud Agellium lib. X. c. 15. *Lipsius.*

Et quando exiret] Lego quæsitive; *Ecquando exiret e jure patrio, qui id Flaminium adipisceretur, quæque in manum Flaminis conveniret?* Rhenanus. Ego nihil muto. *Vertranius.*

Ut hæc cum superioribus nectas, non *Et* legendum, sed vel *Ob id*, vel quid aliud in eam mentem. Causas n. prioribus recensuit, cur de jure flaminis et flaminicæ novando decernendum, quas ita claudit. Etiam hæc ipsa, male puncto a se invicem divulsa, sic distingue: *Ob id quando exiret, &c. conveniret, ita medendum senatus decreto.* Acidalius. Assentior Vertranio, cui locus integer: hæc est n. tertia, et ultima causa desitæ confarreationis: prima in incuriam, secunda rejicitur in difficultates. *Et quando.* Ut, 'Et quando de religionibus tractabatur' Ann. lib. III. *Salinerius.*

Capiebatur] De hoc ritu Gellius I. 12. *Muret.*

HS. vicies] Octo millia scutatorum monetæ. *Muretus.* Ut curiosis satisfaciam, hujus numeri notas, quomodo se habent in Man. hic delineavi: h̃ n x̃x. *Pichena.*

Sedes inter Vestalium] Solis virginibus Vestalibus locum in theatro separatum, et contra prætoris tribunal dedit Augustus, Suetonii XLIV. *Vertranius.*

CAP. 17. *Mobiles adolescentium animos*] Intelligo *mobiles.* At me hercule, si quid judico, melius hic, *nobiles*, quod mecum probabit, quisquis paullo accuratius omnia in rem cogitabit. *Acidalius.*

Maxime prompti] Sane *promptus* interdum ea significatione ponitur, ut pro *opportuno*, qui facile impelli possit, accipiatur: quomodo XV. 19. conjunguntur *prompta et obvia.* Sed hic rectius exponatur *promptus*, audax et δραστήριος, minime enim ipsa res patitur, ut Silius et Sabinus, de quibus statim sequitur, præ cæteris Agrippinæ cultoribus, veris, sive simulatis, ad injurias opportuni fuisse credantur. *Freinshemius.*

CAP. 18. *C. Silium et Titium Sabinum*] Legendum est, *Titurium Sabinum.* Muretus.

Utrique Silio, et quod] Levis distinctio, sed in qua ad sententiæ lucem grande momentum: *L. utrique: Silio et, quod ingent, &c.* i. Silio etiam id perniciosum, præter amicitiam Germanici, quod, &c. *Acidalius.*

Exercitus septem per annos] Apud ripam Rheni, ut dictum est lib. I. *Muretus.*

In alios dispergebatur] Ita Man. vulgo, *dispergatur.* Pichena.

Imparemque tanto merito] Alii le-

gunt *imparemque se tanto merito.* Ego nihil muto: nam eandem fortunam suam Cæsar tanto merito imparem rebatur. *Idem.*

Pro gratia odium] Sic Tiberius matrem oderat, quod ejus opera ad imperium pervenisse videretur. Sic et Nero. *Muretus.*

CAP. 19. *Aut Varro consul*] Corrigo locum palam corruptum: *quasi aut legibus cum Silio ageretur, aut per Varronem consulem, aut illud reipublicæ interesset.* Hæ tres enim sunt causæ, ob quas senatus legitime poterat cogi, quasi negotium Silii exigeretur ad leges, aut persecutio fieret instinctu Varronis consulis, aut res esset, quæ magnopere ad remp. pertineret. *Harlæus.* At tu cave tam infeliciter corrigenti auscultes. Cicero VII. fam. 30.* *Gronovius.*

CAP. 20. *Sed liberalitas Augusti*] Danesius addebat ex v. c. particulam, *et*, legebatque: *sed et liberalitas, &c.* Ursinus. Non carent hæc obscuritate, cui tamen sic obviam iri potest. Si a provincialibus quis repetundarum argueretur, et convinceretur, in quadruplum lis æstimabatur: at hic nemo provincialium repetebat. Ergo hujusmodi bona Tiberius sibi adjudicavit, quod iis potius inhiaret, quæ liberaliter Augustus in Silium contulerat, quam ut satisfieret provincialibus, quorum nemo res persequebatur. *Salinerius.* Varii varie locum hunc exponunt: mihi certum est de primo Augusto sermonem hic esse, non de Tiberio, quem noster nusquam Augustum nominat ex sua persona. Sensum porro hujus periodi hunc esse putem, ut dicat in bona Silii sævitum esse, non ut redderentur provincialibus, quæ ipsis eripuisset, sed ut repeteretur pecunia, quam ex liberalitate Augusti cum alias, tum etiam præcipue, credo, ex testamento ejus cepisset, atque ita singulæ res, quæ fisco petebantur, æstimatæ computatæque sunt, donec ista summa conficeretur. *Freinshemius.* Satis obscurum mihi videtur, si quid aliud in hoc scriptore. Sequutus autem sum hunc sensum: ereptum esse, quidquid Augusti liberalitate umquam accepisset: et donec ea summa conficeretur, optima et preciosissima quæque æstimata, et procuratori fisci adjudicata esse. Sic H. I. 90. Ubi vide. Clarior futura res erat, si de insigni aliqua principis ejus liberalitate, hunc in hominem collata, constaret: sed quando nihil ea de re adnotatum ad nos pervenit, tamquam in tenebris micandum est. *Freinshemius.*

Fuisse comperio] Sallustii verbum in Jugurthino, cujus studiosus imitator hic noster. *Muretus.*

Nam pleraque] Τὰ πολλὰ, *plerumque.* Idem.

Flexit in melius] Absolute positum. Sic lib. I. 'Tunc a veneratione Augusti orsus flexit ad victorias triumphosque Tiberii.' Sic in hoc ipso libro. 'In ambitionem flexisse.' Ductum a curribus; aut a navibus. *Muretus.* Ita vetus liber. Vulgo tamen repositum fuerat, *deflexit.* Pichena.

Neque tamen temperamenti egebat] Qui aliquid habet, idque usurpat, eo non utique eget: quæ hujus loci est sententia: non illa: Necesse non habuisse adhibito temperamento: hoc enim et totus hic locus probe consideratus et inprimis res ipsa non admittit. *Freinshemius.*

Sit in nostris consiliis] Τὸ ἐφ' ἡμῖν. *Muretus.*

CAP. 21. *Feroci viro*] Ferox quamquam interdum, raro tamen, reperiatur pro forti, dubium tamen non est, quin vulgata significatione hic accipiendum sit, pro audace, contumace, præcipiti. *Freinsh.*

Ut rettuli] Libro I. *Lipsius.*

Domo principis] Auctor supra *domum Cæsaris*, quam hic *Principis*, nominaverat: majorque erat audacia *Cæsaris domo*, quam matris ejus ream excivisse. H. I. 27. et in Suetonii

Vitellio cap. 15. vocari videtur *Tiberiana domus:* potuerunt tamen simul habitasse; sed non ideo quoque transformanda erat Taciti scriptio, quum ea longe majorem haberet efficaciam. *Freinsh.*

Tiberius civiliter habuit] Ovidius: 'Exercet memores, plusquam civiliter iras.' Vide quæ ad lib. I. adnotavimus. *Muretus.*

Etiamsi impetus offensionis] In eandem sententiam Homer. Iliad. A. vs. 81. Εἴπερ γάρ τε χόλονγε, &c. id est, 'Nam quanquam in præsens violentem concoquit iram, Conceptam tamen illam alta sub mente recondit.' *Idem.*

Pisonemque gravius] Mendum arguunt multa. Primum, quod accusator nemo expressus, ut solet: quod Tiberius ipse incusasse eum dicitur, insolens Imperatori: quod pars accusationis spreta dicitur, ut atrocior vero: quod non evenisset Principe accusante. Ne quis dicat non legitimam accusationem fuisse, tantum Principis mandatum: ecce addit, *Ceterorum receptus est reus, neque peractus ob mortem opportunam.* At reus recipi sine accusatore non potuit. Lego igitur, *Pisonem Q. Granius.** Lipsius.

Pisonemque gravius] Leg. *Pisonem Q. Granius.* Muretus. Lipsius ita restituit: *Pisonem Q. Granius.* Corrupte antea et insulse, *Pisonemque grarius.* Pichena.

Relatum et de Cassio Severo] De ejus ingenio videndus Seneca in præfat. lib. III. Controv. Hunc primum affirmant flexisse ab illa vetere atque directa dicendi via, non infirmitate ingenii, sed judicii. Hic noster, seu Fabius in Dialogo de Oratorib. Scripsit et Historias. Tertullianus in Apologetico. Suetonius in Vitellio. *Muretus.*

Per immodicas inimicitias] Suspectum. *Lipsius.*

Per immodicas inimicitias] * Suspectum est viris magnis illud *inimicitias* forsan sine causa solida. Ecquis enim est, qui non statim oderit hominum ista mendicabula, canino ore ac dente impetentia ac lacerantia optimum quemque? sane et tales formidabiles Senatui ipsi, pluribus ostenderem, nisi id liquido satis ob oculos poneret unica historia Taciti. Unde etiam accidit, ut quoties data a principe occasio subvertendi istos, lætis id etiam animis præstiterint. Fidei causa adnoto. Ann. lib. IV. 71. et Ann. VI. 4. et 10. et lib. XIII. 42. Nam haud semper licuisse uti in hos stilo decretorio, bene monuit Tacitus Ann. IV. 36. *Gruterus.* Suspectum id viro doctissimo, nec ob quam causam ira sit, indicat. Ego quidem nullam video, cum sit iste Cassius, cujus ingenium violentum notatur etiam ex dialogo de Orator. c. 26. tum iis quæ collegit Andreas Schottus in libello de claris apud Senecam Rhetoribus. Plurimos ergo accusavit, et prorsus sine modo, cum nec opes cujusquam, nec dignitatem vereretur, suo ingenio dicax et acerbus, quibus rebus etiam in exilio novos inimicos sibi suscitavit, qui hujus loci sensus est. *Freinsh.*

Saxo Seriphio] Fabulam de Perseo lege apud Strabonem ad finem l. X. quæ hunc locum mirifice illustrat. *Muretus.*

CAP. 22. *Plautius Silvanus*] Similis at non eadem res, &c. * De hoc ipso autem Plautio lapis:

TI. PLAVTIO. M. F. M. N.
SILVANO. ÆLIANO
PONTIF. SODALI. AVGVSTALI
III. VIR. A. A. A. F. F. Q. TI. CÆSARIS
LEG. LEG. V. IN. GERMANIA.

Id est, *Triumviro auro argento æri flando feriundo, Quæstori Tiberii Cæs. Legato Legionis quintæ.* Lipsius.

Plautius Silvanus] Lapis quem retulit eruditissimus Lipsius, non est de hoc Silvano. Nam in eo Plautius

et Claudii Imp. comes fuisse dicitur in Britannia, et vixisse usque ad Vespasianum. Vide Gruteri Inscript. p. 403. *Mercerus.*

CAP. 23. *Sibi impetrando*] Corrigo, *ubi impetrando.* Lipsius.

Sub impetrando] Lego, *ubi impetrando.* Muretus. Nihil dubitavi, quin Lipsii correctionem reciperem: nam et perspicua depravatio erat, *sibi impetrando*, ut in vulgatis; et Manuscriptus veræ lectioni dat lucem, cum habeat, *sub impetrando.* Pichena.

Raptabat Africam] Non, *reptabat*, ut vulgo. Alibi: 'Igitur raptare inter se, immittere latronum globos.' *Lipsius.*

Proconsul ejus anni] Florentina editio, *Proconsule ejus anni*, quod rectum esse puto, et jam alibi defendi. *Freinshem.*

CAP. 24. *Circumveniri*] Pro interfici, ut supra quoque occurrit I. 68. *Idem.*

Incubuissent] Hoc magnam molitionem innuit, veluti quum maximo oneri protrudendo pectus humerique opponuntur, adeoque summa vi incumbitur. *Idem.*

Primo sui incessu] *Sui* otiosum plane et nulli usui. Ausim mutare *statim*, ut lib. II. ex *suum* idem faciebamus: 'Vine militum servum suum coërceret,' &c. *Primo incessu* est, quod veteres dicebant *primo pedatu.* Acidalius.

CAP. 25. *Fisos loco, quia vastis*] Forte Tacitus scripsit, *qui vastis.* Gronov.

Præpeditis equis] * Numidæ. *Pedicam* appellare videtur respectu ad hanc rem Livius XXI. 36. *Freinshem.*

Per manipulos] Quidam: *a denis ad denos:* pessime. Non enim denis tantum militibus constabant manipuli, sed longe pluribus, quippe ex binis centuriis. A. Gell XVI. 4. 'In legione sunt centuriæ sexaginta, manipuli triginta, cohortes decem.' *Idem.*

Dilectis circum] Mercerus *disjectis.* Ego etiam statim, *offusis undique*, malim. *Lipsius.*

Dilectis circum stipatoribus] Scribe, *disjectis.* Mercerus. Cum Manuscriptus habeat, *delectis*, vera mihi emendatio est, *deletis.* Sic infra eodem libro, *deleto promtissimo quoque, aut saucio.* Pichena. Commodissimus, non abnego, sensus horum omnium. Leviter tamen ego suspicabar, *defectis* vel *disjectis circum stipatoribus, vinctoque jam filio, &c.* Ita *defectas copias* legebamus olim in Cic. ad Att. l. IV. Ep. 3. *Acidalius.* Quin potius forsan *dejectis*, id est, prostratis. Sic Phædrus Fab. 32. 'Super juvencum stabat dejectum leo.' Martialis ep. I. 60. 'Non nisi dejecta pascitur ille fera,' ex felici, ut puto, conjectura C. Barthii, ubi vulgo etiam *delecta.* Neque abest longe nostri l. XI. 'uxore dejecta plus potentiæ ostentando.' *Gronov.*

CAP. 26. *Sejano tribuens*] Hoc est, Sejani causa id fecit, in honorem Sejani: ne quem deducat translatio Gallica, quæ vult Tiberium triumphalia dedisse Sejano. *Freinshem.*

Et culpæ nescia] Imo, *culpæ conscia:* atque ita scribo. Nam supra ait, 'prædarum receptorem et socium prædandi fuisse Garamantum regem, missis levibus copiis.' Non ergo extra culpam. *Lipsius.*

Perculsa gens et culpæ nescia] * Verba Turni sunt, negantis crimini fugæ se suum assensum præbuisse. Non ergo danda est civitas *τῷ conscia culpæ:* quod vir doctissimus vellet non titubanter. *Salinerius.* Sequuti sunt hanc lectionem plerique: alii merito prætulerunt emendationem Lipsii, *culpæ conscia.* Freinshem.

CAP. 27. *Cœptantem tum maxime*] Lego, *Cœptantem cum maxime.* Rhenanus. Ut lib. III. 'Littora et lacus Campaniæ cum maxime peragrantem.' *Muretus.*

Staius tribunus] Dubitaveram num, *Statius*, legendum sit. Ita lib. XV.

'Statius proximus tribunus cohortium:' et inferius, 'manu Statii tribuni trucidatur:' alibi etiam, 'Statius Annæus:' 'Statius Domitius:' 'Statius Murcus.' Tamen Staii cujusdam meminit Persius Sat. II. *Pichena.* Quidam *Statius.* Sicut etiam *Statius Murcus*, homo celebris, in Velleii, Appiani, Dionis historiis servili nomine *Statii* fœdabatur. Postea tamen in frequenti usu esse cœpit *Statii* vocabulum. *Freinshem.*

Proximos audaciæ] * attulerant. Alii nimis evagantur reddendo *socios*, qua voce non proximi tantum, sed omnes audaciæ participes veniunt. *Idem.*

Jam trepida ob multitudinem familiarum] Castigavi, *jam trepidam ob multitudinem familiarum.* Rhenanus. Non nemo ignoravit de servis dici *familiam:* itaque commentus est novum sensum *familiarum seditiosarum:* quas opponit bonis et honestis: quum Tacitus inter *servitia* et *plebem ingenuam*, h. e. liberis parentibus natam, comparationem instituerit. *Idem.*

CAP. 28. *Nomen viri, Q. Vibius*] Puto legendum totum locum, *reus pater, accusator filius (nomen utrique Vibius Serenus) in Senatum inducti sunt:* quod postea firmatum a veteri lectione didici, quæ est, *virique.* Nec male etiam coiverit hiulca alias oratio, trajectis verbis: *reus pater, accusator filius in Senatum inducti sunt. Nomen viri Q. Vibius Serenus, ab exsilio retractus.* Lipsius.

Nomen viri Q. Vibius Serenus] Jam dixi, nisi legendo Cornelium animum attendas, pleraque tibi subobscura visum iri: nunc specimen specitur. *Ab exilio retractus:* pater, quod inferius scribatur: *perorante filio:* at illud *viri* sequens. Virgil. Eclog. IV. 'Hinc ubi jam firmata virum te fecerit ætas.' Cui respondet *præparatur adolescens;* nec mihi aliorsum distrahasris filii nomine suppresso: aut enim indignitate rei motus, id in ipsa re Cornelius facit, aut ad hoc satis fuit expressio nominis paterni: nam ea tempestate non raro pater, et filius communi vocabulo nuncupabantur. Tacit. Ann. l. III. 'Cneus Piso qualicunque fortunæ meæ non est adjunctus:' hæc pater, qui etiam Cneus Piso vocabatur, 'præfecerat Cneum Pisonem ingenio violentum.' Quæ res haud dubie usu venit huic parricidæ. *Salinerius.* Recte quidem Lipsius correxit, *nomen utrique Vibius Serenus:* nam et Man. idem innuit, cum habeat, *nomen utrique Vibius Serenus.* Sed aliquid amplius huic loco requiritur, ut integre sanetur; neque verbum, *sunt*, Taciti phrasim olet: in cujus locum mihi videtur posse aptissime reponi, *senex:* idque necessitas distinctionis exigit, cum paulo post dicat, *adolescens.* Sic igitur legerem et distinguerem: *nomen utrique Vibius Serenus, in Senatum inducti. Senex ab exsilio, &c.* Pichena. Ita Muretus, ut Lipsius: cujus altera trajectio verborum non probanda. Amplector magni Viri Errici Memmii conjecturam: *perorante filio pater. Paratus adolescens, &c.* sed ego amplius totum locum distinctione juvo, et vocem *stabat* occasione similium aliquot a fronte et tergo literarum perditam insero, denique pro *et tum, etiam* scribo. Leg. *in Senatum inducti sunt. Stabat ab exilio retractus, illuvieque ac squallorè obsitus, etiam catena vinctus perorante filio pater: paratus adulescens multis mundiciis, alacri vultu, structas principi insidias, &c.* Acidal. Malebam: *reus pater, accusator filius (nomen utrisque Quintis Vibiis Serenis) inducti sunt.* Gronov.

Retractus] Scil. ob hoc ipsum, ut causam Romæ diceret. At quod est in Gallis *nouvellement retiré*, possit intelligi, tanquam aliquanto prius, idque per beneficium ab exsilio revocatus esset. *Freinshem.*

Perorante filio. Præparatur adolescens multis munditiis] Audio virum magnum et meritis in litteras clarum Err. Memmium legere: *Perorante filio*

pater. Paratur adolescens. Et rei et hominis caussa quis non comprobet? *Lipsius.*

Præparatur adolescens multis munditiis] Venturius legit, *præparatus:* procul dubio rectius: refertur enim ad subsequens verbum, *dicebat.* Pichena. Verbum *præparatur* factitium hic est non nativum. Locus integer sic scribendus est: *Reus pater, accusator filius, &c. in senatum inducti sunt: ab exsilio retractus, &c. perorante filio pater; adolescens multis munditiis, alacri vultu.* Est enim syllepsis, qualis in his Virgil. Eclog. VII. 'Compulerantque greges Corydon et Daphnis in unum: Daphnis oves: Corydon distentas lacte capellas.' *Freinshem.*

Missos in Galliam concitores belli] Irrepserat in vulgatis copula, *missosque;* præter Man. mentem, ideo illam delevi. *Pichena.*

Quia periculum pro exitio habebatur] Hoc est, quia nullis reis evadentibus, idem putabatur accusari quod damnari. *Freinshem.*

Falsa exterritum] Videndum an sit scribendum; *et falso exterritum.* Ursinus. *Falsa* pro falso, eo modo quo Horat. ep. I. 'Insanire putas solennia me, neque rides.' Id est, solenniter. Juven. Sat. II. 'Qui Curios simulant et Bacchanalia vivunt:' pro Bacchanaliter. *Pichena.* Muretus legit *falso.* Ego etsi raram locutionem, et quam in Tacito nostro non legisse me memini, non audeam mutare: tamen suspicor legendum, *Et per falsa exterritum.* Acidal.

CAP. 29. *Post damnatum Libonem*] At in damnatione Libonis nulla mentio hujus Sereni, nullæ partes. *Lipsius.*

Post damnatum Libonem] At in damnatione Libonis, nulla mentio hujus Sereni, nullæ partes, ut exquisite monuit præceptor meus Lipsius. Sic est, si sequimur lectionem hactenus usu receptam; sin suspiciunculam meam non dedignatur lector, inveniet hominem istum Annal. II. 30. latitantem sub *C. Livio,* cujus deinceps tamen nulla mentio usquam apud Tacitum. *Gruterus.*

CAP. 30. *Intercessit Gallus Asinius*] Vulgo vitiosa distinctio. Scribe totum locum, *intercessit. Gallus Asinius G. a. D. claudendum censere;* id est, censebat. Intercedendi aspernandique verba ad Cæsarem ipsum referenda sunt, qui jure Tribuniciæ potestatis intercessit decreto, invidiæ minuendæ. *Lipsius.*

Gallus Asinius Gyaro] Legendum forte, *Cum Gallus Asinius.* Muretus. Locum corruptum esse nemo non videt. Faërnus legebat: *Intercessit: ut Gallus Asinius, Gyaro aut Donusa claudendum censuerat.* Ursinus. In suspectis locis Man. lectionem anteferimus. Ideo illius fidem secuti, verbum, *censeret,* restituimus: vulgo, *censere,* quod Lipsius interpretatur, censebat. Ego potius aliquid deesse suspicor. Muretus explet: *cum Gallus Asinius.* Sed conjectura tantum. *Pichena.* Non tego suspicionem meam, in vocula *aut* latere nomen clari cujusdam senatoris, præsertim cum istud *censeret* etiam indicio sit locum hunc in morbo cubare: quem ita reformem, si quid libri aut historiæ juvent: *Gallus Asinius Gyaro, Cotta Donusa claudendum censuere.* Sane Cottam illum in atrocem sententiam promtissimum semper fuisse patet ex nostro infra V. 3. et VI. 5. *Freinsh.*

In præcipiti conquestus esset] Melius fere procederet sententiæ impetus, si amoliremur dictionem ultimam. *Gruterus.*

CAP. 31. *Quin ipse compositus*] Cæsari, cum in sævitiam laberetur, eluctabantur fere verba et erumpebant, tanquam vi coacta, et composita: quoties subveniret, solutius, &c. *Ferrett.*

Diu prospere, nunquam bene] Invertunt non sine damno sententiæ, uti mihi quidem videtur; non enim apparet quid potissimum notari velit

auctor, et quo quasi digitum intendat. Jam autem non hoc vult dicere, * promovenda usum esse. Sed et alii quidem verba hæc, *nunquam bene*, quæ unice ostendi debuerant, quorumque causa toto hæc pericope instituta est, velut studio abscondunt premuntque. *Freinshem.*

Judicio perculerat] Malim, *indicio:* eorum argumento, quæ retulit Tacitus sup. l. II. *Vertran.*

CAP. 32. *Veteres populi Rom. res*] Non dubito scripsisse Tacitum *veteris populi Rom. res*, sicut supra I. 2. ubi notam Pichenæ vide: quo modo Plinio XXXVI. 6. 'veteres nostri' sunt majores. *Freinshem.*

Ad interna præverterent] Accederent, venirent. *Muret.*

Princeps proferendi imperii incuriosus erat] Verbum postremum a Tacito non esse persuasus sum. Deleo, et in alium sensum distinguo: *inglorius labor: immota quippe a. m. l. p. &c.* Ut per figuram omnia nectantur cum voce *labor*, quam Grammatici Appositionem vocant. *Acidal.*

Rerum motus oriuntur] Quidam legunt, *monitus*, sed non assentior. *Muretus.* * semper timent Athenienses.' Quod ultimum ita verum fuit, ut inde maxime Atheniensium potentia destructa sit. Plutarch. in Alcibiad. τὸ δὲ τρίτον, καὶ μέγιστον ἐπιτειχίσαι Δεκέλειαν· οὗ μᾶλλον οὐδὲν διειργάσατο καὶ κατοικοφθόρησε τὴν πόλιν: i. e. *tertium, idemque maximum, mœnibus circumvallare Deceliam, qua re nulla potior exitium civitatis invexit.* Saliner. Lipsius, *monitus*, me quidem adsentiente: nam aliorum *motus* nihil habent sani. *Freinshem.*

CAP. 33. *Delecta ex his et temperata simul ex omnibus*] Trium istarum formarum respublicas dari ipse modo diserte dicebat: sed aliquam ex his delectam atque ita libratam, ut omnium commoda complectatur, omnium evitet vitia, eam vero reperiri valde negat, idque ex vero, quidquid alii contra somnient. Prius enim formandi essent alii homines (aliis etiam moribus) ex quibus ejusmodi respub. institueretur. *Freinshem.*

Quibus modis temperanter haberetur] Hoc longe locupletius est, quam ut exhauriatur Gallico *à mériter leurs bonnes graces:* quod quidem non excluditur, neque etiam præcipuum est eorum, quæ hic continentur. * moderatum esse.' *Ea temperantia* non comparet in Hisp. *Los medios para tenerlo contento:* nam hoc eorum videretur, qui omnia ad nutum et auram popularem dirigunt: turbatores potius plebis et reipublicæ, quam callidi temporum et sapientes. *Freinsh.*

Neque alia rerum, quam si] Fort. *atque alia rerum quam si.* Muretus. Impendio unius parenthesis locus illustratur: *Sic converso statu, neque alia rerum, quam (si unus imperitet) hæc conquiri, tradique in rem fuerit:* τὸ *alia rerum.* * Saliner. Lipsius rectissime, *neque alia re Rom.* Poterat tamen trajectio usurpari: *Sic converso neque alio rerum statu, quam si unus, &c.* Muretus quid voluerit, cum mutaret, *atque alea rerum, cum si unus;* non extrico. *Acidal.*

Ceterum ut profutura] Dixit idem Thucydides: Καὶ ἐς μὲν ἀκρόασιν ἴσως τὸ μὴ μυθῶδες αὐτῶν ἀτερπέστερον φανεῖται. *Lipsius.*

Et easdem exitu causas] Non sperno. Sed forte melius: *et easdem exitii causas:* ut majestatis legem designet, quæ tum maxime exercebatur. *Pichena.*

Obvia rerum similitudine] Ubique lectoribus occurrente. *Muret.* Non mutem: *obvia ex rerum s. s.* Acidal.

Malefacta sibi objectari putent] Plin. Paneg. 'Ut in se dicta interpretarentur, quæ de simillimo dicerentur.' *Pichena.*

Ut animus ex propinquo] Legam, *ut nimis ex prop.*

Ut animus ex propinquo] Fort. *ut nimis.* Muret. Vulgo, *ut animus*, ob-

scuro sensu. Erant qui sic interpretabantur: Si relatas virtutes Lector sibi suoque captui, propinquas ac familiares non agnoscat, statim illas animo et cogitatione arguet, falsasque putabit: et esset huic sententiæ simile, quod ex oratione Periclis apud Thucyd. l. XI. sumsit Sallust. in proœmio Catil. his verbis: 'Ubi de magna virtute atque gloria bonorum memores, quæ sibi quisque facilia factu putat, æquo animo accipit: supra ea, veluti ficta, pro falsis ducit.' Alii sic: Gloria quoque ac virtus odiosæ sunt, sicut etiam animus ac mens scriptoris, qui ex propinquo arguere ac vituperare diversa videatur. At vulgata illa lectio non erat juxta Manuscriptum, qui habet, *ut animis.* Unde Illustris Vir Ursus Ilciensis Comes, inter Senensem nobilitatem eruditissimus, qui multas Mureti notas ad Tacitum mecum humanissime communicavit, me monuit, apud eundem Muretum legi, *ut nimis*, quod adeo verum censui, ut recipere non dubitaverim. Sensus est: Gloriam, ac virtutem odio haberi, ut quæ nimis ex propinquo, id est nimis prope, ac quasi coram, et sub oculis hominum, diversa vituperare, seu aliorum vitia exprobrare videantur. Et quod hic, *ex propinquo*, alibi Tacitus eodem sensu usurpasse videtur, *e proximo* Hist. lib. II. 'Et Triariæ licentiam modestum e proximo exemplum onerabat Galeria Imperatoris uxor.' Quod idem Ilciensis observavit. *Pichena.*

CAP. 34. *C. Cassium Romanorum ultimum*] Sic Romani Philopœmenem, *ultimum Græcorum* vocarunt. Plutarch. in ejus vita et in Arato. *Muret.*

Scipionem, Afranium] Duplex error est Angli, gravis uterque, quod hos duos pro uno habet, eumque virum pro historico, qui Cassii et Bruti mentionem fecisset. Sed auctori adhuc de Livio.* *Freinshem.*

Latrones et parricidas] * dixere nefas?' Qui poëta ubique tam liberi, imo licentis stili, in Principes est, ut mirer ea scripta sub Principe, et quidem tali. *Lipsius.*

Et uterque opibusque atque honoribus perviguere] Dele τὸ *que* appensum voci *opibus:* ne tam confragosa oratio sit ex crebra nimis ejusdem particulæ iteratione. *Acidal.*

Ipse D. Augustus] Plutarch. in Cic. refert Augusti dictum de Cicerone: λόγιος ἀνὴρ, ὦ παῖ, λόγιος, καὶ φιλόπατρις. *Muret.*

Namque spreta exolescunt] Lego, *Nam quæ spreta exolescunt.* Muret. Non ita bene Muretus, *nam quæ spreta.* Acidal. *Agnoscere* est profiteri et habere pro suo. Vide sup. ad II. 30. *Freinshem.*

CAP. 35. *An illi quidem septuagesimum*] Forte melius, *at illi quidam*, interrogationis nota in verbo *retinent* deleta. *Pichena.* Sic et Boxhornius. Male, nam τὸ *Num* supra ea vi est qua *Utrum:* itaque hoc alterum est duorum, quæ interrogare instituit. *Gronov.* M. Brutus et C. Cassius partium duces in Macedonia, a pugna apud urbem Philippos, vitam voluntaria morte finierunt, Lepido et Planco Coss. ut opinor, et certe inter Octavii primum, et L. Antonii consulatum, ut ex Paterculo observavi. Inde vero si numeres ad Cossum et Agrippam consules, annos duntaxat LXVI. non, ut refert Cornelius, LXX. invenies. Sed hoc licenter veteribus in more positum fuit, ut nomine totius, Synecdochicῶs majorem partem significarent: quod Asconius in M. Tullii Pisoniana, et ex utroque et Livio Manutius eruditissimus annotavit. Tu videris Augustinum Civitatis XV. c. 24. *Vertran.*

Quomodo imaginibus] Plutarch. in Bruto refert Lepidum Augusti factum de Bruti statua Mediolani, quem omnino vide. *Muret.*

Quas nec victor quidem abolevit] Genus mendi, quod passim insedit, et

jam dudum nimis secure doctis hominibus transmittitur. Scribe: *quas ne victor quidem abolevit.* Gronov.

Vitam abstinentia finivit] Xiphilinus ex Dione, quem *Cremutium Cordum* vocat Tacitus, non abstinentia cibi vitam finisse scribit, sed manus sibi afferre coactum; et paulo infra, accusationis ejus causas enarrans easdem, quas Tacitus, inquit: 'De iis enim rebus accusatus occisus est.' Suetonius Aug. 56. quod spectat ad nominis appellationem, cum Tacito convenit, hunc historiæ scriptorem *Cremutium Cordum* vocans, unde mendum in Xiphilini textu librarii incuria esse credendum. At quod ad contradictionem de interitus modo spectat, existimo sic eorum dicta conciliauda, nempe, *manum sibi afferre;* hoc est, sibi mortem consciscere, etsi proprie sit *ferro vitam finire,* nihilominus et de quocunque alio mortis modo voluntario dici posse. Sic Cic. in Epist. ad Oct. 'Ego senatum sibi manus afferre coëgi.' Ita et *occidere,* licet magis proprie significet gladio et ferro interimere, uti apud Jurisconsultos, l. x. 'si ipse servus.' *D. de pec.* tamen Ulpianus, l. VII. §. 1. D. ad leg. Aquil. 'Occisum,' inquit, 'accipere debemus sive gladio, sive fuste, vel quo alio telo, vel manibus, si forte strangulavit eum, vel calce petiit, vel qualiter qualiter.' Vulgo enim occidisse dicitur is, qui mortis causam quolibet modo præbuit. Quum itaque Cremutius Cordus injustis accusationibus petitus, a Sejano consentiente Tiberio mori coactus sit, cibi abstinentia, ob id jure sibi manus attulisse, atque occisum dici potuit. Libet annotare, Cordum historiarum scriptorem, de quo Capitolinus in Gordianis meminit, alium a Cremutio Cordo fuisse, is enim *Junius Cordus* appellatus. *Donatus.* Ἀπεκαρτέρησε. *Muretus.*

Manserunt occultati et abditi] Libri Senatusconsulto exuri jussi, quod iis agnitum a legentibus quidpiam esset, iniquo animo a principibus acceptum, ideo abdite servati, et a curiosis lecti sunt. Qui si Cornelii rectus sensus est, ut opinor, perperam in omnibus libris legitur, *manserunt occultati et editi:* imo vero id esse non potest, ut libri iidem, quos cremari jusserat senatus, retrusi in tenebris, et publicati remanserint: neque enim exustos libros publice habere, impune quisquam illo tempore potuisset. Junguntur autem sæpissime apud M. Tullium, *abditum et occultum,* et dicuntur ab eodem res occultæ et penitus abditæ. *Vertranius.*

CAP. 36. *Feriarum Latinarum*] Vide Varronem l. v. de L. Lat. Dionysium l. IV. *Muretus.*

Præfectum urbis Drusum] V. C. habet *præfectum urbi, &c.* et sic est in antiqua formula, Q. IVNI. RVSTICI. PRÆF. VRBI. *Ursinus.*

Adversus cives Rom.] Quos nonnullos in vinculis habuerant. Dio, et Sueton. *Muretus.*

Amisere libertatem] Ademerat et Augustus, sed mox restituerat. Dio. *Idem.*

CAP. 38. *Cives, et Deos ipsos precor*] Geminatum fuit in Man. ab oscitante librario: *et Deos et Deos ipsos;* ex quo veteres correctores fecerunt, *et Deos et Deas ipsas:* quod mihi contra auctoris mentem visum est. *Pichena.* Pichenæ editio, quam nos etiam tamquam emendatissimam sequebamur, *et deas,* omisit: at quum in omnibus versionibus occurrat, neque Pichenam eo quidem loco satis accurate judicasse videam, placuit recipere; videtur enim vetus fuisse formula, deos deasque conjungendi. Sicut in Ciceronis Epist. Brutus ep. 16. 'Mihi prius omnia Dii Deæque eripuerint, quam illud judicium.' Propert. III. 12. 41. 'Diique Deæque omnes.' *Freinshemius.*

Principibus statim adesse] Legendum *affatim adesse.* Muretus.

CAP. 39. *Nimia fortuna socors*] Quidam pessime, *securus et sollicitudinis expers:* quod quidem, nisi aliunde constaret de significatione, ipsa res abunde refelleret. Ceteri egregie reddiderunt, alius *ebrium*, alius *obcæcatum.* Freinshemius.

Moris quippe tum erat] Probus sapiensque mos, et quem ego sane laudem. Repertorem ejus C. Cæsarem,* &c. *Lipsius.*

Præsentem, scripto adire] Vetus ille mos viget adhuc, a Thrasea servatus, cum et ipse et princeps in urbe essent: ad illum enim codicillos composuit, eosque Nero properanter accepit: auctor Cornelius infra xv. Hic vero de industria philologum moratus sum. *Vertranius.*

CAP. 40. *Tolerandum haberet*] *Tolerare* hoc loco est quidem etiam manere, sed continet insuper significationem patientiæ, *sich gedulden:* cui non sufficit istud Itali *restare:* neque aliorum alia. *Freinshemius.* Nota loquendi genus ex Græco fonte. Sic l. xiv. 'si nunc primum statuendum haberemus.' Plin. Ep. l. I. 8. 'Cum enitendum haberemus.' Arbiter: 'ne et tecum quoque habeam rixandum toto die.' *Pichena.*

Velut in partes] Nota improprii sermonis prætermittenda non erat. *Partes* enim, si Ciceroni credimus in Philipp. XIII. 18. 'dicuntur in foro, in curia.' Non ergo in eadem domo aut familia. *Idem.*

Falleris enim Sejane] Respondet illi parti, 'Non enim exuere se imposita munia.' *Lipsius.*

Vis tu quidem istum, &c.] Si his verbis apud Sejanum usus fuerit Tiberius, juraverim profecto neutrum eorum intellexisse, vel hunc, quod diceret, vel illum, quod diceretur. Adeo fœde inquinatus est hic locus. Potuissem tanquam a conclamato abstinere manus; nisi existimarem, me, si non omnia ad restituendam, saltim nonnihil ad eruendam ejus sententiam posse conferre. Quam hanc esse plane mihi persuadeo: 'Constituisti tu quidem, Sejane, pro constantia modestiæ tuæ, intra eum locum, quo nunc es, te continere: sed etiam atque etiam, pro prudentia tua vide, quantum tamen invidiæ illæ, quas jam ambis, Liviæ nuptiæ in te sint concitaturæ. Nam ipsi illi primores urbis Romanæ, et amplissimos gerentes magistratus, qui, licet invito et reluctante, ac adverso tibi animo, in speciem tamen te præferunt palam sibi, tuorumque exquirunt sequunturque consiliorum auctoritatem, quotidie haud occulte fremunt, jam nimiam esse tuam potentiam, meoque beneficio ad majora esse fastigia te promotum, quam unquam fidissimos maximosque amicorum promoverit Pater meus Divus Augustus. Quid igitur ipsi illi non sunt dicturi, si videant Liviam, C. Cæsari, mox Druso nuptam, in torum ac familiam tuam transire?' Adeo ut ad cæteras rationes, hanc quoque prudenter adjiciat Tiberius, ab augenda, hoc matrimonio inito, invidia desumptam. Pro hoc sensu, levi ac prope nulla mutatione, sic in integrum velut restituimus vexatissimum locum. *Vis tu quidem istum intra locum sistere; sed illi magistratus et primores, qui te inviti* (id est, reluctante quanquam animo) *præferunt*, (sibi scilicet, palam æstimant, colunt) *omnibusque de rebus consulunt, &c.* Ad hujus lectionis sententiæque integritatem et cum instituto Tiberii convenientiam vix est, quod desideres. Illud, *invito,* quod nullo jure et sensu hactenus occupavit hunc locum, maximas turbas fecit, peperitque tot monstra falsarum ridicularumque interpretationum. At, quam pronum erat, quod nos fecimus, reponere, *inviti,* sexto singulari casu in primum pluralem mutato? Inviti alium colunt, quorum in eum adulatio et obsequium in aperto est, odium vero opertum. Quales isti magistratus et

primores, de quibus hic agitur. Pro *perrumpunt*, rescripsi, *præferunt*. Hoc, aut simile verbum ipsa sententia palam requirit. Cogitent interim alii, an ejus significationis aliud substituere possint, quod minus abeat a vestigiis corruptissimæ lectionis vulgatæ. Saltem hoc, quod reddidimus, non adeo longe ab iis deflectit. *Boxhornius.*

Qui te invito perrumpunt] Id est, qui ad me, etiam te nolente, penetrant, meque de omnibus consulunt. *Pichena.* Minime vult auctor, hos perrumpere ad Tiberium, &c. non; sed ad Sejanum, ut plane urget nexus orationis, patetque satis ex hujus libri capite 2. item Cassii lib. LVII. non ita longe a fine; cujus verba non vacat nunc apponere. *Gruterus.* Locus sat intricatus et difficilis, cujus hunc esse sensum multi putant, eos invito Sejano ad Tiberium perrumpere, eumque consulere, quod absurdum existimo. Quid enim? Aliquis princeps, qui quidem non sit extreme stultus, amicum habeat, a quo norit alios prohiberi, ne se conveniant? et si norit, patiatur? et si patiatur, etiam ipsi illi aperiat, et velut indicium deferat, quis, qua de causa se accesserit? Deinde amico eam potentiam concedat Princeps: quis eo invito audeat perrumpere? præsertim si ab ipso principe prodatur. Sed desino congerere multa et sane ponderosa. Quorsum enim ista dicerentur? Expendatur quo in argumento versetur sermo Tiberii, nunquid in hoc ut Sejano in equestri statu se permansurum ostendenti respondeat: negetque id facile fore: Quamquam enim de illius modestia non dubitet (ac profecto non dubitabat) alios tamen etiam nolentem ad majora propulsuros, et modestiam ejus expugnaturos esse. Idque adeo jam cœpisse fieri, quum sint, qui invito eo perrumpant illam; ejusque sententiam, tamquam intimi Cæsaris amici, de negotiis exquirant; licet ipsi illi, ut fit, recentem ejus felicitatem ægris oculis adspiciant, et jam longe supra Augusti amicitias evectum esse palam ferant; quod et ipsum eo pertinet: ne, *istum intra locum sistere* se posse, crederet Sejanus. *Freinshemius.*

Patris mei amicitias] Id est, amicos. Intellegit Augusti Agrippam aut Mæcenatem. *Lipsius.*

Patris mei amicitias] Mæcenatem et Agrippam intelligit, qui in Augusti amicitia validissimi. Potentiorem tamen Sejanum apud Tiberium dicebant. *Pichena.*

CAP. 41. *Rursum Sejanus*] Accepto Tiberii responso denuo codicillos tradidit Sejanus: id hic ostenditur. Sed interpretes non adverterunt. *Freinsh.*

Non tam de matrimonio] Emendandum; *non jam.* Sejanus enim territus, matrimonii mentionem omiserat. *Muretus. Ursinus. Pichena.*

Altius metuens] Metuebat scilicet, ne Tiberius in suspicionem tacitam incidisset earum rerum, quas ipse animo vere agitabat, de imperio adipiscendo. *Pichena. Altius metuere* dictum est, sicut 'altius mœrere' II. 82. 'Penetrare' II. 36. III. 28. XVI. 21. 'percellere,' IV. 54. *Freinshemius.*

Ac ne assiduus] Legendum, *ac ne aut assiduus.* Muretus.

Vera potentia augere] Malim, *augeri:* nisi legere libet, *agere.* Rhenanus. Muretus, *veram potentiam augere.* Est alioqui alterum eadem significatione, nec minus venustum: nisi forte hic concinnius hoc putabimus, quia præcessit, *invidiam minui*, cui magis respondeat, *potentiam augere.* Acidalius. Mihi vulgata lectio valde probatur: nam verbo, *augere*, passivam significationem tribuo, quod Tacito est familiare, et notat Lipsius ad l. XI. Ann. et Histor. III. *Pichena.* Male scriptum, *vera potentia augere,* pro *veram potentiam augeri.* Marcilius.

Præcipua rerum maxime agitari] Plerique interpretes *agitandi* verbum accepisse pro turbulento motu; quum

nihil hic sit aliud, quam *tractari.* Omitto jam ostendere, quam ejusmodi oratio iis Sejani temporibus consiliisque inepte tribuatur. *Freinshemius.*

CAP. 42. *Contantem*] L. *nutantem.* Etiam sic Muretus. *Acidalius.*

Quanquam Lentulus Gætulicus] V. C. habet: *Quamque Lentulus, &c.* Ursinus.

CAP. 43. *Vatum, annalium ad testimonia*] Nuper Lipsius corrigit; *annalium atque testimonia;* pro, *atque annalium.* Nos brevius, *annaliumque testimonia.* Pichena. Attende lector et senties isti loco, liberali manu librariorum adjectum *vatum, annalium;* qui arbitrabantur alioquin non cohærere sententiam cum illo *locupletiores:* certe utraque vox mihi veluti repetita ex superioribus. *Gruterus.* Videntur *annales* accipi pro historiis antiquis, quales apud Cic. de Orat. II. 12. describuntur: ‘ Erat enim historia nihil aliud, nisi annalium confectio: cujus rei memoriæque publicæ retinendæ causa, ab initio rerum Romanarum usque ad P. Mucium Pontif. Max. res omnes singulorum annorum mandabat literis pontifex maximus, efferebatque in album,’ et quæ sequuntur. *Annales* igitur hic nihil aliud sunt, quam historiæ probatorum et veterum auctorum: non, ut interpretes putabant, commentarii rerum Spartanarum, quæ vulgo *chronica* vocantur. *Vatum* vocabulo nihil aliud intellexit Tacitus, quam poëtas, Homerum videlicet aliosque, ex quibus testimonia de finibus antiquis Græcarum regionum frequenter peti consuevisse, vel ex uno Strabone clarum esset. *Freinshemius.*

Permisso publice] Quomodo aliter arbitrari potuissent, nisi publico Lacedæmoniorum atque Messeniorum consilio delecti? non igitur hoc voluit dicere, quod per se poterat intelligi; imo non poterat non intelligi. Igitur *publice* hanc vim habet, ut *publico* sive reip. Milesiorum permissum dicatur arbitrium. Vide sup. IV. 36. *Idem.*

P. Rutilii exemplum] * Cic. Brut. I. de Orat. pro Fonteio, in Pisonem, et 3. de nat. Deorum et alibi. Paterculus l. II. Val. Maximus II. 5. et VI. 4. Asconius in Divinationem. Livius l. LXX. Reditum suum Sullæ negavit, ut Seneca ait Ep. 24. *Muretus.*

Eum legibus pulsum] Pulsus enim est judicio repetundarum, quanquam innocens. Epit. Livii LXX. *Freinsh.*

CAP. 44. *Innocenter paratæ*] Vulgo, *partæ.* Pichena.

Domitium decoravit pater] Vide Suetonium in Nerone c. 1. Velleium II. *Lipsius.*

Patre ejus Iulo Antonio] Faërnus legebat: *Patre ejus L. Antonio.* Ursinus.

CAP. 45. *Saxoque caput adflixit*] In V. C. est, *allisit*, non *adflixit.* Sed male; nam Tacitus id verbum accepit a Sallustio, qui l. IV. hist. dixit: ‘ Aut mulcato corpore, in prora patibulo eminens adfligebatur:’ et l. XI. ‘ Caput adfligebant,’ et ipse Tacitus infra l. XIV. ‘ Fuste caput adflixit.’ Illud autem *allisit*, videtur esse glossema verbi *adflixit.* Ursinus. Cum indicarit, harum artium nostrarum curiosissimus, F. Ursinus, restare in Mss. *caput adlisit*, ambigo quid potius habere debeam, hoc ne an illud: inclino tamen magis in posterius istud. Sic Val. Max. IX. 11. de Herennio Siculo: ‘ Cum in carcerem duceretur, in ejus postem illiso capite, in ipso ignominiæ aditu concidit.’ Sic Seneca de Lacone quodam, vas obscœnum adferre domino abnuente; Epist. 77. ‘ illisum parieti caput rupit.’ *Gruterus.*

CAP. 47. *Donec exercitus in unum conduceret*] Non improbo. Mallem tamen, *exercitum;* vel, *conduceretur.* Pichena. Si bene attenderis, animadvertes alterumutrum horum, *donec exercitus in unum conduceret*, et *dum Pomponius Labeo cum legione, &c. veniret*, prorsus esse supervacuum et idem omnino garrulitate inepta dicere. Qua possumus liberare Tacitum, si scribamus: *At Sabinus, donec*

exercitus in unum conduceret, datis mitibus responsis; cum Pomponius Labeo e Mœsia cum legione, rex Rhœmetalces cum auxiliis popularium, qui fidem non mutaverant, venissent, addita præsenti copia ad hostem pergit. Neque aliter ab auctore fuisse censeo. *Gronovius.*

Aut incondita] Recte. Rhenanus, *at incondita,* præter Taciti mentem. *Lipsius.*

Quod magna vis armata, aut incondita] Lego, *quod magna vis, aut incondita tuebatur.* Muretus. Aperte hæc discriminantur. *Inconditi* dici solent, qui quocumque modo in faciem militarium copiarum non sunt compositi: sive arma eos, sive disciplina deficiat. *Freinshemius.*

CAP. 48. *Et raptis opulenti*] Depravatus hic locus in vulgatis omnibus, sensusque alio ductus, cum scriptum fuerit, *et capti opulentia.* At vera Msti lectio quam reposui. *Pichena.*

Repentino incursu] Ita Ms. Alii, *repentino concursu.* Idem.

Extra palarentur] Et hoc ex Man. nam vulgo, *extra pabularentur.* Pichena. Adferunt ex vetustis codicibus: *palarentur.* Sic Histor. III. 'Qui modo per agros fuga palabantur.' *Colerus.* *Palandi* verbo comprehenduntur omnes, qui quacumque de causa abfuissent. *Freinsh.*

CAP. 49. *Simul æque armenta*] Videtur illud *æque* repetitum ex præcedente versu, et fortasse legendum: *simulque armenta.* Ursinus. Vocem, *equi,* restituit Lipsius. Verissime: nam et Man. indicat, qui absque diphthongo habet, *eque.* Male vulgo, *æque.* Pichena. Habuerim vocem primam, pro glossemate. Qui emendant, *simul equi, armenta, &c.* argute quidem insistunt apicibus literarum. Sed cui bono hic hominibus istis equi? eorum usus rarior in montibus: itaque vel expellendi fuerant. *Gruterus.*

CAP. 50. *Verum e ducibus*] *Verum,* hæc particula servit distributioni partium. Supra enim collegerat sententias diversas, hic distincte proponit singulas. Sic III. 61. 'Aphrodisienses et Stratonicenses, Jovis et Triviæ religionem tuebantur.' Non nemo mutavit in *Et;* quod videri posset novam insuper sententiam adferre, non explicare propositas. *Freinshemius.*

CAP. 51. *Robora*] Cum in vallum jaci potuisse non putaret, de *sudibus* id est opinatus, explicavitque iis, tanquam arietibus scilicet, incurrisse in vallum, idque pulsasse. Sed intelligi possunt ea robora vel machinis conjecta, vel si harum usum barbaris adimamus, ex superioribus locis devoluta, quod quidem vero similius censeo. *Freinsh.*

Sponte incolarum recepta] Ne minimum quidem dubitavi, quin hanc Mureti correctionem reciperem. Male antea, *sponte inimicorum.* Error ortus a Man. qui corrupte habet, *sponte incorum:* nec syllaba deficiens suo loco reposita fuerat. Simili modo Tac. l. XIII. 'cetera terrore, et alia sponte incolarum, in deditionem veniebant.' *Pichena.*

CAP. 52. *Domitio Afro*] Vide Dionem l. LVIII. *Muretus.*

Quo initio invidiæ] *Vituperii* vertunt; sed hoc apertius videtur, illud tectius: adeo ut hujus loci sensui convenire videatur nostras *Stichlen;* h. e. acutis sed tectis dicteriis convulnerare. Nam quod exponunt, ad concitandum ei odium, quod alias bonum est, huc non quadrat: apud quem enim concitaret ei odium Agrippina, quum coram solo, aut certe paucissimis, iisque, ut credibile est, nullius momenti hominibus præsentibus, loqueretur? Ital. II. *disfogar lo sdegno;* quod adludit sensui, non satisfacit. Ceteri quoque aliquam harum opinionum præferunt; enimvero, ut alias quoque dixi, difficile est cujuscumque sermonis vocabulo exprimere, quod per *invidiam* intellexerunt Romani. *Freinsh.*

Sed imaginem veram] Assentior Mureto, *se imaginem.*

Sed imaginem veram] Muretus, *se imaginem veram.* Recte. *Acidalius.* Mallem etiam paullo rectius: *sed imaginem veram, cœlesti sanguine ortos, intelligere discrimen.* Gronovius.

Num ideo lædi] Ὅτι μὴ τυραννεῖς, τέκνον, ὑβρίζεσθαι δοκεῖς: tametsi alia Canterus noster. *Muretus.* Ad hanc lectionem præivit mihi Man. qui habet: *non ideo lædi:* in vulgatis prior illa nota sublata fuit, ut absque interrogatione verba pronunciarentur. Rectius sic: nam et Sueton. LIII. interrogative hæc exprimit: 'Si non dominaris, filiola, injuriam te accipere existimas?' *Pichena.*

Suo jure disertum] Et sane magnificat eum ubique Quinctilianus, quem senem ab se adolescentulo cultum ait, l. v. *Lipsius.*

Jure suo disertum esse] * sequentibus anteponuntur.' Eodem ferme sensu, quo postea usurpari cœpit *ipso jure.* l. III. C. si advers. libert. 'non per in integrum restitutionem, sed ipso jure:' ita videlicet ut nihil opus sit facto vel auxilio prætoris. *Freinsh.*

CAP. 53. *Esse in civitate Germanici*] Non ego medicus huic loco: vidi qui legeret: *esse in civitate, qui Germanici c.* Sed in manuscripto cum palam lacuna sit, *civitate ...... Germanici,* cur non defectum arbitremur? *Lipsius.*

Esse in civitate] Inter hæc, et illa verba, *Germanici conjugem,* neminem arbitror esse, qui aliquid non desideret. *Ferrettus.* Ego ita restituo: *esse in civitate qui Germanici conjugem, ac liberos ejus recipere dignaretur.* Vertranius. Sic et Muretus. Videtur ex v. c. legendum: *Esse in civitate pateretur Germanici conjugem, &c.* Nam in libris vulgatis deest verbum, *pateretur.* Ursinus. Conatus Vertranii non est omnino improbandus: qui enim melius odium precesque percipi vellent, quibus constant Agrippinæ verba? ad preces hæc spectant: *subveniret solitudini, daret maritum.* Odium hujusmodi conflant, *esse in civitate, qui Germanici conjugem, ac liberos ejus recipere dignaretur;* quasi dicat: huccine, socer, evasimus tua vulgata apud omnes in nos simultate, ut conjux et proles Germanici magni faciamus, si quis nos in uxorem et in privignos recipere dignetur? minor equidem dignatur conjugio potentioris. Virg. III. Æn. 'Conjugio Anchisa Veneris dignate superbo.' Verum correctiones immane quantum semper aversatus sum: quapropter integra mihi sunt, sed punctis non rite distincta scriberem: *Neque aliud probis, quam ex matrimonio solatium esse in civitate;* Ubi preces? *subveniret solitudini, daret maritum.* De odio non est quod labores: *Germanici conjugem, ac liberos ejus recipere dignaretur:* curam nostrum (ait illa) tandem, o Tiberi, gere, meque nuptum collocando cunctis ostende, te liberos, et conjugem Germanici non amplius dedignari. An odii parum ex his? filii (et cujus filii) uxorem natosque nunquam fovisse? Hæc mea qualiacunque sint firmantur a similitudine verbi, *subveniret, daret, dignaretur.* Salinerius. Duximus fere necessarium, reponere propria Manuscripti verba, distinctionem, et defectum, ut quilibet frustra se laborare videat in illis emendandis. *Ex matrimonio solatium: esse in civitate ...... Germanici.* Neque ego veteres correctores laudaverim, qui talem lacunam neglexerunt, neque de illa saltem testati sunt. Ex eodem Man. restitui etiam verbum, *dignarentur,* vulgo, *dignaretur.* Pichena. Prodidit optimus Pichena legi in ms. unico, *dignarentur,* et vacui aliquid relictum ante *Germanici.* Equidem putarim excidisse voculam ob similitudinem quæ ei cum syllaba præcedenti, ac fuisse forsan: *esse in civitate Ger-*

manici qui conjugem ac liberos ejus recipere dignarentur: non ita, inquit, eviluit memoria Germanici, quin facile reperias, qui mihi, qui liberis meis, et maritum agat, et tutorem. *Gruterus.* Offendor hercle et ipse in sententia. Non enim ita demissi animi Agrippina, ut sic de se: potius, *esse in civitate, quem Germanici conjugem ac liberos ejus recipere dignaretur:* hoc sensu, esse, quem dignaretur seu dignum haberet, ut Germanici conjugem liberosque reciperet. Qui tamen ipse sensus etiam fieri ex altera illa lectione potest, si *dignaretur* passive accipias, dignus haberetur; qui censeretur dignus recipere Germanici conjugem et liberos. Nam hoc omnino videtur velle, inveniri etiam se dignum maritum in urbe posse. *Acidalius.* Nobiliss. atque amœnissimi ingenii vir, Fr. Malherbius, pro *in civitate*, exili mutatione, *in ea ætate* legendum esse mihi dixit. Qua re nil certius est. Nam jam ante juventam suam Cæsari objecerat Agrippina. Error ille quam facili librariorum lapsu contingere potuerit, nemini qui in hisce studiis paululum est versatus, obscurum esse potest. *Gevartius.*

Commentariis Agrippinæ filiæ] 'Agrippina.' Non pertinent ad hanc, ut vir doctus nuper censuit, Augusti laudes apud Suetonium cap. 86. 'Et quadam epistola Agrippinæ neptis ingenium collaudans: sed opus est, inquit, dare te operam ne moleste scribas aut loquare.' Manifestus est ἀναχρονισμός. Pertinent ad matrem hujus, quæ Augusto neptis: ista proneptis. Nec dubium, quin hæc quidem vivo Augusto plane adhuc puera. *Lipsius.*

CAP. 54. *Servis tramisit*] Qui ad fulcra lecti, ex more. *Lipsius.*

CAP. 55. *Famam averteret*] Et populi sermones alibi occuparet. Eo enim fine ipse in Senatu creber, et res illustriores actæ; ne vacare ipse privatis videretur, neve populo de iis loqui esset. *Idem.*

Templum statueretur] Illud, quod destinatum Tiberio et Senatui, a communi Asiæ. *Lipsius.*

Per bella Persi] Quem vicit L. Æmilius Paulus. Plutarch. in ejus vita. *Muretus.*

Verum Hypæpeni] Ὕπαιπα, πόλις Λυδίας, ὑπὸ τὸ αἶπος, καλλίστας ἔχει γυναῖκας, δῶρον Ἀφροδίτης. Stephan. περὶ πόλεων. Ovid. de Arachne: 'Orta domo parva, parvis habitabat Hypæpis.' Meminit et Strabo l. XIII. *Idem.*

Trallianique] De Trallibus multa idem Strabo l. XIV. *Idem.*

Laodicenis ac Magnetibus] De his idem Strabo l. XII. Synesius in Epistolis: Ἀσπίδα, φρῦνον, ὄφιν καὶ Λαδικέας περίφευγε, Καὶ κύνα λυσσιτὴν, καὶ πάλι Λαδικέας. *Idem.*

Nullo motu terræ] Cum tamen crebri ibi sint terræ motus. Strabo: σχεδὸν δὲ εὔσειστός ἐστι, καὶ πᾶσα ἡ περὶ τὸν Μαίανδρον χώρα. Idem.

CAP. 56. *Sive una Amazonum*] Smyrna nomine Straboni l. XXIV. Zmyrna est, ut notavi pridem in Philippicas M. Tullii. *Muretus.*

Se primos templum urbis] Observabit Philologus. Accidit hoc anno urbis DLVIII. 'Cum Venere fuisse. Ad hanc quoque Divam ille poëta: 'Exaudi regina tui pulcherrima mundi Inter sidereos Roma recepta polos.' Claudianus in monte Palatino collocat, l. II. De laudib. Stilic. ubi Provincias facit Romæ supplicantes: 'Conveniunt ad tecta Deæ, quæ candida lucent Monte Palatino.' *Lipsius.*

Primos templum urbis Romæ statuisse] De urbis Romæ templo in ipsa Roma, meminit Spart. in Adriano; et Amm. Marcell. l. XVI. Quod fortasse deridens Hormisda Regulus, qui urbem cum Constantio imperatore perlustraverat, interrogatus ab eo, quid de Roma sentiret: id tan-

tum sibi placuisse respondit, quod didicisset, ibi quoque homines mori: ut idem Ammianus refert. Apud quem Roma, 'Urbs æterna,' sæpissime appellatur: eodemque cognomento apud Jcc. et illius ævi scriptores. *Pichena.*

In concionem nunciatum foret] Aliis legendum videbatur, *in concione*, cum nullus in hoc nuncio motus appareat: tamen vulgata etiam lectio recte se habet. Nam, *nunciatum* fere idem ac perlatum. *Pichena.*

Quia Lepidus ipse diligi se] Scribe, *diligi a se.* Mercerus. Muretus tamen vocem *Lepidus* delebat, alio sensu: tanquam ipse Vibius Marsus, qui de legato super numerum censuerat, se diligi abnuerit. Et hercle movet in hanc sententiam vocula *ipse*, quæ si de Lepido capienda, non videtur addenda necessario fuisse. Nisi tamen aliquis etiam *ipso* audeat mutare: *Et quia Lepidus ipso diligi a se*, id est a se ipso diligi. Omnino si *ipse* de Lepido dictum esset, dixisset potius Tacitus: *Et quia Lepidus ab se diligere per modestiam abnuebat.* Venit in mentem *ipse* mutari posse *ab se*, et concinnari aliter verba in hunc modum: *Et quia Lepidus ipse diligi quasi per modestiam abnuebat. Quasi* perire facillimum fuit. Nihil tamen definio. *Acidalius.* Rectius Ms. *Et quia Lepidus ipse deligere per modestiam abnuebat.* Pichena.

CAP. 57. *Tandem Cæsar in Campaniam*] Lipsius legit, *tandem Cæsar iit Campaniam.* Ego potius crediderim, facile subintelligi posse verbum, proficiscitur. Sic Cic. ad Att. 'inde cogito in Tusculanum.' *Pichena.*

Apud Nolam] Loco ubi mortuus. Adi Dionem l. LVI. in extremo: Suetonium c. 40. *Lipsius.*

Sex postea annos] Errorem Plutarchi non dissimulo, aut potius exscriptoris, Libello de exsilio: ubi legitur Tiberius septem annis Capreas inhabitasse. Verba sunt: Τιβέριος δὲ Καῖσαρ ἐν Καπρέαις ἑπτὰ ἔτη διητήθη μέχρι τῆς τελευτῆς. Falsum. Nec juverit eum, quod non statim Capreas secessit. Vix enim in Campania hæsit dimidiatum annum, ut liquet ex Cornelio nostro. Damna ergo lectionem, nisi mavis Plutarchum, et scribe, δέκα, vel ἕνδεκα ἔτη. Etiam in Suetonii loco, ubi de hac absentia, adhæresco, c. 51. 'Toto quidem triennio, quo vivente matre abfuit, semel omnino eam, nec amplius quam uno die, ac paucissimis vidit horis:' et malim, toto biennio. Egressus enim Tiberius fine anni 779. obiit illa principio anni 82. ut ex Tacito clarum. Non ergo fuerunt inter toti tres anni. *Idem.*

Quippe illi prægracilis] * subtiles tumores.' In cujus verbis vitium: quid enim est subtilis tumor? Libri aliquot Pulmanni nostri, *subili tumores:* nihilo melius. At tu me duce scribe, *substilli tumores;* vel etiam, *substilles.* Non potuit magis aptiore verbo exprimi liquor saniesque, quæ in ejusmodi tumoribus minutatim stillat. Ita Substillum Festo, tempus ante postque pluviam, quod jam stillaret aut nondum desiisset. Tertullianus: 'Aut imbres ruunt, et si qua missilia cum imbribus, dehinc substillum, et denuo sudum.' Cato De re rustica, in Stranguria usurpat: 'Nunc de iis quibus ægre lotium it, quibusque substillum est.' *Lipsius.*

Ulcerosa facies] Julianus in Cæsaribus: Ἐπιστραφέντος δὲ πρὸς καθέδραν ὤφθησαν ὠτειλαὶ κατὰ τὸν νῶτον μυρίαι, καυτῆρές τινες καὶ ξέσματα καὶ πληγαὶ χαλεπαὶ καὶ μώλωπες ὑπὸ τῆς ἀκολαστίας καὶ ὠμότητος ψῶραί τινες καὶ λιχῆνες οἷον ἐκκεκαυμέναι. *Aurelius.*

CAP. 58. *Eques Romanus*] Alias, *Nullus eques Romanus.* Ferrettus.

Ferme Græci] Convictores Græculi, quibus maxime acquiescebat. Zeno Dorice loquens, Seleucus Grammaticus. Suet. c. 56. *Muretus.*

Causam] An *casum?* Freinsh.

CAP. 59. *Villa, cui vocabulum Speluncæ*] * in Occidentem tenet.' Cete-

rum hoc ipso in facto recensendo non sine censione Suetonium dimitto: cujus vulgati libri: 'In Prætorio, cui Spelunca nomen erat, incænante eo, complura et ingentia saxa fortuito superne delapsa sunt.' Et aio rescribendum: *in cænantem eum.* Addo, hodieque nomen manere, et opidulum esse: extremis montibus Fundanis, ad mare adjacens. *Lipsius.*

Adsimulabatque judicis partes] Faërnus legebat conjectura, ut videtur, non mala: *adsumebatque judicis partes.* Ursinus. Mureto placuit, *indicis.* Mihi vox, *judicis*, aptior, propter verba sequentia, *subditis, qui accusatorum nomina sustinerent.* Pichena. Assentior Mureto *indicis* legenti pro *judicis*: nec enim hoc fecisset Sejanus, gnarus quantum id sibi invidiæ apud omnes, apud Tiberium etiam ipsum, suspicionum movere potuisset. *Freinshemius.* Idem tamen postea sic exposuit: 'Quapropter occasione illa ad subvertendos Germanici liberos usus, tamquam judicis officio contra eos fungebatur, exclamabatque quantam illi animadversionem mererentur, qui adversus beneficia principis tam ingrati forent.' At ego subscribo Mureto, et malo *indicis.* Hoc enim ipso libro c. 28. 'index idem et testis dicebat.' C. 30. 'Catus Libonem inlexerat insidiis, deinde indicio perculerat.' L. VI. 'ni Celsus urbanæ cohortis tribunus, tum inter indices, Appium et Calvisium discrimini exemisset.' Justinus lib. XXXII. 'Ad cujus rei probationem immittit indices, testes subornat.' Et mox 'testes indicesque torquere.' Talem se gerebat apud Tiberium Sejanus, tanquam invitus, fide ac devotione cogente, Principi domus suæ vomicas indicaret. *Gronovius.*

Ut erectum et fidentem animi ostenderet] Forte melius, *animum*: tamen vulgata etiam lectio ferri potest: quasi ille ostenderet virum erectum, et animi fidentem: ac subintelligatur *se.* Pichena.

CAP. 60. *Adpositi custodes*] *Adpositi* videntur dicti, sicut Æn. VI. 90. 'addita Juno:' ubi Servius ex Plauto citat, Aulul. III. 6. 'Argus quem quondam custodem Ioni Juno addidit.' *Addidit*, hoc est, velut adfixit; ut non recederet, sed intentissima cura eam observaret. *Freinsh.*

Defendere daretur, diversæ insuper] Certum mihi post vocem *daretur* pauca quædam deesse, quæ illam periodum absolvant. Ab integro enim scribenda sequentia, quæ cum superioribus necti in unam periodum nequeunt: *Diversæ insuper sollicitudinum formæ oriebantur.* Acidalius.

Falsum renidens vultu] Distinguo sic: *renidens vultu: seu loqueretur, seu taceret juvenis; crimen ex silentio, ex voce.* Turbant vulgo. *Lipsius.*

Promptior Neroni] Alii mallent, *pronior.* Sed in eandem fere sententiam Tacitus initio l. XII. ait: 'ut quemque suadentium audierat, promptus.' *Pichena.*

CAP. 61. *Claris majoribus quam vetustis*] Gentem enim illam primus extulerat Augustus. *Muretus.*

Q. Haterius, eloquentiæ celebratæ] Ad hunc hominem Eusebiana ista refer in Chronicis: 'Q. Haterius [male in eo Atherius] promptus et popularis orator, usque ad 90. prope annum summo honore consenescit.' *Lipsius.*

CAP. 62. *Apud Fidenam amphitheatro*] Licebat igitur in municipiis, quod Romæ sine speciali permissu non licebat: ut colligitur ex Suet. in Claud. *Muretus.*

In sordida mercede] Puto legendum, *in sordidam mercedem.* Pichena.

Virile ac muliebre sexus] Ita Man. et rectum puto, ut sit primus casus singularis numeri. Vulgo, *virilis, ac muliebris sexus.* Idem mutavimus

l. v. Histor. ex Florentino codice. Etiam in Sueton. Aug. 44. ' muliebrem sexum omnem.' Turnebus et Casaubonus testantur, veteres libros habere, *muliebre sexus omne.* Sic Plaut. Rud. ' virile sexus nunquam habuit ullum.' *Pichena.*

Præceps trahit] In antiquioribus editis, hæc Manuscripti lectio incorrupte servatur: perperam deinde additum fuit, *in præceps trahit.* Sane Tacitus simili modo loquitur l. IV. ' Eversio rei familiaris dignitatem ac famam præceps dabat.' *Pichena.*

CAP. 63. *Quadringentorum millium*] Qui census erat equester. Nota res vel pueris. *Muretus.* Lipsii aliorumque accuratior computatio ad 10,000. Philippeos argenteos redegit: sed imperialibus totidem numis maxime respondere eam summam ex iis, quæ ad primum librum notata sunt, constare videtur. *Freinsh.* Haudquaquam. Immo si materiæ sinceritas et præstantia compararetur, ne Philippi quidem sufficient; tantum abest, ut imperiales. Quadringenta sunt centum millia denarium sive drachmum. Drachmam autem vel denarium esse octavam partem imperialis nummi concessit ad I. 17. 6. Decem igitur millia imperialium non assurgunt ultra 80,000. drachmarum, hoc est, 320,000. nummum sestertium. At Philippus decem denariis aut drachmis respondet. Ergo 10,000. Philippum sunt 100,000. denarium, quadringenta millia nummum sestertium. *Gronovius.*

CAP. 64. *Augustus appellaretur*] Vide Suetonium, c. 48. *Lipsius.*

Claudiæ Quinctiæ] Duo nomina gentilitia huic feminæ? Non est Romanum. Scribo, *Claudiæ Quintæ.* * Lips.

Claudiæ Quintæ] Vulgo, *Quinctiæ.* Lipsius ex historia emendavit: ego Manuscripti fidem adjicio. *Pichena.* Non est mos duarum familiarum nomina sic conjungi: sed numeralis illa nota addi solebat feminis ex ordine nascendi, unde appellatæ, *Secundæ*, *Tertiæ*, *Quartæ*, *Quintæ* et ὑποκοριστικῶς *Secundillæ*, *Tertullæ*, *Quartillæ*, *&c.* Sicut notum, et multis jam notatum est. *Freinsh.*

CAP. 65. *Auxilium appellatum taxisset*] Querquetulanam portam a querquetis dictam, etiam Festus scribit: cæterum hic locus sic fortasse emendabitur; *Cælium appellitatum a Cæle Vibenna, qui dux gentis Etruscæ cum auxilium adversus Sabinos præbuisset, sedem eam acceperat a Tarquinio:* cum Sabinis enim tunc belligeratum Festus quoque scribit, et Dionysius. *Alciatus.* Quid si legas; *quum auxilium appellatum abisset*, id est, ad auxilium appellandum arcessendumque; ut *appellatum* sit prius supinum verbi *appello.* Aut simpliciter, *quum auxilium appellasset*, sive, *appellitavisset.* Rhenanus. Malim, *ductavisset.* Ferrettus. Faërnus legebat; *Qui dux gentis Etruscæ cum auxilium appellatus tulisset.* Nam vulgo legitur corrupte: *Cum auxilium appellatum taxisset*, sive *ductavisset.* Ursinus. Nihil minus mihi probatur, quam communis hæc emendatio. Nam neque verba, *auxilium appellatum*, Cornelianam phrasim olent, neque ex historia verum est, hunc Vibennam appellatum, immo sponte ad Romulum transiisse, ut ex Halicarnasseo colligitur. Manuscriptus corrupte, *appellatum taxisset:* unde suspicor corrigendum: *cum auxilium ad bella tum ductavisset.* Literis certe non absimilibus. *Pichena.* Plane ut Lipsius ita quoque Muretus. Et forte vere. Tamen videatur non incommode mutari posse, *cum auxilium ad bella tum ductavisset;* vel, *ad bella Rom.* i. Romana vel Romanis. *Acidalius.*

Sedem eam acceperat a Tarquinio] M. Varronis Linguæ Latinæ l. VI. Pompeii significationum 3. et Dionysii Antiquitatum 2. consentiens testimonium est, Cælium a rege Romulo

sedem accepisse: quem cum sua manu Romulo venisse auxilio contra Latinum regem, Varro auctor est: Pompeius, auxilium Romulo præbuisse adversus Sabinos ait: Dionysius ad Romulum venisse, cum Romani Crustuminos excidissent. Ab iis diversa sententia Livio est, cui, Alba direpta, duplicatur Romæ civium numerus, Cælius additur urbi mons, sub rege Hostilio Tullo. Sed Cornelius hoc loco Claudium est secutus auctorem, ex ea oratione, ex qua primum Annales aggressus est: nos ejus exemplari infra l. XI. referemus. *Vertranius.*

Unde Tuscum vicum] * quod is Deus Etruriæ.' De Vortumno quod ait, confirmat Propertius: 'Tuscus ego, Tuscis orior; nec pœnitet inter Prœlia Volscinos deseruisse focos.' Ubi perperam *Volscinus*, quia Volsci in Etruria non fuerunt. Libri manuss. *Volsanos;* quos sequor, aut certe, *Volsinios.* Lipsius.

CAP. 66. *Adversum casum solatium tulerant*] Puto leg. *adversis casuum.* Muretus. Confer cum loco libri III. *illustrium domuum adversa solatio adfecit D. Silanus.* Acidalius.

CAP. 67. *Capreas*] Scholiastes Juvenalis, ad hæc poëtæ: 'angusta Caprearum in rupe sedentis:' 'Sedentis,' inquit, 'significat et divem turpiter vixisse Capreis Tiberium.' Corrige, *et diu et turpiter.* Lipsius.

Capreas se in insulam abdidit] Imo jam Capreis erat, cum amphitheatrum Fidenis collapsum est. Suetonius. *Muretus.*

Modicis navigiis pauca subsidia] Turneb. Advers. III. 9. interpretatur *subsidia*, pro locis, in quibus naves subsidere, et stationem suffugiaque habere possunt. *Pichena.*

Thelebois habitatas] Ideo Teleboæ pro ipsis Capreis, Ausonio: 'viridesque resultant Teleboæ.' Virgilius caussam nominis tangit: 'Teleboum Capreas dum regna teneret.' Emit, sive permutavit eas cum rep. Neapolitanorum Imp. Augustus, traditis earum vice Pithecusis, sive, ut Suetonius appellat, Ænaria, Aug. c. 92. Notat Dio LII. in extremo, et clare Strabo l. v. Αἱ δὲ Κάπρεαι δύο πολίχνας εἶχον τὸ παλαιὸν, ὕστερον δὲ μίαν. Νεαπολῖται γὰρ καὶ ταύτην κατέσχον, πολέμῳ δὲ ἀποβαλόντες τὰς Πιθηκούσας, ἀπέλαβον πάλιν, δόντος αὐτοῖς Καίσαρος τοῦ Σεβαστοῦ, τὰς δὲ Καπρέας ἴδιον ποιησαμένου κτίσμα. Ab hac caussa ergo Capreæ in censu Cæsarum: quam Tiberius XII. villarum nominibus insedit, ait noster. Iis villis nomina fuisse censeo XII. deorum ex Suetonio, qui Capreis adsignat 'Villam cui nomen Jovis,' c. 65. Sed et Pharus in ea insula, usui nautis. Idem, 'Turris Phari terræ motu Capreis concidit.' Quod ponit inter omina Tiberianæ mortis. Exstructa iterum, ex his Statii versibus: 'Teleboumque domos: trepidis ubi dulcia nautis Lumina noctivagæ tollit Pharus æmula Lunæ.' *Lipsius.*

Thelebois habitatas] Vulgo, *Cephaloniam* per quartam vocalem; Κεφαλενίαν. Strabo, et Eustathius appellant cum secunda vocali. *Muretus.*

Duodecim villarum] In eis villa Jovis. Fortasse ceteræ, a Diis majorum gentium cognominatæ. *Muretus.* Tunc enim non Villæ, sed potius Villarum nomina, reliquiæ, ac vestigia. *Pichena.* Nugæ sunt hæc *nomina.* Legi, *duodecim villarum nemoribus et mollioribus insederat.* Nam *mollia nemora* dixit pro tranquillioribus et dulcioribus. *Aurelius.* Corrigo: *sed tum Ti. duodecim villarum nemoribus et collibus insederat.* Neque enim video rationem ejus, quod tradit Lipsius hoc intelligi de duodecim prætoriis, quibus singulis esset nomen alicujus Dei. Sed et verba illa *insederat nominibus et molibus*, non explicant istam sententiam: certe τὸ *molibus* nihil huc facit: tum *insederat nominibus* non significat eum secessisse, et legisse duo-

decim prædia, quæ nomina deorum gestarent. Sed in loco sic, ut mihi visum est, correcto sensus facilis est, legisse eum secessui suo *nemora et colles duodecim villarum:* nemora enim et colles sunt quæ reddunt hujusmodi domus delectabiliores. *Harlæus.* Neque corrigendum aliquid censeo, nec tamen satisfaciunt interpretationes, quas adhuc editas vidi. *Duodecim villarum nominibus et molibus* est duodecim villis clarorum nominum ob veteres possessores, nec minus substructionum magnificentia conspiciendis. *Gronovius.*

Tanto occultior in luxus] Scribo, *occultos;* quanto magis olim intentum, tanto magis nunc resolutum dicit in luxus occultos et malum otium. *Idem.*

CAP. 68. *Inlustri equite R. Titio Sabino*] Titum prænomen illi dat Plinius: 'Ap. Junio,' ait, 'P. Silio Cos. cum animadverteretur ex caussa Neronis, Germanici F. in T. Sabinum et servitia ejus.' *Lipsius.*

Speciem arctæ amicitiæ facere] Faërnus legebat, *fecere.* Ursinus. Idem *Muretus.*

CAP. 69. *Ortæ suspiciones erant*] Suspicor scribendum, *ortæ suspicionis erat.* Rhenanus.

Quando mæsta, ubi semel prorupere] Muretus, *quanto.* Probe ad Taciti morem. *Acidalius.*

Egens adversum proximos] Legerim, *satagens adversum proximos.* Rhenanus. Alias: *Etiam adversus proximos.* Ferrettus. Ego maluerim scriptum, *se tegens advers. proxim.* Vertranius. Veteres libri *etiam.* Lego, *egit etiam.* Muretus. Τὸ *egens* ponitur pro vitio, quo pauperes præcipue laborant, suspicione scilicet. Terent. Adelph. 'Omnes, quibus res sunt minus secundæ, magis sunt nescio quomodo suspiciosi;' ut *mulier* pro *loquaci* proprium vitium feminarum. Idem in Heaut. 'Oh pergin mulier esse?' Sic Plautus, *nobilitatem,* pro superbia, qua in primis nobiles laborant. Milit. glor. 'Et quia tecum eram, propter ea eram animo ferocior. Eam nobilitatem amittendam video.' *Salinerius.* Insulsa mihi correctio visa est, *civitas, etiam adversum, &c.* ut in vulgatis: ideo Manuscripti lectionem, distinctionemque reposui, ut quilibet cogitet: *et pavens civitas egens.* Ego sic corrigerem: *Non alias magis anxia et pavens civitas egerat: adversum proximos, congressus, colloquia, notæ ignotæque aures, vitari.* Pichena. Sed mehercule etiam illud *Etiam* orationi necessarium est. Retineam ego et paullo aliter etiam scribam: *Non alias magis anxia et pavens civitas tegere se etiam adversum proximos; congressus, colloquia, notæ ignotæque aures vitari: etiam muta atque inanima, tectum et parietes, circumspectabantur.* Quod postremum verbum muto, nec sine ratione, *suspectabantur.* Acidalius.

CAP. 70. *Sollennia incipientis anni*] Illudit nobis vir doctus, dum interpretatur, Tiberium ipso Kalendarum die a Senatu populoque strenas per epistolam exegisse; et id multis verbis. Quanto proclivius et verius erat dicere, Tiberium initio epistolæ præfatum (ita scripserim, quam *precatum*) de Kalendis novi anni, quæ festæ et sacræ vulgo? Nec, *precatus,* damno sententia ista: ut sacra, &c. * Clare Dio: Τούτου δ' οὖν ἕνεκα ἔξω που τῆς νουμηνίας διῆγε, καὶ ἵνα μηδένα τῶν ἀνθρώπων ἄσχολον περί τε τὰς νέας ἀρχὰς καὶ περὶ τὴν ἑορτὴν ἔχοντα ποιῇ, ἢ καὶ ἀργύριον παρ' αὐτῶν λαμβάνῃ. Οὐδὲ γὰρ οὐδὲ τὸν Αὔγουστον ἐπὶ τούτῳ ἐπῄνει, διὰ τὸ πολλὴν δυσχέρειαν ἐν αὐτῷ, πολλὴν δὲ καὶ ἀνάλωσιν ἐκ τῆς ἀντιδόσεως γίγνεσθαι. Religionem et auspicia Kalendarum illustrabit etiam hic D. Maximi locus, viri docti, vetusti, (ævum illius ante mille annos:) e Sermone cui Titulus, *De Kalendis Januariis increpatio.* In quo multa apposite in hanc vanitatem; et istud: 'Novum annum Januarias appellant Kalendas, cum

vetusto semper errore et horrore sordescant. Auspicia etiam vanissimi colligere se dicunt: ac statum vitæ suæ inanibus indiciis æstimantes per incerta avium ferarumque signa, imminentis anni futura rimantur: cum utique apud deum solum sit notitia futurorum.' At de Epulis illo die, vide omnino epist. 64. D. Augustini ad Aurelianum. *Lipsius.*

Solennia incipientis anni Cal. Januar. &c.] Caius de verborum signific. 'Post diem,' inquit, 'tertium Cal. Januariarum vota pro salute Principis suscipiuntur:' meminit hujus rei et Plinius Cæcilius ad Trajanum. *Alciatus.* Ex iis intelligo Tiberium, qui strenarum commercium edicto vetuerat, ultra Cal. Januarias exerceri, ipso Calendarum die a S. P. Q. R. strenas per epistolam exegisse. Data siquidem Cal. Januariis strena in Capitolio, etiam absenti Augusto fuit; ut in eo Sueton. 57. Quæ mihi tam placet interpretatio, quam displicet illa, quæ Tiberium precatum inducit, ut pro ejus incolumitate vota Cal. Januar. susciperentur, quæ tamen non nisi die post Calendas Januar. tertio, id est, pridie Nonas, susciperentur, teste Plutarcho, initio Cic. et teste Caio l. 233. D. de verborum signific. Neque moveor quod mox idem scribit, eo die Cal. Januar. sacra et vota fuisse: siquidem neque strena Augusto absenti sine votis data, neque populus in Capitolio nisi causa sacrorum illo die convenerat. *Vertranius.* Ut feliciter annare, et perennare liceret. Plinius: 'Primum incipientis anni diem lætis precationibus invicem faustum ominamur.' *Muretus.* Faërnus legebat, *Cal. Januariis*, non *Januarias*. Ursinus. Lipsius mutat *præfatus*. Ego scribo, *solennia incipientis anni*, *Calen. Januariis epistola precatus.* Solennia incipientis anni precari, est precari ea, quæ solenniter anno incipiente solent. Plinius, cujus locum adducit Lipsius, stabilit nostram lectionem. *Acidalius.*

Ultionemque haud obscure poscebat] Lego deleta copula *que* adnexa voci *ultionem*. Acidalius.

Quo intendisset oculos] Hæc sequentia usque ad verbum, *timuissent*, in vulgatis recentioribus distincta erant minoribus characteribus, tanquam ab eodem clamante Sabino pronunciata. Mihi contra videtur, historici verba esse. At quæ sequuntur, *Quem enim diem, &c.* indignantis vulgi orationem. *Pichena.* Muretus, *quoquo intendisset oculos, quoquo verba acciderent.* Rectius. Porro diverso characterum genere exprimi non hæc et sequentia debebant, sed tantum paucula illa, 'sic inchoari annum, has Sejano victimas cadere.' Illa enim verba sunt clamitantis Sabini. Reliqua narratio Taciti. *Acidalius.*

Quem enim diem] Mirum, ni ante isthæc, *Quem enim diem*, hiatus aliquis est. Neque enim apte satis hæc per particulam *enim* præcedentibus subduntur. Si nihil absit, nec omnino abesse quid putem, mutem eam ipsam particulam, vel, *Quem jam diem*, vel, *Quem exin diem vacuum pœna, &c.* Acidalius.

Ubi inter sacra et vota] * Augustorum præterierint.' Similis Athenis lex, ut in morte Socratis Xenophon expressit: Ἀνάγκη μὲν γὰρ ἐγένετο αὐτῷ μετὰ τὴν κρίσιν τριάκοντα ἡμέρας βιῶναι, διὰ τὸ Δήλια μὲν ἐκείνου τοῦ μηνὸς εἶναι, τὸν δὲ νόμον μηδένα ἐᾶν δημοσίᾳ ἀποθνήσκειν, ἕως ἂν ἡ θεωρία ἐκ Δήλου ἐπανέλθῃ. Sed et videntur Romani etiam in bello, per Kalendas istas, abstinuisse ab armis. Subindicat Appianus v. Civilium: Νουμηνίας δὲ ἔτους ἐς τὴν ἐπιοῦσαν ἡμέραν οὔσης, φυλάξας ὁ Λεύκιος τὴν ἑορτὴν, ὡς ἀμελείας τοῖς πολεμίοις αἰτίαν, ἐξέθορε νυκτὸς ἐπὶ τὰς πύλας αὐτῶν. *Lipsius.*

Non imprudentem] Scriptus codex, *prudentem:* sed male. Objicit libere Sabinus, De industria et consulto Tiberium hæc patrare, ut omnibus con-

staret, omni tempore omnia in reos licere. Ita nemo excuset, inquit, tamquam ignarus aut incogitans hunc diem polluisset. *Idem.*

Non prudentem Tiberium] Cum Man. aperte habeat, *non prudentem*, nulla mihi causa visa est, cur, *non imprudentem*, reponeretur, ut in vulgatis omnibus. Optimus enim ni fallor, sensus est: Ignarum fuisse Tiberium, tantam se invidiam civitatis adiisse, ut qui non sponte hoc jusserit, sed Sejani artibus deceptus. Vulgi enim sunt voces culpam a Principe, quamvis simulate, amoventis, et in Sejanum rejicientis. Hic mos in Principum Aulis perpetuus. Firmatur hæc sententia superioribus verbis: *has Sejano victimas cadere;* ad cujus etiam dolos referuntur sequentia: *quæsitum meditatumque, &c.* Publica quidem persuasio tunc Romæ erat, sæva et atrocia jussa fere omnia, per Sejanum ab invito seu connivente Cæsare extorta, aut falso composita. l. v. 'falsas literas, et principe invito, exitium domui ejus intendi, clamitat.' In eandem suspicionem post damnatum Sejanum, incidit etiam Macro, ut l. vi. prope finem: 'nullæque in eos Imperatoris litteræ, suspicionem dabant, invalido, ac fortasse ignaro, ficta pleraque ob inimicitias Macronis in Arruntium.' *Pichena.*

Cap. 71. *Contationes Principis*] *Contationes* non apte aut recte *aperiri* mihi dicuntur, sive quis mallet, *operiri*. Ego, *cogitationes*, magis scribam. *Lipsius.*

Ut contationes principis aperirentur] Imo legendum; *Verum ne cunctationes, &c.* Ursinus. Sejanus mitigat Tiberium exacerbatum adversus Asinium Gallum, dicitque eum venia dignum, quod non absurde censuerit, metus principis non diutius detrimento reip. premendos esse. Quam igitur apte: *mitigaverit ut aperirentur.* Muretus et Pichena, qui maluere, *operirentur*, dicant quæso, qua de re faciant ineptum Sejanum? At is caudex esset, si Asinio alias non amico cautum voluisset, qui adversus studium suum Tiberii metus reserabat. Oportet igitur ut aliquid a Gallo dictum sit, unde sibi paraverit gratiam Sejani: quod non aliunde colligi potest, nisi ex ejus verbis: *verum ut cunctationes principis aperirentur.* Salin. Placuit olim, suadente Mureto, *opperirentur.* Verebatur scilicet Sejanus, ne subita et improvisa Tiberii ira in Neronem et Agrippinam statim placaretur: ideoque mitigavit, ut diutina cogitatione implacabilius irasceretur; *gnarus, lentum in meditando, &c.* At nuper eruditissimi Salinerii sententiam antehabeo, qui vulgatum verbum, *aperirentur*, veris rationibus propugnat. Non enim jam studebat Sejanus, ut diutius Tiberius odia meditaretur, sed ut olim meditata effunderet. Ac vere olim cœperat Sejanus simultates serere. Tac. l. i. 'Accendebat hæc onerabatque Sejanus, peritia morum Tiberii, odia in longum jaciens, quæ reconderet auctaque promeret.' *Pichena.* Illud *aperirentur* palam spernit sententia. Muretus *opperiretur:* quod ego habeo verum, et videntur evincere, quæ statim ei verbo adduntur. *Acidalius.* Verum lenivit iram ejus Sejanus, non quia Gallo bene vellet, sed odio Neronis et Agrippinæ, cupiebat cunctatoris senis meditata in eos odia tandem erumpere. *Freinsh.*

Gnarus, lentum in meditando] Casaubonus, *lentum* interpretatur, qui non facile movetur. *Pichena.*

Cap. 72. *In usus militares coria boum penderent*] Id est, in usum tentoriorum, et scutorum. Vide Lipsium de militia Rom. l. v. Dial. 5. *Pichena.*

Terga urorum] *Uri* sunt haud absimiles boum, colore nigro, feri, et cursu excellentes, familiares Germaniæ. Auctores Cæsar et Plinius. Hi fortasse sunt, quos Pisis *Bufalos* appellant vulgo. *Ferrettus.*

Et postquam non subveniebat] Legendum, *subveniebatur:* aut, *nemo subveniebat.* Lipsius.

Non subveniebat] Aut scribendum, *subveniebatur*, aut, *nemo subveniebat.* Rhenanus. *Subveniebatur*, Muretus et Ursinus. Hoc posterius potius probavi. Sæpe enim et in nostro Man. et in aliis veteribus observavi, postremam illam syllabam ita describi, ut tantum litera *t* appareat, unde plurimi errores. *Pichena.*

Cui nomen Flevum] Scribo in libris Histor. *Lipsius.*

CAP. 73. *Inferioris Germaniæ proprætori*] Leg. *Proprætore.* Ursinus.

Soluto jam castello obsidio] Lego, *soluto jam castelli obsidio*, sicque castigavi. *Rhenanus.*

Pelluntur, turmas sociales] Reposui, *pellunt turmas sociales.* Rhenanus.

Acrius eques immissus] Meo periculo obtinui, ut excuderetur, *alarius eques immissus.* Igitur equitum alariorum apud nostrum, ne longius abeamus, quam instituti nostri ratio patitur, crebra mentio, ut III. 39. XII. 27. XIII. 35. * Antea legebatur apud Tacitum, *acrius eques:* quæ res, ut necesse erat in lectione vitiosa, diversas interpretationes peperit. *Freinsh.*

CAP. 74. *Societate consiliorum*] Non videntur recte interpretari hæc verba. Sed quomodo societas consiliorum cum Sejano iniri potuit ante congressum? nam de hoc parando hic agitur. Intelligitur itaque *societas consiliorum*, quam alii, hominis illius conveniendi cupidi, ut hoc adsequerentur, inter se coibant: qui nimirum paciscerentur, ut qui prius admissus esset, operam daret, quo reliquorum etiam ratio haberetur, &c. Vopiscus in Aureliano c. 43. 'Colligunt se quatuor vel quinque, atque unum consilium ad decipiendum Imperatorem capiunt.' De ejusmodi societate consiliorum accipiendum est et τὸ συνεπιβουλεῦον apud Dionem XLV. 2. 15. loco perdifficili, de quo fortassis aliquando in notis ad illum scriptorem: quando præsens institutum tam prolixam digressionem, qualem excutiendus ille postularet, non patitur. Vide Sam. II. 1. Sejani multo difficilior erat aditus, atque eo multo ambitu curaque, et, veluti magnæ molis negotium, collatis mixtisque plurium inter se consiliis, procurabatur. *Freinsh.* Chimæra πολιτικὴ satis ingeniosa. At mihi *per ambitum et societate consiliorum* est familiares, &c. * *Gronovius.*

Magnitudini urbis] Scripsimus *magnitudine urbis.* Hoc est, propter magnitudinem urbis. *Rhenanus.*

Donec idque vetitum] *Que*, pro eo, quod est, *quoque:* quasi, *Id quoque vetitum.* Ferrettus. Lege, *donec id quoque vetitum.* Muretus.

ANNALIUM LIB. V.

CAP. 1. *Ætate extrema*] Octoginta sex annorum. Dio. Male apud Plinium est 82. l. XIV. 6. ubi et male puto legi *Pictano*, et legendum *Pycino:* ut sit vinum Pycinum; quod nascitur in colle saxeo, in quo positum est Tergeste, hodie *Ribollam* vocant. Hic disserendum esset, cur mulieres minus diu vivere soleant, quam viri. Longævarum mulierum exempla leges apud Plin. VII. 48. *Muretus.*

Liviorum Juliorumque] Duas ergo familias complexa per adoptionem Livia. *Lipsius.*

Sanguini Augusti] Nam Germanicus Druso ortus, Liviæ sanguis: Agrippina, ex Julia sanguis Augusti. *Lipsius.*

Comis ultra quam] Fuit hæc Livia insigni prudentia, et animo maximo. Vid. Senec. de Clement. I. 9. et Consol. ad Marciam; Macrob. Saturn. II. 5. *Muretus.*

Mater impotens] Sup. l. I. de eadem impotentia muliebri. *Ferrettus.* Et sane magna erat Romanorum auctoritas in liberos, magna etiam in viros. At vero de illa impotentia Suet. Tib. c. 51. *Aurelius.*

Uxor facilis] De facilitate Suet. Aug. 71. Neque enim ulla feminarum (nisi Livia) stupris mariti se ministram præbuisset. *Salinerius.*

Cum artibus mariti] Quapropter Augusta utens adversus maritum simulatione, qua filius adversus omnes utebatur, graphice dicitur, *bene composita cum artibus mariti. Artes*, designant aliquando virtutum, aliquando flagitiorum studium. Virtutis hæc sunt. Sallust. Jugurth. 'Si permanere vellet in suis artibus, ultro illi et gloriam, et regnum venturum.' Nequitias hæc indicant. Plaut. Mercat. 'Temperare istac ætate istis dicebat te artibus.' *Saliner.* Id est, bene edocta, facta, et formata non modo ad artes Augusti mariti, quæ certe magnæ fuerunt ad capessendum et retinendum imperium, sed etiam quæ Tiberii filii simulationes adjiceret; miras, hercle, et vix credibiles. *Aurel.*

CAP. 2. *Quod supremis*] Eam ægrotam ne inviserat quidem. Dio lib. LVIII. *Muretus.*

Ne cœlestis religio decerneretur] Sic Ann. I. 11. 'Sepultura more perfecta, templum, et cœlestes religiones decernuntur.' Neque aliud sibi vult inscriptio numismatum RELIG. AVG. quam antiquarii perperam ad alia omnia trahunt, quam ad consecrationem. Sic et Tacit. Ann. VI. 50. 'Decimo septimo Calend. Aprilis interclusa anima, creditus est mortalitatem explevisse;' tanquam diceret, nihil reliquum fuisse deinde, quam ut divus fieret decreto Senatus atque heredis; hoc est cœlesti ornaretur religione. *Gruterus.* Vide etiam ad hunc locum Reinesium I. Variar. c. 21. et Rupertum Epist. 35. p. 220. Rursusque Reinesium Epist. 36. p. 267.

Apud præpotentes] Vera sententia et forte lectio. Ego tamen suspicabar, *apud iræ potentes:* qualis certe Tiberius. Curtius l. IV. 'Non tenuit iram Alexander; cujus alioqui potens non erat.' Tacit. Histor. l. IV. 'Nuptias suas abnuentem impotens amoris interfecerat.' Ubi tamen et *impatiens* poterat legi. Ut Suet. Calig. 24. 'Impatientem mæroris' dicit. *Acidal.*

CAP. 3. *Prærupta et vergens*] Ita reposui: et intellego, cadentem aut præcipitem: non ultra in statu. Vulgo *urgens*, quod sævum explicant, nescio quo exemplo. *Lipsius.*

Prærupta jam et urgens] Aspera et imminens capitibus ac cervicibus civium dominatio. Porro legendum est *vergens*, ut alii quoque annotarunt. *Muretus.* Tiberius mortua matre violenter dominabatur: ea enim est vis, τοῦ *urgens.* Cui respondet, *dominatio remissa.* Is antea inter bona malaque mistus; matri vero superstes *intestabili sævitia* omnium capitibus imminebat: nec effugere dabatur, quod ea viva sæpius acciderat. Vellei. l. II. 'Cujus potentiam nemo sensit, nisi aut levatione periculi, aut accessione dignitatis.' *Salinerius.*

Adlatas et cohibitas] Malo, *sed.* Acidalius.

CAP. 4. *Eoque meditationis ejus*] Scripsi, *meditationes.* Rhenanus.

Dandumque interstitium] Qui locum sic emendavit, nodum scindere, non solvere voluit: nimis enim aberravit a scriptura veteri, quæ corruptissime habet: *quandoque germanicis titium pœnitentiæ senis:* Retuli, si forte ali-

quid melius acutiora ingenia excogitare valeant. *Pichena.* Noli dubitare, quin dixerit Rusticus, et scripserit Tacitus; *dandumque Germanico interstitium pænitentiæ senis.* * Boxhornius.

Festisque in Cæsarem ominibus] Placeret magis: *Faustisque in Cæsarem ominibus.* Ursinus. Ego nihil muto: nam fere eodem sensu, l. XII. in fine, ait: 'festis vocibus exceptus.' *Pichena.* Sane melius *faustisque.* Nec id l. I. 'faustis in Germanicum ominibus,' mutari a Lipsio velim, qui mavult *nominibus.* Etiam in Suetonii loco Calig. 13. quem Lipsius adfert, non *nomina*, sed *omina* legendum. At dubito etiamnum de illo l. XII. loco, ad finem, 'Ubi monente præfecto, festis vocibus exceptus, inditur lecticæ.' Dubito, inquam, an et hic *faustis* potius scribendum. Petrus Faber utique in Tacito *faustis* legendum censet: et multa multorum similia loca congerit et corrigit lib. de Magistratu Romano. Sed Lucan. lib. III. 'Non omina festa Non fictas læto voces simulare tumultu.' *Acidal.*

Ab Senatu] Distingue contra vulgus, *spretum dolorem principis ab Senatu, descivisse populum.* Lipsius.

CAP. 5. *Vi principis impediri testarentur*] * flos quasi historiæ tuæ. Adeo bonis illis patribus cura otiumque fuit describere Orosios et Vopiscos, et hujusmodi quisquilias, præ tuo auro. *Idem.*

CAP. 6. *Ob amicitiam accusari, an amicum accusare*] Quem non offendat *accusandi* vocabulum bis hic repetitum? Non ita solet Tacitus. Semel illud, sine causa a librariis repetitum expunge, et habebis sententiam vere cælestem ac divinam: *Miserius sit ob amicitiam, an amicum accusari, haud discreverim.* Cogita personam, ob accusatum damnatumque amicum eadem calamitate, quod tunc frequentissimum fuisse passim notat auctor, circumventum, cui æque grave accidit, et amicum, et se ob amicitiam cum eo initam accusari, ac ad supplicium peti. Exemplum proxime sequitur. *Huic*, nempe Pomponio Secundo, *a Considio, Prætura functo objectabatur Ælii Galli amicitia, &c.* Vide ergo hic, ac venerare ipsam indolem veræ et incomparabilis amicitiæ. *Boxhornius.*

Non crudelitatem] Magni animi voces, vel abrupti: et similes a Vibio Virio prolatæ, quem Livius sua manu moriturum ita loqui facit, l. XXVI. 'Cruciatus contumeliasque, quas sperat hostis, dum liber, dum mei potens sum, effugere morte præterquam honesta, etiam levi, possum.' *Lipsius.*

Ne memoriam nostri] Est hoc ἀποσπασμάτιον egregiæ et constantissimæ, ut ex his reliquiis apparet, orationis. Sed nec integræ sunt hæ reliquiæ; quarum gravissimæ tamen sententiæ debuimus emendatricem hanc manum: *Non crudelitatem, non clementiam cujusquam experiar, sed liber et mihi ipsi probatus antibo periculum. Vos obtestor, ut memoriam nostri supremorumque læti retineatis, adjiciendo me quoque iis, qui fine egregio publica mala effugerent.* Habes verba vix abeuntia a corruptis superstitum litterarum vestigiis, et elegantissimum sensum, qui nullus est in vulgatis. *Boxhornius.* Et hic nihil corrupti: ne difficile quidem quicquam memori τὸ *Quam* esse *Magis quam*, jamdudum in nostro, in Plauto, in aliis observatum. *Gronov.*

CAP. 7. *Tunc singulos*] Quis iste? dignus erat quem nossemus, ob constantiam mortis. *Lipsius.*

Singulos ut cuique adsistere] Lego, *ut quique adstitere.* Vertranius. Nemo non videt hæc esse corrupta: neque tamen, quod miror, monuerunt eruditi. Sic igitur restituo. *Tunc singulos, ut cuique adstiterat, alloqui, amicos aut retinens aut dimittens partem diei absumpsit.* Nullum sensum habent vulgata. *Boxhornius.* Et hæc, uti sunt, illibata conservo. Τῷ *adsistere* respondet τὸ *retinens;* τῷ *alloqui* τὸ

dimittens. Gronovius.

Cum in Blæsum] Mallem deleta vocula, *Cum Blæsum.* Lipsius.

CAP. 8. *Velii Galli amicitia*] Lege, *Ælii,* cujus gentis cognomen Gallus. *Gronovius.*

CAP. 9. *Triumvirali supplicio*] * interventu eorum fieret. Auctor Sext. Pomponius D. de origine juris. Cæterum quod hic ait de virgine, tam Dio Cassius, quam Tranquillus retulere, hujusque verba sunt: Immaturæ puellæ, 'quia more tradito nefas esset virgines strangulari, vitiatæ prius a carnifice, dein strangulatæ.' *Vertranius.*

CAP. 10. *Per dolumque comitantibus*] Muret. *per dolum comitantibus.* Sane si *que* retines, potius erat legi, *per dolumque comitatus.* Acidalius.

Quippe lapsum] Forte, *elapsum.* Lipsius.

Quippe lapsum custodiæ] Melius, ut opinor, scribatur, *Quippe elapsum custodia.* Rhenanus. Faërnus legebat: *Quippe elapsum custodia.* Non, *lapsum,* ut est in vulgatis. Nam illud *lapsum,* a librario factum, qui omisit literam, *e,* ob præcedentem alteram verbi, *quippe.* Ursinus.

Et inanium spe] Quis obsecro speret inania prudens sciensque? Nec est ut si quis subtili expositione argutetur ipsum quidem ea, quæ sperabat, non habuisse pro inanibus, revera autem fuisse inania; nam ut sint, certe Tacito non sunt inter inania principatus et imperia, quo fanaticus hic adspirabat. Ergo potius legerim *immanium spe. Immania* pro rebus immanibus, quomodo solet neutro genere frequentissime uti: sicut II. 39. *ad majora et magis præcipitia conversus.* Sumitur autem *immanis* pro magno, ingenti, arduo. Sic in dialogo de Orator. *immanes lacerti.* Hinc vulgata locutio, *immane quantum,* etiam nostro usitata, pro nimium quantum. *Freinshemius.*

Ibi demum cognoscit] Locus inter mancos. Nec enim ubi aut quomodo deprehensus fugitivus ille, narratum. Post, *cognoscit,* ergo ponenda nota. Et statim scribe, *interrogato.* Lipsius.

Sollertius interrogatum quisnam foret, dixisse] Hæc doctissimo viro ea de causa mutila sunt, quod putet omissum, ubi, et quomodo deprehensus sit iste Pseudodrusus. Ego integra reor, et ostendam ubi tamen ea sub aspectum dedero. Sabinus iste adita Nicopoli, resciscit illum, de quo quæsitum venerat, ibi a quibusdam de suo statu interrogatum, respondisse, se patrem habere M. Silanum: ibidemque rescivit eundem (audito ejus adventu) a plerisque desertum navem ascendisse, tanquam Italiam peteret; quid eo postea factum sit, noster ingenue nescire se profitetur. *Salinerius.* Si fideliter hic locus ex Man. relatus ab iis fuisset, ut a me nunc, emendationibus opus non erat. Clarus jam sensus: Sabinum Nicopoli demum cognovisse, quod falsus ille Drusus, diligenter interrogatus, quisnam foret, dixerat, se M. Silano genitum: et quod multis sectatorum dilapsis, ascenderat navem, tanquam Italiam petiturus. Scripsit ergo hæc Tiberio Sabinus. In vulgatis, pro, *dixisse,* repositum fuerat, *dixit se;* hinc confusio, et duplicatus error, quia recentiores deinde pro, *interrogatum,* scripserunt, *interrogato.* Pichena.

ANNALIUM LIB. VI.

CAP. 1. *Aditis juxta Tiberim hortis*] Horti Cæsaris qui prope naumachiam erant. Sueton. *Muretus.*

Sellariorum et spintriarum] Vide si lubet Suetonium Tiber. c. 43. et Turnebum v. 1. Qui tamen non satis explicant, cur Sellarii dicti a fœditate loci. Sed ego non violo te, Pudor. *Lipsius.*

Spinthriarum] *Spintrias* Xiphilinus exponit πεπορνευκότα. Lego et hic *sphintriarum.* Sed hæc nescire præstat, ut mirer quosdam tam diligentes in fædissimo vocabulo investigando fuisse. *Muretus.*

Et si retinerent] Malim: *et si reniterentur.* Rhenanus.

CAP. 2. *Cognitis Liviæ flagitiis*] Apicata, uxor Sejani, cognita morte filiorum, libellum scripsit, quo Livillæ facinora et flagitia aperuit. Deinde se exanimavit. Tiberius, et cæteros conscios, et ipsam interfecit. Sunt tamen qui dicant ei, propter Antoniam matrem, ignotum esse, sed eam ab Antonia necatam. Dio. *Muretus.*

In effigies quoque ac memoriam ejus] Crebra talium mentio: disce semel hunc morem, si placet, e nostro Excursu, in *A.* Lipsius.

Tum rettulere Scipiones] Stigmatias locus non frustra. Desunt enim quædam. Vel hoc argumento, quod rettulisse Scipiones dicit; ac relatio Consulum erat, censio tantum Senatorum. Possit si forte, legi: *ut in fiscum cogerentur coss. rettulere. Scipiones hæc, et Silani et Cassii, &c.* Sed ut rectum sit, non sanatum vulnus. *Lips.*

Tum retulere Scipiones] Faërnus legebat: *Tum de se retulere Scipiones, &c.* Ursinus. Deesse quædam Lipsius putat; idem tamen tegere, si non sanare, vulnus tentat: *ut in fiscum cogerentur Coss. rettulere. Scipiones hæc, et Cassii, &c.* Consulum enim relatio tantum, censio Senatorum. At ego non deesse, sed superesse etiam quædam contenderim. Verba *tum rettulere* omnino supervacua et tollenda. Nihil enim hic de relatione, cujus ex sola mentione argumentum defectus Lipsius sumebat: sed de sententiarum dictione, quæ in relationibus Consulum, captata occasione, sive etiam præter rem, a Senatoribus usurpabantur. At aliquis Tacito non assuetus cum hiare sermonem putaret, has voculas de suo inseruit. Plena enim oratio: si quod necesse est, ad illa ipsa verba, *Et bona ablata ærario ut in fiscum cogerentur,* ex superioribus ista mente repetas, *sententiæ dicebantur.* Locum ergo totum sic scribo: *Et bona Sejani ablata ærario, ut in fiscum cogerentur. Scipiones hæc et Silani et Cassii, &c.* Acidalius. Nimiam corrigendi libertatem sibi antiquiores Criticos sumsisse, vel hic locus exemplo sit: qui cum corrupte in Man. legatur, *tam referret Scipiones,* reposuerunt, *tum retulere Scipiones.* Hinc interpretes torquebantur ac de magno aliquo defectu suspicabantur, donec ego in Notis prioribus, de scriptura vetere fidem faciens, viam perspicacissimo Lipsio aperui ad veram emendationem. Is enim nuper restituit: *tanquam referret, Scipiones:* ut scilicet Tacitus irrideat vanitatem sententiæ: quandoquidem, et ærarii, et fisci pecuniæ, illo ævo, in Principis potestate essent. Nec nimia mutatio videatur, *tanquam,* pro, *tam,* cum similes lapsus in eodem Man. observaverim: præsertim l. I. ubi legitur, *quanquam Tiberio nulla vetus in Arruntium ira:* Man. habet, *quam Tiberio.* Hanc egregiam Lipsii correctionem

ego aliquantulum distinctione juvi, punctum post verbum, *referret*, apponens: ut deinde sequatur, *Scipiones hæc, et Silani:* quasi dicat, Tales ineptiæ a talibus viris pronunciabantur: eosque, derisionis causa, multitudinis numero appellat: magna videlicet Senatorum nomina. *Pichena.* *Referre* non semper significat relationem incipere, quod proprium consulis est, sed nonnunquam dicere, proferre. Tac. III. Ann. *Referatis patri ac fratri.* Et l. IV. Ann. *is namque, ut retuli.* Quapropter missa doctissimi viri dubitatione, hæc vindicemus a nota corruptionis. Prius (ut par erat) Cn. Domitius et Camillus Scribonianus, consules ejus anni, *retulere;* hoc est quæsiere senatorum sententias de memoria Liviæ et de bonis Sejani: post illa quisque senatorum censet, *atroces sententiæ dicebantur.* Scipiones, Cassii, Silani cum ad eos ventum est, in idem conveniunt. At ecce dum hæc ego refingo ut politiora vulgentur, prodeunt in publicum notæ Curtii Pichenæ, docti viri et diligentis, quibus affirmat in Ms. Florent. legi, *tam referret Scipiones.* Obstupui, eum putans bona fide transcriptum a Beroaldo fuisse, et utrunque miratus sum non animadvertisse, quam leviore castigatione hæc in integrum restitui potuissent, *tum referre Scipiones,* pro *referebant:* inde sequitur, *censebant.* Salinerius. *Tanquam referret.* Lectio Lipsii est, non scriptura Taciti. Ms. habet, monente Pichena, *jam referret.* Unde facile est sua verba Tacito restituere: *Et bona Sejani ablata ærario, ut in fiscum redigerentur, jam refertur. Scipiones hæc et Silani, &c.* Boxhornius. Vere Lipsius et Pichena: nugantur alii. *Gronovius.*

Dum ignobilitatem suam] Literas *B* et *V* crebro permutari nemo est qui nesciat, id hoc quoque loco accidisse suspicor, atque in causa fuisse, cur pro vocabulo, quo Tacitus usus fuerit, insititium legatur, quanquam sensu haud dissimili. Scriptum, inquam, fuisse suspicor, *dum novitatem suam*, ex quo alii primo *nobilitatem*, et cum id respueret sensus, *ignobilitatem* finxerint, cum retinendum fuisset *novitatem*, qua voce usus Seneca apud nostrum XIV. 53. 'Inter nobiles et longa decora præferentes, novitas mea enituit.' Cum autem nullus liber hanc conjecturam juvet, nihil statuere possum de lectione hujus loci, sed tantum significare suspicionem meam, si forte aliquando membranæ cujusdam subsidio possit firmari. *Freinsh.*

CAP. 3. *Quos neque dicta Imperatoris*] Hæret sententia, fortasse explicanda, si legas: *dicta non Imperatoris:* negatione inserta. *Lipsius.*

Neque dicta imperatoris] Forte, *neque dicta nisi imperatoris.* Rhenanus. Vocem *imperatoris* inducit Lipsius, Muretus legit *edicta.* Neutri adhuc plane adsentior; magis tamen Lipsio. Sed fuerit forte etiam, *quos neque dicta nisi imperatoris, neque præmia nisi ab imperatore.* Acidalius. Ejicienda vox importune repetita, ut fiat: *quos neque dicta neque præmia nisi ab imperatore accipere fas esset.* Grotius. Corrigo, *quos neque dicta nisi imperatoris neque præmia, &c.* Harlæus.

Sestium Pagonianum] Sextius Paconianus scribitur infra: 'Nec dispares Trebellieni Rufi et Sextii Paconiani exitus.' *Lipsius.*

Per idem odia] Emendo, *concepta pridem.* Idem.

Concepta per idem odia] *Pridem* quoque Faërnus, et Pichena. Hic *per idem* idem est, ac si dixisset iisdem de causis: nam ob crebras accusationes et dolos, omnibus erat invisus: *magno patrum gaudio, audacem, maleficum, omnium secreta rimantem:* nec tamen reus ab iis peractus est, quod iste Paconianus inter illos erat, de quibus jam dictum legimus, l. IV. Ann. 'nam ut quis districtior accusator, velut sacrosanctus erat:' quos nefas ab aliis, quam ab Imperatore,

pessundari: 'Qui scelerum ministros, ut perverti ab aliis nolebat, ita plerumque satiatus, et oblatis in eandem operam recentibus, veteres et prægraves afflixit.' Qui cum jam aperte Paconiano immineret sumta occasione ruunt omnes, proferuntque odia dilata, et morti eum mancipassent, nisi indicii professione sese inde exemisset: subdidit autem reum hujusmodi facinoris Latinium Latiarem, qui patribus æque atque ipse invisus erat. *Salinerius.* Nugatur cum sua sibi explicatione, ut sæpe. *Gronovius.*

CAP. 4. *Ingressus est accusator Acrius*] Restitui non male, *aggressus est, accusator ac reus juxta invisi.* Paconius et Latiaris odiorum duo nomina. Itaque gaudium patrum fuit perculso Paconio a Cæsare: gaudium alterum nominato, ab eo indice, Latiari. *Lipsius.*

Latinium Latiarem ingressus est accusator, acrius juxta invisi] Suspicor scribendum et distinguendum; *Latini Latiaris ingressus est accusator Acrius, juxta invisi:* nam plane novum est *Latinium Latiarem ingressus,* pro, actionem Latini Latiaris, id est, contra Latinium Latiarem ingressus. Quod nostram conjecturam adjuvet, sic rursum loquitur l. XVI. 'Atque interim Ostorius Sabinus Sorani accusator ingreditur.' *Rhenanus. Latini Latiaris ingressus est accusator, &c.* et sic legebat Danesius. Item, *præbebant,* magis placeret, quam *præbebatur,* si pro, *Acrius,* reponatur, *ac reus:* ut totus locus ita legatur: *Accusator, ac reus, juxta invisi, gratissimum spectaculum præbebant.* Ursinus. *Ire in aliquem* dicitur de accusatore. Cic. ad Att. lib. ep. 7. 'equidem antequam tuas legi litteras, in hominem ire cupiebam:' quod ex sequentibus magis clarescit: 'quid quæris? acueram me ad exagitandam hanc ejus legationem:' loquitur de Clodio. Idem cur non in verbo, *gradior? ire* enim et *ingredi* eos etiam signat, qui verba faciunt. Terent. Adelph. 'Mane scio: istuc ibam.' Virg. VI. 'Pater Anchises lacrimis ingressus obortis.' At hic non, *gressus est in Latiarem,* sed *ingressus est Latiarem.* Heus tu cur Plautus: 'Circumduce hasce ædes:' et non *duce circum hasce ædes?* Sinamus igitur castigationes, quas hic doctissimus vir commentus est. *Salinerius.* Eleganter Lipsius, quomodo et Muretus notaverat. Sed idem Lipsius male, quod *aggressus* mutat. *Ingressus est* valet, cœpit, nempe indicare. Sic sæpe alibi absolute hoc verbum magna cum gratia, lib. XI. 'Ingressus defensionem,' &c. non procul ab initio. l. XVI. 'Atque interim Ostorius Sabinus Sorani accusator ingreditur orditurque de amicitia Rubellii Plauti,' &c. At ego lubenter, ad concinnitatem majorem, verba velim transponere: *Ut v. Lat. Lat. ingressus est, gratissimum spectaculum præbebatur, accusator ac reus juxta invisi. Latiaris ut retuli, &c.* Quo ordine Tacitum scripsisse, ego pro me certo credo, nec idem affirmare aliis dubitarim. *Acidalius.* Lipsio prorsus assensi, qui emendavit, *accusator ac reus juxta invisi:* Corrupte antea, atque inepte, *accusator Acrius, juxta invisi.* Deinde fortasse melius ex Mureto, *præbebant.* Sed vulgata lectio minime spernenda. *Pichena.*

Metum prorsus et noxam] Si examinas, stabis a Groslotio legente: *noxæ conscientiam.* Ego etiam velim, *habere,* non, *haberi:* sententia volente. *Lips.*

Et noxam conscientiæ] Puto emendandum, *noxæ conscientiam.* Muretus. Non ego Groslotio dissentio, qui elegantissime *et noxæ conscientiam.* Posse tantum dico etiam, *metum prorsus ex noxa conscientiæ,* vel potius, *ex noxæ conscientia.* Sed non æque eleganter. *Habere* cum Lipsio an *haberi* cum vulgo scribas, puto nihil interesse. *Acidalius.* Hæc manuscripti lectio, *et noxiam conscientiæ.* Nec vulgatam sperno: *et noxam conscien-*

tiæ. Sed fortasse melius, *et noxiam conscientiam.* Pichena.

Manere tempus ultionis, seque coram] Neque hoc muto. Satis enim clarum: clarius tamen: *Regulus, manere tempus ultionis se, quippe coram principe excusaturum.* Acidalius.

Inter ganeam ac stupra] Vulgo, *ganeum:* utrumque recte. Sed Ms. sequi malui: sic l. III. 'ventris, et ganeæ paratus.' *Pichena.*

CAP. 5. *Arguitur pleraque C. Cæsarem*] Ne hunc quidem locum, ex Ædilitio edicto, perhibeo sanum integrumque. Remedium aliquod, si legas: *Arguitur pleraque: C. Cæsarem quasi incestæ virilitatis, et cum die natali Augustæ inter sacerdotes epularetur novemdialem eam cænam dixisset*, ut, inquam, τὸ *dixisset*, reducas etiam ad priora, statimque eodem exemplo legas, *addidisset.* Sed metuo ut hæc, cum Aristophane, sit συκίνη ἐπικουρία. *Lipsius.*

Arguitur pleraque C. Cæsarem quasi incesta] Distinxi: *Ubi primum facultas data, arguitur pleraque*, hoc est, in plerisque. Græca constructio est; apud historicos tamen solennis. Quod vero sequitur, *quasi incesta virilitatis;* legerim, *quasi incestæ virilitatis:* hoc ideo dixit, quod C. Cæsar propriarum sororum stupro non abhorruit. *Rhenanus.* Videtur scribendum: *In C. Cæsarem, &c.* nam paulo post habetur: *seu composuerat quædam in C. Cæsarem, ut impudicum.* Ursinus. Deest vox aliqua: hariolabar, sed forsan Phœbo parum favente, *arguitur plorasse C. Cæsarem, quasi incestæ virilitatis.* Moris enim, simulato fletu, ea prosequi, quibus invidiam et odium faciebant. Sueton. Cal. 38. *Prolataque Divorum Julii et Augusti diplomata, ut vetera et obsoleta deflebat.* Tacit. IV. Hist. 45. *Planctum et lamenta et supremorum imaginem præsenti sibi circumdata.* Gruterus. Lipsius in hunc locum nihil sani. Unius particulæ *in* additione Muretus pulcherrime plagam hanc pœne desperatam sanat: *Arguitur pleraque in C. Cæsarem quasi, &c.* Nihil verius; et convenit reliqua structura optime, quam nimis torquet et contorquet Lipsius. *Acidalius.* Transmarinæ munditiæ non advertere doctiss. virum: qua de causa eum ad emendationes confugisse videmus: *pleraque* pro *plerumque.* Sic Thucydides νεώτατα, σαφέστατα: quod noster post Virgilium non semel imitatus est: 'Falsa exterritum.' At Poëta l. IX. 'Cætera parce puer bello.' Cotta autem semel tantum dum cænaret, eam *cænam* dixit *novemdialem*, at Caligulam sæpius eo nomine sermonibus distulerat. *Incestæ virilitatis*, id est incestificus, sive incestuosus: idque verbi non solum tangit flagitia, quæ in affines committuntur, sed extenditur etiam ad quascunque nequitias, quæ cum extraneis exercentur. Plaut. 'Neque eam incestavit unquam:' amplectitur etiam τὰ παιδικά. Liv. l. VIII. 'primo perlicere adolescentem sermone incesto conatus.' Si κυρίως accipimus, ut Propert. El. III. 2. 'incesti meretrix Regina Canopi;' quod ibi fratres assuescebant corporibus sororum; audi Sueton. Cal. 24. 'cum omnibus sororibus suis stupri consuetudinem fecit.' Si καταχρηστικῶς, uti jam diximus, ejusdem hæc lege, c. 36. 'pudicitiæ neque suæ neque alienæ pepercit.' Denique si posteriore interpretamento jocum exigis, his te absolvo: ætas Caligulæ e pusionibus excesserat, sed nihilo magis jam vir suæ pudicitiæ parcebat: hinc acute, et vere, *virilitatis incestæ.* Salinerius. Divinabam leniter, an minus corrupte legatur: *arguitur plura: quod C. Cæsarem quasi incertæ virilitatis:* plura enim, id est, tria erant, de quibus arguebatur. Sic paulo infra dixit: 'statuendi de Cæciliano senatore, qui plurima adversum Cottam prompserat.' Quod autem Lipsius emendavit, *incertæ vi-*

rilitatis, confirmatur a Seneca de Provid. c. 3. ubi, *dubiam virilitatem*, dixit: 'exectæ virilitatis, aut dubiæ.' *Pichena.* Videor mihi reperisse scomma istud, et legendum esse *Caiam Cæsarem, quasi incertæ virilitatis:* nimirum mollitiem objecit Caio (quomodo et Vestilius infra VI. 9.) et quasi dubius pro viro eum an pro femina haberet, utrumque hoc dicterio complexus est, Cæsarem appellans virili genere, et femineo *Caiam* pro Caio. Quæ quidem nominum mutatio haud raro usurpata in exprobranda vel ignavia vel mollitia. Homer. Il. II. 235. Ἀχαιΐδες, οὐκέτ' Ἀχαιοί: unde Virgil. hausit *O vere Phrygiæ, neque enim Phryges.* Sic apud Suet. in Cæs. 49. Bibulus Cæsarem 'Bithynicam reginam;' apud Xiphilinum in Nerone, Bunduica Neronem pro Domitio *Domitiam* (ut hic pro Caio *Caiam*) appellarunt. Simili dicterio utitur Owenus, acutus epigrammatum scriptor, in virum muliebrem et uxorem virilem: 'Grammatici fugite hinc, hæc vir, et hic mulier.' *Freinshemius.*

Quasi incestæ virilitatis] Constabit sententia jocusque, *Incertæ virilitatis.* Atque ita scribe: sic alibi, 'Abdus ademtæ virilitatis.' Notat autem Caligulam quasi ambigue virum, quique, ut Suetonius ait, pudicitiæ neque suæ neque alienæ pepercerit. Infra: 'Sive composuerat quædam in C. Cæsarem ut impudicum, sive facto habita fides.' Jocus aliquis in verbis: quasi dicas Androgynum eum fuisse, ἀμφοτέραν ἀφροδίτην τηρώμενον. *Lipsius.*

Die natali Augusti] Sic reposui, auctore Lipsio; antea, *Augustæ*, contra historiæ fidem. *Pichena.* Assensum eis præbere non possum, qui deleto *Augustæ* repositum eunt *Augusti*, non quod probari queat, natalem Augustæ epulo ludisve celebratum post mortem, sed quia probari nequeat, dixisse isthæc Messalinum, mortua jam Livia. Protulisse potuit aliquot annis ante, et nunc demum tamen accusari convincique; quod prius rabido isti cani quivis obviam occedere metueret. Sic se rem habuisse, satis innuit Tacitus, dum præmittit: *ubi primum facultas data.* Præterea nescio an Cotta hic alluserit ad *epulas novendiales*, quod ante novem dies multi forte a Tiberio interfecti: neque enim verosimile est adsentatorium mancipium voluisse incurrere indignationem aliquam justam dicterio liberiori; quam heic vix vitasset. Forsan *epulas* vocat *novendiales*, quod taciturnum plane esset convivium, ob metum; dum alter alterum suspectat. Plane Senec. de Benef. III. 26. 'Sub Tiberio Cæs. fuit accusandi frequens, et pæne publica rabies,' &c. Ipse Tacitus eodem libro cap. 7. 'Cum primores senatus infimas etiam delationes exercerent,' &c. At in cœna ferali, æque ut in exsequiis, omnia muta fuisse ac tacita, probarem, nisi alterius esset loci. Interim videatur Tac. Hist. IV. 62. *Gruterus.* Non me movent rationes a Viro doctiss. adductæ; quin potius libris, in quibus nulla diversitas a quoquam indicatur, adhæream in re haudquaquam absurda. Cur enim matris suæ natalem celebrari ægre tulerit Tiberius, qui suæ quoque originis quodammodo initium fuit? nec magis ad rem pertinet, quod apud historicos de natali ejus nil reperitur: quot enim res majoris multo momenti perierunt? *Freinshemius.*

Novemdialem eam cœnam] * delibaretur:' etsi ambigo an id ad sacrum Novemdiale referendum, quod solitum fieri (instituit Tullius rex, de quo Livius abunde l. I.) post lapidum imbrem. Tertull. de Testimonio animæ: 'Vocas securos mortuos, siquando extra portam cum obsoniis et mattiis [aliquid Suidas in Μελιττοῦττα] tibi potius parentans ad busta cedis,

aut a bustis dilutior redis.' Idem de Resurrectione carnis : ' At ego magis ridebo vulgus tunc quoque cum ipsos defunctos atrocissime exurit, quos postmodum gulosissime nutrit: iisdem ignibus et promerens et offendens.' Eam vocat Appuleius, &c. * lentem et libum. Sane certos quosdam cibos proprios fuisse huic mortuali cænæ, docet etiam Xiphilinus in Domitiano, ubi de simulato illo sepulcrali epulo : Καὶ μετὰ τοῦτο πάνθ' ὅσα περ ἐν τοῖς ἐναγίσμασι καθαγίζεται, καὶ ἐκείνοις μέλανα ἐν σκεύεσιν ὁμοίως προσηνέχθη. Hanc cænam Silicernium vocatam, docent Nonius, Festus, et Tertullianus: ' Quo differt ab epulo Jovis silicernium? a simpuvio obba? ab aruspice pollinctor?' Hunc morem transisse ad Christianos etiam Augustinus narrat et leviter excusat, De civit. Dei l. IX. c. ult. ' Quicumque,' inquit, ' epulas suas eo [ad sepulchra martyrum] deferunt: quod quidem a Christianis melioribus non fit, et in plerisque terris nulla est talis consuetudo : tamen quicumque id faciunt, eas cum apposuerint, orant, et auferunt ut vescantur.' Et l. VI. Confess. c. 11. de matre sua : ' Cum ad memorias sanctorum, sicut in Africa solet, pultes, et panem et merum attulisset.' Addit mox, vetitum ab Ambrosio, ' quod illa parentalia superstitioni gentium essent simillima.' Paullini locum huic rei subtexo, in Felicis Natali IX. ' ignoscenda tamen puto talia, parvis Gaudia quæ ducunt epulis, quia mentibus error Inrepit rudibus : nec tantæ conscia culpæ Simplicitas pietate cadit, male credula sanctos Perfusis halante mero gaudere sepulcris.' Ubi rusticulos suos in Italia excusat, quod usi vel abusi, per simplicitatem, veteri gentilium more ad sepulchrum ipsum D. Felicis. Legam, *pietate caret*. Ad eas ergo novemdiales, &c. * post stragem Sejani. Non absimile Plauti illud : ' Cocus ille nundinalis est, in nonum diem Solet ire coctum.' Id est, Feralis novemdialisque, et qui mortuis tantum parat in cænam : ut præit nobis bene Festus. *Lipsius.*

Novendialem eam cœnam] *Novendiale sacrum* erat mortuorum : itaque accusatus fuit, quod natales Augustæ epulas *cænam mortuorum* appellasset: tamquam fuisset is ortus feralis atque exitiabilis. *Ferrettus.*

Querensque de potentia] Ex Ms. restitui verbum, *querensque*. Vulgo, *querentemque*. Recte ergo Lipsius monuit legendum, *dixisset;* ac deinde, *addidisset :* ut nos in textu correximus. Male antea, *dixisse*, et *addidisse*. Pichena.

M. Lepidi] Manii, ut sæpe. *Lips.*

Neque cuncta a primoribus] Sic fideliter ex Man. tamen in vulgatis repositum fuit: *neque cuntatius*. Primum ambigo, nam proba fortasse vetus lectio : ut intelligatur, non omnia illa tria, quæ Messallino objecta fuerunt, convinci a primoribus civitatis potuisse. Sed antecedentia et sequentia contrarium suadere videntur: itaque levissima mutatione legerem, *eaque cuncta:* id est, de iis cunctis revincebatur; eadem figura dictum, qua paulo supra : ' arguitur pleraque,' et infra : *adlevatur animum.* Similem fere locutionem habes Hist. lib. II. ' eaque cuncta per idoneos ministros, &c. festinabantur.' *Pichena.* Optime videtur conjecisse socer meus, *eaque cuncta:* certe sensus hoc clamat. *Freinshemius.*

Convivalium fabularum simplicitas] Sen. Benef. III. 26. ' Excipiebatur ebriorum sermo, simplicitas jocantium.' *Aurelius.*

CAP. 6. *Dii me, Deæque*] ' Postremo semetipse pertæsus tali epistolæ principio tantum non summam suorum malorum professus est,' &c. Sueton. Tiber. 68. *Muretus.*

Firmare solitus] Muret. *Adfirmare.* Acidalius.

Recludantur tyrannorum mentes] Pla-

to l. IX. et X. de Rep. *Muretus.* Claudian. in Rufin. l. II. ' Pectus inustæ deformant maculæ.' Ubi videndus Barthius. Cic. de Off. III. 21. ' Hunc tu quas conscientiæ labes in animo censes habuisse? quæ vulnera?' *Gronovius.*

CAP. 7. *Q. Servæus posthac, et M. Thermus inducti*] Melius hic divisim, *post hæc.* Acidalius. Plaut. ' Injuriam multo induci satius est.' Apul. l. III. ' Ego quidem pro hospitis salute, et homicida sum, et reus capitis inducor.' *Muretus.* Ammianus Marcell. l. XXII. ' Et acta super eo gesta non sine magno legebantur horrore, cum id voluminis publici contineret exordium: Consulatu Tauri et Florentii, inducto sub præconibus Tauro.' *Gronovius.*

Quid repens, aut vetustate obscurum] In v. c. est: *quid recens, &c.* quod placet. *Ursinus.* Muret. *recens;* legitur Hist. IV. tamen, ' Cum accursu tot provinciarum exstingui repens perfidia potuerit.' *Acidalius.*

Destinare properat] Non abjecerim, *poterat.* Lipsius.

Reum destinare properat] Forsitan l. *properabat:* aut ut pridem conjeceram, *poterat.* Muretus. Non abjecerim, inquit Lipsius, *poterat.* Imo recipiendum hoc omnino, altero abjecto. *Aurelius.*

Indicibus accessere] Et ita servati sunt, ut paulo ante Paconianus. *Muretus.* Hoc est, bona eorum lucrati sunt indices. Idem fere sup. lib. II. ' Bona inter accusatores dividuntur.' *Pichena.*

CAP. 8. *Fatebor et fuisse me*] * esse voluerunt.' Quæ delector, ita me Deus amet, exscribere candidissime et disertissime dicta. At postrema verba etiam correctiuncula juvo et interpunctis: *Omnes enim Philotæ amici esse voluerunt. Sed totidem quot volebant, esse non poterant. Ita, sed si a consciis, &c.* Prorsus ita legendum, ex Amyntæ quidem mente: quod facile videbis, qui ipse eam habes. *Lipsius.*

Claudiæ et Juliæ] Claudiæ per filium, Juliæ per se: quia Liviam duxerat Germanici sororem. *Lipsius.*

Nec ideo assequare] Parum boni sensus est in voce *ideo.* Ideo non assequare quia illicitum. Quis hoc negat? Quis autem non et confitetur? Ideo non adsequaris, quia scrutaris. Hoc vero ineptum. Nec enim unquam causa ignorantiæ erit Veritatis inquisitio, licet et res divinas in partem trahas, neque hoc Tacitus dixerit, nec dictum voluerit sapiens ille Terentius. Scribam, *nec in Deo, assequare.* Eadem, ait, opera principis Deique arcana rimando te exploraturum confidas; par enim horum æstimatio. *Barthius.* Breviter Tacitus, hoc sensu: Et illicitum est et vanum: nam, utcumque scruteris, haud adsequere. *Gronovius.*

Cogitaveritis, etiam] Sententia puncto post *cogitaveritis* finienda. *Acidal.*

CAP. 9. *In cohortem suam*] * *quibus admissionum liberti jus dedissent.* Quod ait criminum occasionem fuisse, refer ad ea quæ de imagine Principis dicta mihi in l. III. et quæ Seneca De Benef. III. 26. *Lipsius.*

In cohortem suam] Inter suos comites recepit. Alibi dixi multa de cohorte. *Ferrettus.*

Annius Pollio] Qui postea in Neronem conjuravit. *Muretus.*

Et Sabino Calrisio] Infra H. I. 48. mentio fit Calvisii Sabini, qui forte filius hujus fuerit. Eum legatum, nempe legionis, fuisse ibi dicitur: quæ res me movet, ut credam eundem esse cum legato Legionis duodecimæ, cujus meminit noster XV. 7. quod si ita se habeat, loco indicato pro *Calavius Sabinus* legendum est *Calvisius Sabinus.* Freinshemius.

Vinicianus] Et hic postea conjuravit in Claudium. *Muretus.* Emendavit id nomen Lipsius ex Dione. Ego ex Man. confirmo. Male vulgo, *Vicinianus.* Pichena.

CAP. 10. *Qua occupandæ reip.*] Muret. *Quia.* Acidalius. Non improbo, tamen melius fortasse, *quia occupandæ.* Pichena.

Ob lacrymas incusabantur] Heu, misera conditio sub tyrannis: ubi nec liber, liberrimus affectuum, dolor. Claudianus hoc pulchre exprimit: 'tacitique sepultos Suspirant gemitus, indignarique verentur.' *Lipsius.*

Vescularius Flaccus] Male vulgo, *Atticus. Flaccus* enim bis nominatur l. II. *Pichena.*

Rhodum secuti] Forte: *e vetustissimis familiarium Rhodum secutis.* Gronovius.

Curtium Atticum] Equitem R. ex inlustribus, qui Tiberio comes Capreas: supra l. IV. *Lipsius.*

Curtium Atticum] Equitem ex illustribus, comitem secessus Capreensis. Supra l. IV. *Muretus.*

L. Piso Pontifex] Nescio an ex notis error; scribendumque, *Piso P. U.* id esset, Præfectus urbi. *Lipsius.*

CAP. 11. *Profectis domo regibus*] Ex his et sequentibus Cornelii verbis, P. Faber, illustris ingenii vir, censor scriptorum omnium optimus, emaculat Pomponii locum P. de origine juris, ubi de magistratibus. 'Quoties,' inquit, 'proficiscuntur, unus relinquitur, qui jus dicat, isque vocatur præfectus urbi: qui præfectus olim constituebatur: postea vero feriarum Latinarum causa introductus est.' Debet autem scribi, *qui profectis iis olim constit.* Scilicet, profectis domo regibus, ac mox magistratibus, ut ait Tacitus. *Vertranius.*

Feruntque ab Romulo Dentrem Romulium] At Livio primæ decad. lib. x. recensetur inter Pontifices tum e plebe creatos, *M. Livius Denter.* Rhenanus. Liber vetus: *Dentrem Romulium* habet. Forte *Livium* legendum ex T. Livio, lib. x. *Muretus.* Vel hic ex Livio, *Dentrem Livium*, est scrib. vel apud Livium ex Tacito, *Dentrem Romulium*, reponendum. *Ursinus.*

Numam Marcium] Patrem Anci Regis. *Muretus.*

Cillinium Mæcenatem] Dioni et Velleio, et ipsi Cornelio infra lib. XIV. Caius Mæcenas, est, qui in hoc loco *Cillinius.* Id confirmatur ex eo, quod in epistola familiari Augusti ad Mæcenatem sic scriptum, 'Cilneorum smaragde.' Unde qui *C. Mæcenatem Cillinium* a *Cilneis* dictum objiciet, is me ita fere irretiet, ut vix effugere possim: sed non tamen manus ex eo dabo, donec illa verba epistolæ intellexero quæ apud Macrobium reperio Saturn. l. II. 4. Cæterum Italiæ et urbi præfectum Mæcenatem testatur idem Dio lib. XLIX. *Vertranius.* Scribendum *Cilinium Mæcenatem, &c.* unico L. Sic enim est in vv. cc. tum apud Tacitum, tum apud Macrobium in Lusibus Augusti, qui Mæcenatem appellat, *Ciliniorum smaragdum. Cilnium* autem, pro, *Cilinium* corrupte habent codices Liviani manuscripti, unde docti viri Tacitum emendari posse putarunt, cum potius ex Tacito, apud quem minus corruptum legitur hoc nomen, Livius emendandus fuisset. Neque vero apud Silium, repugnantibus præsertim omnibus libris, mutandum fuit *Cilinus*, in *Cilnius;* sed potius ex Silii versu debuit confirmari Taciti pæne incorrupta scripta. Nec etiam defuere qui ex antiqua inscriptione, quam subjiciam *Junium Mæcenatem* hic apud Tacitum scribendum putarint. Adeo fatale fuit, ut in *Mæcenatis* nomine non tantum oscitantes librarii, sed curiosi etiam antiquitatis viri sæpius fallerentur. Inscriptionis exemplum est:

C. IVNIO. THALATIONI
C. MÆCENATIS. LIBERTO
FLATVRARIO
SIGILLARIO
C. IVNIVS. EVOKATVS. FELIX
TIT. D. D. *Ursinus.*

Coërceret servitia] Circumscribit

potestatem Præfecturæ, quæ tamen aucta. Suadeo legas Dionem in Oratione Mæcenatis lib. LII. *Lipsius.*

Piso viginti per annos probatus] His non obstantibus (quanquam Herculi facilius eripiatur clava, quam emendatio doctissimo viro) *viginti* legamus, et interpretemur. Ille duo consulatus præteriit, nempe Longini et Quartini, Tiberiique et Sejani, qui nec Tacito (injuria temporis) dicuntur: quapropter ineunti numerum a principio Tiberii ad finem Pisonis, occurrunt 19. consulatus, quorum tempus viginti annis a Cornelio notatur, qui non morose tempora persequi solet. Vid. doctiss. virum in comm. ad illa lib. I. 'Ultra biennium:' et ad illa lib. III. 'Exin continua per viginti annos.' Parum quoque adversatur, quod objecit de Pomponio Flacco, nam hæc, *confestim detulit*, solum referri valent ad præfecturam urbis. Verum simplicius agam, concedamque uno eodemque tempore, illum Syriam, hunc urbem regendas accepisse. Quid enim erit impedimento ne dicamus Syriam bis a Flacco rectam fuisse? primum ante Mœsiæ curam, et eo ipso tempore, quo Piso urbem cœpit moderari, postea usque ad ejus mortem. 'Exin Flacco Pomponio Syriæ proprætore defuncto.' Sic enim Cyrenius, sive Quirinius novem post annos plus minus Syriam præsens repetiit. Joseph. l. XVIII. 1. Antiquit. ἐπὶ Συρίας παρῆν ὑπὸ Καισαρος δικαιοδότης τοῦ ἔθνους ἀπεσταλμένος καὶ τιμητὴς τῶν οὐσιῶν γενησόμενος qui jam cum Servator nasceretur, id muneris curaverat: αὕτη ἡ ἀπογραφὴ πρώτη ἐγένετο ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίου. Quasi dicat, Cave, lector, existimes Dominum esse natum, cum post exilium Archelai Quirinius iterum Syriæ præses et censor designatus est: non enim ociose dixit. *Hæc descriptio prima.* Salinerius.

CAP. 13. *Silentium ipsius, non civile*] Solebat ipse Tiberius, quum res exigeret, populum edicto monere. Lib. I. 'populumque edicto monuit.' Lib. III. 'utque premeret vulgi sermones, monuit edicto.' Item reprehendere, et increpare lib. V. 'increpavitque per edictum plebem.' L. XIV. 'Tum Cæsar populum edicto increpuit.' At nunc, quia non Tiberii, sed Consulum edicto facta est castigatio, silentium ipsius ad superbiam trahebatur, quasi populus ab imperatore suo despiceretur. *Pichena.*

CAP. 14. *At Rubrio Fabato*] In veteribus denariis nominatur *ROSCIVS* quidam *FABATVS.* Sed non putamus ex ejus denarii auctoritate quicquam apud Tacitum mutandum esse. *Ursinus.*

Sanus repertus] Quasi dicat illuc tantum itare solitos ægros? Suspecta lectio. Mercero placebat, *sane is.* Lipsius.

Sanus repertus] Leg. puto, *sane repertus.* Muretus. Bene monent corruptam lectionem. Rescribe; *sane is repertus apud fretum Siciliæ.* Accusatus Rubrius desperasse de rebus Romanis, et parasse perfugium ad Parthos. Sane, inquit Tacitus, ad fretum Siciliæ captus, retractusque nullam itineris probabilem causam reddebat; unde fides, verum crimen objici. *Sane,* ita sæpe in usu Tacito. Paulo post, 'sane vetus urbi fenebre malum.' *Mercerus.* Faërnus corruptum locum ita restituebat: *Sane is repertus apud fretum Siciliæ.* Ursinus. Olim non dissimilibus Scripturæ vestigiis; emendari, *Nam is repertus.* Felicius Mercerus, *Sane is repertus.* Pichena. Lego *Messanæ is repertus.* Lucill. in frag. 'sæpe quod ante Optasti, freta Messanæ et Rhegina videbis.' Silius: 'Incumbent Messana freto minimumque revulsa Discreta Italia atque Osco memorabilis ortu.' *Aurelius.*

CAP. 15. *Ser. Galba L. Sulla*] His Consulibus Christus dominus in Crucem sublatus est, qui fuit annus ab U. C. 786. *Muretus.* Atqui in eburnea

tessera, quæ apud me est, habetur. *L. SVLP. L. SVLLA.* Quid igitur? erratum dicemus apud Tacitum? Non puto: nam Sulpiciam gentem duobus simul prænominibus usam fuisse, *Lucii et Servii* diximus in familiis Romanis ad denarium *L. SERVII. RVFI,* qui cum ex Sulpitia esset familia, duobus his prænominibus, ut ibi notavimus, usus est. *Ursinus.* Duobus simul prænominibus usum quemquam privatum Romæ temporibus istis, nedum gentem, putare est βεκκεσεληνίζειν, et nostros mores miscere antiquis. Galbam autem non simul Lucium et Servium vocatum, sed *mutato prænomine* cum Servius a patre appellatus esset, adoptatum a noverca *pro Servio Lucium usque ad tempus imperii,* dein rursus omisso Lucio Servium *usurpasse* prænomen, testis Suetonius. *Gronovius.*

L. Cassius] *et Pomponius sine culpa. Tu modo ex breviario lib. v. tolles Quartini nomen, quod Lipsius addidit, credulus fastorum concinnatoribus. *Mercerus.* Adde Rupertum Epist. 29. pag. 140. et Reinesium Epist. 32. p. 160. Rursusque Rupertum Epist. 35. p. 199.

M. Vinicium] Is est, de quo vetus interpres Juvenalis Sat. I. in his verbis: 'Pone Tigillinum. Verum admodum pulcher in concubinatum a Bintio et L. Domitio maritis Agrippinæ et Fulviæ sororum Cæsaris,' &c. Male *Bintio* pro *Vinicio* et *Fulviæ* pro *Juliæ* scribitur. Fratrem habuit L. Vinicium, qui exactissimi ingenii vir nec pati nec dicere poterat ineptias, ut Seneca pater testatur. *Aurelius.*

Calibus ortus] Hic est M. ille Vinicius (placet aliis Vinucius scribi, etsi Dio semper, Οὐινίκιος) ad quem historiam suam Velleius misit, cuique indecore et serviliter blanditur. Produxit vitam ad Claudium, et a Messalina, quia pudorem servavit, interfectus. Habes in Dione libro extremo. Pater ejus Publius, Consul anno urbis DCCLV. Avus Marcus, anno DCCXXXV. *Lipsius.*

Calibus ortus] In Campania. Hodie vulgo *Calvi.* Muretus. Calenum oppidum a Plinio appellatur, et Romanorum colonia fuit, teste Velleio lib. I. *Pichena.*

Facilitate sæpius] Dubito an melius, *felicitate.* Pichena. Non audiendus vir doctus, qui hic dubitat substituere *felicitate.* Facilitas est comitas quædam, et vere ea ipsa quam Galli *complaisance* vocant: quæ industriæ tanquam rei severæ opponitur, sic accipitur *facilis* supra IV. 2. 'facili Tiberio,' h. e. obsequente, facile adsentiente; et v. 1. 'facilis uxor;' et in loco qui magis etiam illustret nostrum, in vita Agric. 40. 'Ut militare nomen [rem horridam] temperaret, tranquillitatem atque otium penitus auxit, cultu modicus, sermone facilis.' Sic etiam *facilitatem imperii* dixit Agric. 3. *Freinsh.*

Admodum vagis] Nescio an melius, *vanis;* ut caussas dicat futiles levesque. Tamen non male, *vagis:* quasi alienis et parum certis. *Lipsius.*

Causis admodum vagis] Placeret magis, *vanis;* nisi illud, *vagis,* sit verbum Tacito familiare, ut pleraque alia, quæ ab exoleta prorsus antiquitate sumsit. *Ursinus.*

Ob Remp. cœptas] An magis, *captas,* an cum Mureto, *susceptas?* Lipsius.

Offensiones ob remp. cœptas] Muretus *susceptas.* Certe melius. *Acidalius.* Faërnus legebat: *et offensiones ob remp. captas,* non *cœptas,* vel, ut alii reponunt, *susceptas.* Quod tamen non esset æque improbandum. *Ursinus.*

Secum introirent] Ad hoc exemplum Claudius idem postea petiit, teste Sueton. 12. *Pichena.*

Ambigens patriam] Beato placuit, *ambiens.* Vulgatam tueri videtur, quod supra scriptum: 'Campaniam prælegebat, ambiguus an urbem intraret;' ni suspecta esset dictionis novitas. *Lipsius.*

Ambigens patriam et declinans] Æmylius tentavit legere, *ambiens:* ego ma-

lim sic positum, *deviis plerunque itineribus ambigens et patriam declinans.* Vel sit transposita copula de industria, ut alibi sæpe. *Vertranius.* Immerito suspecta est Lipsio novitas hujus dictionis. Neque in Tacito versatissimus ignorare debebat, id in Tacito haud esse novum: eum brevitatis ubique studiosum, ne idem nomen repetere, periodosque nimium extendere, necesse habeat, duobus verbis, quæ casus alias diversos requirerent, aut mutatam phraseos rationem, unum tantum, et uni tantum verbo proprie convenientem casum vel phrasim permittere. Ut hoc loco. Proprie dicimus, *declinans patriam:* improprie, *ambigens patriam.* Usitatius foret: *ambigere de intranda patria.* Quod hic vult Tacitus. Sed quia ea loquendi ratio interciperet affectatam ubique nervosamque brevitatem: unius casum tribuit utrique verbo, qui tamen proprie convenit, τῷ *declinans.* Nihil apud hunc Scriptorem frequentius. Et in ejus lectione continuo hærebit, qui id non observat. Ex infinitis, unum modo huc conferam exemplum. Annal. II. 'Enimvero, [Rhescuporis est, de quo loquitur,] audita mutatione principis, immittere latronum globos, exscindere castella, causas bello.' Illa, *causas bello,* reguntur a τῷ *immittere.* Interim proprie dixeris: *immittere latronum globos:* minus proprie: *immittere causas bello.* Nihilominus et *causis belli et latronum globis,* tribuit unicum illud vocabulum *immittere,* ne nimirum longior sit. Vides non esse has in Tacito novitates: neque illas cuiquam reddere debere vulgatas lectiones suspectas: sed vero esse genuinas ipsasque elegantias Cornelianæ brevitatis. *Boxhornius.*

CAP. 16. *Qui pecunias fenore*] Ex fenore plurimæ et gravissimæ seditiones exoriri solent: nam qui fenori pecuniam accipiunt, dulcedine præsentis pecuniæ illecti, neque quid postea futurum sit cogitantes, indulgent cupiditatibus suis: neque prius de calamitate sua cogitant, quam exuti patrimonio, et omnibus fortunis eversi, novas res, si possunt, moliri, et de vertenda quoquo modo rep. consilia capere cogantur. Propterea diligentissime cavendum est, ne crescat æs alienum in civitate. Plato lib. VIII. de legibus, non censet, &c.*

*Tabulæ implentur. Itaque Persæ, ut est apud Herodot. omnium peccatorum gravissimum esse ducebant, quidquam cuiquam debere. Et Plato l. XI. de Leg. prohibet, ne quid ematur in diem: sed omnia præsenti pecunia: aut ne ulla sit actio ad precium petendum. Itemque sanxit, si quis pecuniam mutuam dederit, ne eam ab invito exigere possit. Sed et a Charonda institutum, et apud quosdam Indorum populos olim observari solitum legimus apud Stobæum λόγῳ μ. Sed et lege XII. Tabul. obærati habebantur in nervo et compedibus, vendebantur: si plures unius creditores erant, qui solvendo non esset, licebat eis corpus ejus dissecare, et inter se partiri. Quæ tam horrenda, tamque atrocia lege nominatim permissa erant, ut deterrerent homines ab ære alieno contrahendo. Sed tamen in credenda pecunia aliquid humanitatis est, et natura ipsa nos monet, ut cum amicis egentibus, quemadmodum aliarum rerum, sic pecuniæ quoque numeratæ usum communicemus: idque etiam Deus ipse facere nos jubet. Sed adversus naturam est poscere, ut nummus nummum gignat; vereque affirmat Aristoteles I. Politic. fenus naturæ adversari. Is enim qui alteri fenerat, specie beneficii, eum cui gratificari videtur, evertit. Itaque eleganter S. Ambrosius ait, non multum interesse inter *Fenus* et *Funus:* inter *Sortem* et *Mortem.* Cumque sortem feneratores *Caput* vocare soleant, eos qui illorum retibus involuti tenentur, esse capitis reos. Hæc igitur de Fenore καθόλου: de quo videndus est lib. S. Ambro-

sii de Tobia. S. Basilius in Psalmum XIV. Plutarchus in lib. περὶ τοῦ μὴ δανείζεσθαι. Nunc quæ a Tacito dicuntur singillatim consideremus. *Muretus.* Sed nummum non esse rem sterilem, de Usuris cap. 8. nec fœnus naturæ adversari, cap. 10. contra Aristotelem probat *Salmasius.*

Vetus urbi fenebre malum] Hoc e T. Livio et Halicarnasseo cognosci potest. *Muretus.*

Duodecim tabulis sanctum] At eam sanctionem Livius ad M. Duellium Trib. pl. refert post XII. tabulas, aliquot annis. Lib. VII. 'C. Marcio, Cn. Manlio Coss. de unciario fœnore a M. Duellio Tribunopl. rogatio est perlata: et plebs aliquanto eam cupidius scivit, accepitque.' *Lipsius.*

Unciario fenore] Quid sit *unciarium fœnus*, minime inter se consentiunt interpretes. Carolus Sigonius de antiq. jure Roman. lib. II. c. 11. illud ad centesimam refert, id est, cum pars sortis centesima singulis mensibus penditur: contra Muretus, nec non Antonius Augustin. de legibus et S. C. ad legem Duiliam Mæniam, unciariam usuram esse contendunt, centesimum nummum in annos singulos: ea maxime ratione ducti; quod illius legis perlatio, 'læta plebi, ingrata patribus' divitibusque fuerit, ut testatur Livius lib. VII. Mihi Sigonii sententia magis probatur. Adeo enim apud antiquos Romanos fœneratorum sævitia creverat, ut minime mirer, pro usura levi fuisse, unum pro centum in mensibus singulis. Ac de usuræ quidem enormitate, passim apud eundem Livium querelæ seditionesque plebis: præsertim lib. VI. 'se multiplici jam sorte exsoluta, mergentibus semper sortem usuris, obrutum fœnore esse.' Et quod *unciarium fœnus* plebi fuerit grave, argumento sit, quod deinde ad *semunciarium* redactum fuit, eodem Livio teste. Præterea satis constat, solitum fœneratoribus, usuras singulis mensibus exigere, et ideo menstrui exactores dicti. Hinc apud Aristophanem in Nubibus, quidam debitor facete optat Lunam cœlo detrahere, atque asservare: nam si ea nunquam oriretur, is nunquam usuras persolveret: et Basilius in Psalm. XIV. ait, a debitoribus timeri menses, velut usurarum patres. Vide Plutarchum de vitando ære alieno. *Pichena.* Rectius Muretus et Anto. Augustinus, quibuscum concordat et Sigonius. Vide quæ scripsimus Antexegesi priore de Centes. Usuris et fœnore unciario p. 63. et seqq. *Gronovius.*

Dein rogatione tribunicia] Decem annis post illam Duellii. Livius: 'T. Manlio Torquato, C. Plautio Coss. semunciarium tantum ex unciario fœnus factum.' *Lipsius.*

Postremo vetita versura] Lege Genucia, sex annis post Duiliam. Livius lib. VII. Itaque sæpe postea multati sunt fœneratores, qui et puniebantur pœna quadruplici, cum fures tantum duplici condemnarentur. M. Cato, initio rei rusticæ. *Muretus.* Rectius *usura:* quod idem Muretus credo voluit, cujus in libro sic jugulatas priores literas inveni, *versura.* Acidalius. Error Acidalio communis cum doctis hominibus multis, qui parum ceperunt, quid esset veteribus *versura*, etiam postquam id planissime docuerat Salmasius. Vide Antexegesin posteriorem p. 162. et seqq. *Gronovius.*

Obviam itum fraudibus] Fraudem quomodo facerent, cum in socios nomina transcriberent, cognosces ex Livio lib. XXXV. *Muretus.*

Et concedente] Sic ferri potest: mallem tamen, *eo concedente*. Pich.

CAP. 17. *Duas quisque fenoris partes*] Hac de re Sueton. Tiber. 48. 'Per SCtum sanxit, ut feneratores duas partes in solo collocarent: debitores totidem æris alieni statim solverent.' Sic Plinius VI. Epist. de Senatu suorum temporum: 'Patrimonii tertiam par-

tem conferri jussit in ea, quæ solo continerentur.' Capitolinus de M. Antonio: 'Jussit ut Senatores peregrini quartam partem in Italia possiderent.' Fortassis igitur hic quoque lege *patrimonii*, aut 'duas quisque fenoris partes solveret: duas patrimonii in agris per Italiam collocaret.' *Muretus.*

Pecuniam mercandis agris condiderant] * Vide quæ scripsimus ad hunc locum in Mantissa Pecuniæ Veteris c. 1. p. 105. *Gronovius.*

Famam præceps dabat] Nisi sit phrasis Tacito familiaris, scriberem: *ac famam in præceps dabat.* Ursinus. Muretus addit *in præceps*, recte. *Acidalius.*

Disposito per mensas] Ex ærario. Leg. autem est, *millies sestertium* ex Suetonio: qui sint M. CCCC. scutata monetæ. *Muretus.* Legendum: *Millies sestertium*, non, *sestertio:* quod mendum sæpe apud Tacitum irrepsit. *Ursinus.* Immo legendum, ut est in scripto et editis, *millies sestertio*, non *sestertium:* quo de genere et superius mentio facta est. *Gronovius.*

Prædiis cavisset] Vocem, *prædiis*, non sperno: tamen ambigo, num verius, *prædibus.* Livius lib. XXII. utrumque complexus est: 'dandam ex ærario pecuniam mutuam, prædibusque ac prædiis cavendum populo censerent.' *Pichena.*

CAP. 18. *Pater quoque illustris*] M. Pompeius, procurator Asiæ. Strabo lib. XIII. *Muretus.*

CAP. 19. *Magnitudinem pecuniæ malo vertisse*] *Vertisse malo*, pro, in malum. *Rhenanus.*

Aurariasque ejus] Faërnus pro vulgatis legebat, *argentarias ejus*, deleta copula, *que.* Ursinus. Copulam in voce *aurarias* saltem delet Muretus: nec forte quid amplius deest, ut suspicantur. *Acidalius.*

Inritatusque suppliciis] Id est, supplicationibus reorum, ac periclitantium. Sic lib. I. 'Sed tum supplicia diis, ludique magni ab senatu decernuntur.' Pichena. Quis autem pro Cæsaris hostibus supplicare auderet? Potius *suppliciis* est sanguine, cæde. Significat crudelitatem ejus non exsatiatam multitudine punitorum, sed ultro incitatam, ut grassari cuperet in plures. *Gronovius.*

Jacuit immensa strages] *vigilans leget. Menda numerorum in Suetonio plura, et quædam magnæ rei; ut Nerone, cap. 12. 'Exhibuit ad ferrum etiam quadringentos Senatores, sexcentosque equites Romanos.' Quadringenti Senatores, dimidia Senatus pars: quos omnes depugnasse in arena, fuge credere. Corrigo, *quadragenos.* De equitibus etiam malim, *sexagenos:* firmante conjecturam Dione, qui auctor est pugnasse tantum equites triginta. Simile in Claudii, c. 32. 'Convivia et ampla et assidua agitavit, ac fere patentissimis locis, ut plerumque sexcenteni simul discumberent.' Scribo, *plerumque sexageni.* Sexcenti convivæ, epulum publicum, non convivium. Plura hujus generis alias. Statim etiam in Taciti verbis lego, *interciderat sortis hu. commercium vi, metu.* Lipsius.

Jacuit immensa strages] 'Viginti uno die abjecti, tractique: inter eos pueri ac fœminæ.' Sueton. Tib. 61. sed lego, *ducenti*, non, *viginti.* Muretus.

Aut aggerati] Ex manuscripto reposui, *aggerati.* Vulgo, *aggregati.* Pichena.

Vi metus] Lipsius, *vi, metu.* Sperno: noster enim περιφράζεται, et describit intensum metum, qualem sævissimi Tiberii mores minabantur, τὸ *vis* profecto non mediocriter auget. Plaut. Truc. 'Quique vim magni doloris per voluptatem Tuam condidisti in corpus.' Cæterum benignius cum his agebatur, non cogebantur enim amicorum cadavera calcare: at pœna præsens iis qui Sejanum ludibrio non habuissent. Juven. Sat. X. 'Quam

timeo victus, ne pœnas exigat Ajax,' &c. Victus Ajax (ut hæc obiter explanem) Tiberius est, qui furit in greges innocentum, ut ille, post armorum judicium, in mandras pecudum. Ex his satis apparet, quam vere dixerit ille, Brutum et Cassium *ultimos Romanorum* fuisse: et Juvenal. 'Unde Hæc tetigit, Gradive, tuos urtica nepotes.' Neminem tunc temporis inventum esse, qui illum novum Creontem sic affaretur. *Salinerius.* Nunquid concinnius, *vi, metu.* Freinshemius.

Cap. 20. *Qualem diem*] Corrupte. Videntur verba huc tralata ex pagina sequenti: 'quem tum annum, qualem diem haberet.' Vertranius conatur, *qualem die Tiberius:* hoc sensu; Caligula talem habitum induebat, qualem Tiberius quoque die induisset. Conjectura, quam ego non emerim sestertio nummo. *Lipsius.*

Qualem diem Tiberius induisset] Scribo, *die:* hoc sensu; Caligula talem habitum induebat, qualem Tiberius quoque die induisset; alias incognita dicendi forma est, *diem induere.* Vertranius. Locus insigniter depravatus. Forsitan leg. *quali Tiberium vidisset.* Muretus. Qualem diem in re Mathematica quis se habere scit, cui notum est, quid boni malive in eo sibi portendatur. 'Interrogatus an suam quoque genitalem horam comperisset, quem tum annum qualem diem haberet.' Et qui huic vanitati credulus est, hilarem felici, tristem infelici se fert. Tiberius igitur, qui Matheseos peritus erat, 'Scientia Chaldæorum artis cujus apiscendæ otium apud Rhodum, magistrum Thrasullum habuit, prævisa diei qualitate lætus aut severus incedebat: at Caligula qui se totum in imitationem Tiberii componebat, affectus, quos ille vultu prodidisset, suo delineabat et exprimebat. 'Induere diem,' ut, *induere diversa, induere societatem, induere seditionem.* Salinerius. Puto diducta leviter compendiaria scriptione serenatum hoc omne nubilum: *qualem dicerem Tiberius.* Talem se Tiberio præbuit et animo et verbis Cæsar Caligula, qualem omnino simili casu ipsum imaginor Tiberium. Vel denique *dicem* pictum antique fuit, pro *dicam.* Veteres enim *faciem, dicem,* pro *faciam, dicam,* scripsisse Fabius annotavit. *Isac. Pontanus.* Deponit hunc locum Lipsius. Quantum sententiam assequor, ea fuit, ac si scriptum, *non exsilio fratrum rupta voce, vultu, qualem Tiberius induisset, pari habitu, &c.* Quæ vox excidere facillime quidem potuit. *Acidalius.* Nullo sensu hæc scripta sunt; nec dies induitur. Et medicum hæc plaga poscit. Repono: *Qualem chlamydem induisset pari habitu.* Sic Tertull. in Pallio: 'Qualem chlamydem disperdit?' nam aucupium est aulicorum ea diligere, et sectari, quæ princeps. *Aurelius.* Hanc sententiam vidit Vertranius, rejecit autem Lipsius, jocatus in eam insuper; mihi vero alia nulla quærenda existimatur, aut sane non cavillo sed argumentis hujus absurditas demonstranda. Legendum vero: *Qualem in diem Tiberius induisset, pari habitu.* Nec sane de vestitu capere hanc sententiam coacti sumus; cum habitus oris etiam, vultus, et omnium affectuum, quatenus vultu illi elucent, significari possit. Sed nec in altero quippiam est alienum bona mente. *Barthius.* Dixi Observ. lib. I. 2. non modo nihil hic esse mendi, sed et verba exquisita. *Qualem diem induisset:* id est, qualem animum vultumque quoque die sumpsisset vel gessisset Tiberius, talem et ipse induens ac præ se ferens. Τοῖος γὰρ νόος ἐστὶν, &c. Οἷον ἐπ' ἦμαρ ἄγῃσι. *Gronovius.*

Et tu, Galba] Hoc de Consule Tiberius: at Suetonius de puero refert, 'Augustum apprehensa ejus buccula dixisse, καὶ σὺ, τέκνον, τῆς ἀρχῆς ἡμῶν παραγεύσῃ.' Quæ sunt ipsa, quæ hic Tiberio adscribuntur; quod

idem cum nostro et Dio facit. Ita censeat aliquis Suetonium vel alios auctores secutum, vel memoriola lapsum: et si potuit uterque diverso tempore prædixisse, sed itane verbis iisdem? *Lipsius.*

Et tu, Galba quandoque] Καὶ σὺ, τέκνον, τῆς ἀρχῆς ἡμῶν παραγεύσῃ. Sic Turnebus apud Suetonium legit, in Galba ex Dione, IV. Xiphilino et Josepho. At Sueton. hoc dictum tribuit Augusto: Dio et Joseph. Tiberio. *Muretus.* Apud Suetonium ex mel. libb. jam legitur *παρατρώξῃ.*

CAP. 21. *Super negotio consultaret*] Man. *super ta negotio:* forte, *super tali negotio,* vel, *super eo negotio:* id est, præscientiæ. Sic lib. II. 'super eo negotio diversas sententias noscere.' *Pichena.*

Quantum introspiceret] Lege, *quanto.* Acidalius.

Præscium periculorum et incolumem] Malim, *præscium periculorum, sed incolumem.* Idem.

CAP. 22. *Fatone res mortalium, et necessitate*] Chrysippus apud Gellium VI. 2. * sed optime Homerus: Ὢ πόποι, οἷον δή νυ θεοὺς βροτοὶ αἰτιόωνται· Ἐξ ἡμέων γάρ φασι κακ' ἔμμεναι, οἱ δὲ καὶ αὐτοὶ Σφῇσιν ἀτασθαλίῃσιν ὑπὲρ μόρον ἄλγε' ἔχουσιν. Scripserunt de fato, Chrysippus, Zeno, Cicero, Plutarchus, Alexander Aphrod. omnium optime S. Thomas, et libello proprio, et in I. part. q. 116. Vide et commentarium nostrum in Catilinarias M. Tullii. *Muretus.*

Creberrima et tristia] Non dubitem legendum esse, *creberrime tristia.* Freinshemius.

Plurimis mortalium non eximi] Puto leg. *non eximas.* Muretus. Vulgo, *non eximi:* quod rectum videbatur, ut a superiori verbo, *putant,* regeretur. Sicuti etiam sequentia verba, *cadere* et *corrumpi.* Lipsio, *non eximis,* magis placet. At mihi Manuscripti lectio, *non eximitur.* Pichena.

Et antiqua ætas et nostra] Exciderat in editis primum, *et,* quod ex Man. reposui. *Idem.*

A filio ejusdem Thrasulli] Est et apud Xiphilinum; et prædictum etiam, fore ut matrem interficeret; nisi quod Astrologum ipsum non nominat. Sic mors prædicta Vitellio ab Astrologis. Sic prædictum imperium Vespasiano ab Josepho. Sic mors Domitiano prædicta ab Ascletarione, et a Proculo Longino. Innumerabiles ejus generis prædictiones in veterum libris leguntur: sed valeat dictum Diagoræ. *Muretus.*

CAP. 23. *Sponte vel necessitate*] Tacito magis familiare fuisset, *Sponte an necessitate.* Ursinus.

Mandendo e cubili tomento] Idem Suetonius narrat. *Muretus.*

Descriptum fuisse] Muretus, *præscriptum.* Lipsius.

Descriptum fuisse Macroni] In v. c. habetur, *præscriptum.* Ursinus. Lege, *præscriptum.* Et sic Muretus. *Acidalius.* Mallem cum Mureto, *præscriptum.* Sic lib. I. 'patris jussa simulabat, quibus præscripsisset Tribuno.' *Pichena.*

CAP. 24. *Nurum, filium fratris, et nepotes*] Hæ voces non habent cum quo jungantur. Nec satis scio verbum perierit, an Tacitus ipse subintelligendum omiserit. *Acidalius.* Vulgo, *filium fratris:* reposui copulam, *que,* ex Man. *filiumque fratris.* Pichena.

CAP. 25. *Agrippina æqui impatiens*] Plane non verum credo, *æqui impatiens.* Nec satis video quid substituam; nisi forte *regi,* vel *jugi impatiens.* Acidalius.

Actæ ob id grates] Non principi, sed diis, ob cædes scilicet Drusi et Agrippinæ: adeo infelix vilisque illorum temporum servitus et adulatio. Tac. l. XIV. in fine, post Octaviæ cædem: 'Dona ob hæc templis decreta: quod ad eum finem memoravimus, ut quicunque casus temporum illorum nobis vel aliis auctoribus nos-

cent, præsumptum habeant, quotiens fugas, et cædes jussit princeps, totiens grates Deis actas, quæque rerum secundarum olim, tum publicæ cladis insignia fuisse.' Lib. xv. 'Alius alio, fratre alius, aut propinquo, aut amico interfectis, agere grates Deis, ornare lauru domum.' Tamen ipsis etiam principibus grates ob eadem agebantur. Supra l. III. 'Adiderat Messallinus, Tiberio, et Augustæ, et Antoniæ, et Agrippinæ, Drusoque, ob vindictam Germanici, grates agendas.' *Pichena.*

Ut quinto decimo] In v. c. habetur: *Ut a. d. quintum decimum.* Nam in vulgatis desunt notæ A. D. *Ursinus.*

Cap. 27. *Flacco Pomponio*] De eodem Suetonius c. 42. Tiberii: *Postea princeps, &c.** Ubi aliquot libri, *Pompeio Flacco:* male, est enim ille ipse, qui ante xv. annos Mœsiæ præfuerat. Tacit. l. II. *Lipsius.*

M. Lepidus] Iterum, *Manius.* Idem.

In prioribus libris satis conlocavi] Cum ait, *in prioribus libris,* quartum indicat, huic proximum atque conjunctum: quamobrem suspicor culpa temporum ex libro v. et VI. unum extitisse nobis quintum hunc librum; præsertim cum omnia desiderentur, quæ ad Sejanum pertinent: quæ longo ordine verisimile est pro diligentia et cura scriptoris tractata fuisse: ideoque supra de Agrippina: 'Eodemque,' inquit, 'die defunctam; quo biennio ante Sejanus pœnas luisset.' Et infra: 'Quamquam triennio post cædem Trajani.' De quo, quamvis exiguo, et prope non contemnendo, admonitum tamen esse lectorem volui. *Ferrettus.* Verbum *conlocavi* de mendo suspectum. *Muretus.*

Cap. 28. *Paullo Fabio, L. Vitellio Coss.*] Dio, Solinus, Plinius, biennio posterius venisse eum volunt, Q. Plautio, Sex. Papinio Coss. Vereor ut stare sententia Taciti possit, contra tot testes. Nota autem ex Dione hos ipsos Consules post celebrata decennalia Tiberii pœna adfectos: quod tacuit noster. Ex quo non vane dixerim, narrationi huic annali deesse quædam. Non enim Consulum supplicium certe omisisset. *Lipsius.*

Et ore ac distinctu] Ingeniose alioqui Pichena, *colore ac.* Lipsius.

Et ore et distinctu pinnarum] Recte, tamen suspicor, *colore, ac distinctu pinnarum.* Pichena.

Formam ejus definiere] Man. *deffinere,* sed litera, *d,* a recenti manu; unde legendum censeo, *effinxere.* Pichena.

Sexaginta unum] Nimis minutum aut curiosum de *uno* anno. Itaque Muretus sententiam expedisse mihi videtur: *sexaginta: unum in terris.* Neque enim probabile, hoc omissum, de unitate. *Lipsius.*

Mille quadringentos sexaginta unum interjici] Ex Plinio, DCLX. Dein fort. *in terris.* Muretus. Totum hunc Taciti locum de ave Phœnice mirum in modum illustrant, quæ scribit Achilles Statius Alexandrinus l. III. de Leucippe, et Clitophonte. Suspicor autem in Taciti verbis illis, *mille quadringentos sexaginta unum interici,* duo menda subesse: unum, factum ex notis obscurioribus; quæ cum essent CDLX, a librariis mutatæ sunt partim, in DLX, partim in CIƆCDLX. addita nota CIƆ. ad eam summam, quam Tacitus ediderat, CDLX. Cujus additionis causa apparet fuisse ignoratio CD. quam librarius putavit esse, CIƆ. Plinius certe x. 2. edit annos DCLX. nisi et ipse ex hoc Taciti loco emendandus sit. Alterum mendum putamus esse in verbis illis, *unum interici,* pro quibus scribi posset, *unum in terris, &c.* Ursinus.

Soside primum] Legendum arbitror, *prioresque alites Sesostride primum, &c.* quod alii etiam notarunt. *Muretus.*

Cap. 29. *Qui de se statuissent*] Non mirum, quia ne damnati quidem, nec peracti rei. Dio hæc omnia exprimere voluit, in actis anni DCCLXXXIV. Ἔς τε τὴν ἀγορὰν τὰ σώματα ἁπάντων ἐρρίπτετο, καὶ μετὰ τοῦτο ἐς τὸν ποταμὸν

ἐνεβάλλετο. Ἤδη δὲ καὶ ὅπως οἱ παῖδες τῶν οὐσιῶν αὐτοὺς κληρονομῶσιν· ubi puero mendum clarum, scribendumque, μὴ κληρονομῶσιν, inserta voce. Ideo enim abjecta, &c.* *Lipsius.*

Morem fuisse majoribus] Notabilis mos hic est amicitiæ renuntiandæ: cujus et Suetonius meminit Calig. III. ex quo veteres bellum indicturi, renunciabant amicitiam per legatos, missos rebus repetendis, ut est apud Livium l. XXXVI. ab initio et XLII. Illoque respicit Cornelii scriptum sup. l. II. ubi de Germanico ad Pisonem: 'Componit epistolas, queis amicitiam ei renunciabat.' Similisque fuit, ni fallor, hospitii renunciatio, ut de Badio Campano palam omnibus renunciante hospitium Crispino, testis Livius XXV. et apud eundem XXXVIII. 'Decernitur renunciandam societatem Achæis.' Sane scripto, qui dirimeret amicitiam, denunciabat: hoc colligo ex Seneca ad Lucilium Ep. 77. 'Inimicitias,' inquit, 'mihi denuncias, si quicquam ex iis quæ quotidie facio, ignoraveritis.' Inde legitur apud eundem de benef. l. II. 'indictum odium.' *Vertranius.*

Interdicere domo] Sen. de Ira l. III. 23. 'Sæpe illum Cæsar monuit, ut moderatius lingua uteretur: perseveranti domo sua interdixit.' *Pichena.*

Mamercus dein Scaurus] Dio hunc vocat *M. Æmilium Scaurum.* Sed male. Inscribebatur illa tragœdia *Atreus.* At Tiberius, 'Ego,' inquit, 'illum Ajacem efficiam.' Vide Dionem. *Muretus.*

CAP. 30. *Ac tamen accusatores*] Dio: τούς τε ἐπιβοητάτους τῶν τὰς κατηγορίας ποιουμένων ἀποθανεῖν ἐν μιᾷ ἡμέρᾳ ἐκέλευσε. *Muretus.*

Pecuniam a Vario Ligure omittendæ delationis ceperant] An ipsum Ligurem deinde accusarunt, ab eodemque corrupti, delationem omiserunt? Potius puto, a Ligure eos pecuniam accepisse, ut ab aliqua accusatione desisterent. *Pichena.*

Modicus severitate] Placeret magis, *modicus severitatis*: nihil tamen mutandum esse censeo. Potest enim esse phrasis Tacito familiaris. *Ursinus.*

Indicium mortis] Quin potius *judicium*: hoc ait, se perinde accepturum successorem sibi submitti, quam capitis reum se judicari, eaque causa evocari ut supplicium de se sumatur. *Freinshemius.*

CAP. 31. *Non despectum id apud barbaros*] Xenophon παιδείας lib. VII. Claudianus in Eutropium. *Muretus.*

CAP. 32. *Modo cupidine vindictæ inardescere*] Desideratur alterum *modo*: inferendum Muretus quoque vidit: *Artabanus modo tardari metu, modo cupidine vindictæ inardescere.* Acid.

Instituta Parthorum resumit] Vulgo, *sumit*; Ms. corrupte quidem, *insumit.* Sed veram lectionem indicavit, *resumit*; scilicet post longam desuetudinem. *Pichena.* Ms. habet, *insumit.* Tacitus scripsit, *induit.* Sic passim solet. *Boxhornius.*

Recuperandæque Armeniæ] Regio est Asiæ ad Caucasum. Strabo l. II. *Muretus.*

CAP. 33. *Urbe Artaxata*] Malim, *urbem.* Tamen et Artaxatam et Tigranocertam priore numero, noster aliique scripserunt. *Lipsius.*

Et urbe Artaxata potiuntur] Sic Manuscripti fide: at vulgo, *urbem.* Sæpissime enim Tacitus verbo, *potiri*, sextum casum jungit, quartum non memini: nisi forte lib. XI. ubi vulgati habent, *potitusque regia*; in Flor. legitur, *regiam*, quod de Vat. vulgari testatur etiam Lipsius. *Pichena.*

Albanos] Hi vicini sunt Iberis. *Muretus.*

Accipere Sarmatas] Profecto fuit, *acciere Sarmatas*: id est, arcessere et advocare. *Lipsius.*

Accipere Sarmatas] Asiaticos Tartaros. Europæi sunt Russi. In heptarchias divisam fuisse regionem illam, testatur etiam Strabo. *Muretus.* Puto *accire.* Gronovius.

Quorum sceptuchi] Sceptrigeri, ut ita dicam, quod ad principes regesque refertur. *Ferrett.* Id est reges, sic et Homero dicti, quod sceptrum gererent, ut scribit Suidas. *Vertranius.* Rectius *sceptuchos* quam *sceptruchos*; quomodo vocantur Straboni l. XI. *Freinshemius.*

Cap. 34. *Sæpe, modum obsidii*] Adde præpositionem: *sæpe in modum.* Voluit ita quoque Muretus. *Acidal.*

Ignobilem Iberum mercenario milite disserebat] Malim hercle, *ignobilem Iberum, mercenarium militem disserebat.* Acidalius.

Disserebat] Magis pro sententia esset, *differebat.* Lipsius.

Cap. 35. *Modo equites tres prælii more*] Castigavi, *modo equestris prælii more.* Rhenanus. V. c. habet: *modo equites tres prælii more*, pro, *equestris prælii more*, ut est in vulgatis. Sed lectio libri manuscripti videtur mendosa: cum vulgata confirmetur loco Livii, apud quem ita legitur l. XXI. 'Minime equestris modo pugnæ,' &c. Quod ideo dictum est a Livio, quoniam equitibus, ut Polybius ait, neque convertere se, neque iterum in hostem procurrere licebat. *Ursinus.*

Frontis et tergi vices] Scribo, *vice:* et sententiam expedio. A Sallustio, &c.* *Lipsius.*

Frontis et tergi vices] Id est, vicissitudines. Exaudiendum autem verbum, *erant.* Muretus. Sententia expedita est, quamvis omnem excludamus emendationem: qua non opus auctori, qui peculiariter sæpe usurpat accusativum quam absolutum. Supra c. 33. fuit: 'Adequitare castris, infensare pabula; ac sæpe, modum obsidii, stationibus cingebat.' Similes locutiones occurrent Hist. I. 44. II. 78. III. 61. IV. 18. et 19. aliisque ut alias ostendemus: nam isthæc modo præcipitamus vere ex tempore; adeo quidem ut ne relegendi quidem concessa facultas. *Gruterus.* Nolim mutare *vice* cum Lipsio. Facit vulgatum eundem sensum, et æque expeditum. Nec aliter structura ad Taciti morem: qui verba sæpe subintelligi vult, ut hic, *frontis et tergi vices essent*, vel *facerent.* Acidalius.

Falso credita] Lego, *dedita*, vel *dita.* At Josephus revera occisum eum tradit l. XVIII. *Lipsius.*

Cap. 36. *Ultimi * id peritiæ*] Nisi quid desit (nec puto hercle, quoniam tota hac narratione belli externi concisus Tacitus) commodo restituemus: *regni ultum iit. peritia l. a. I. m. pugnatum.* Amat ita loqui noster, et Sallustius: 'Quam maxima cura ultum ire injurias festinat.' *Lipsius.*

Tota mole regni ultimi] Concisus est serio noster in hac externi belli narratione: nec mirum, præsertim cum suppressa de contextu prodeant; respice ad hæc, Ann. l. XV. 'Non ea imperatoris habere mandata, Corbulo: periculo legionum commotum e provincia egressum:' nonne hic siletur, *respondit?* lege quæ sequuntur. Eod. lib. 'At Vologesis ad Corbulonem missi nuntii, detraheret castella trans Euphraten, amnemque ut omnium medium faceret.' Quid hic? *postulabant.* Pariter ex his: *mox Artabanus tota mole regni ultimi*, emergit, *adfuit;* et ex his, *id peritia locorum*, erumpit, *prælium*, quæ omnia in proclivi sunt: nam paulo ante Cornelius egit de Orode filio Artabani, qui jussu patris jam adversus Iberos pugnaverat, et victus fuerat. Hæc autem, *tota mole regni ultimi*, significant Hyrcanos et Bactrianos, 'dum ipse, positis adversus Hyrcanos discordiis, vires intimas molemque belli ciet.' Et, 'an interiora regni sui peteret, haud dubie potentior auctor præsens futurus ultimis gentibus impigre bellum capessendi.' Quibus adstipulatur Curtius lib. V. 'Ultima regni adhuc intacta esse.' Et lib. IV. in 'Mediam, Hyrcaniam, Bactra, et Indos Oceani accolas quando aditurum?' Quamobrem in nostro brevitatem

miror, castigationes non moror: non enim Thucydidem damnamus, ejusque verba obliteramus, propterea quod astricta, et concisa sint. *Κορινθίων δὲ Ξενοκλείδης ὁ Εὐθυκλέους πεμπτὸς αὐτός*· quo in loco Scholiastes: *αὐτὸς ἀντὶ τοῦ πρῶτος.* Dixisset alius: ‘quinque Corinthiorum duces aderant, quorum præcipuus erat Xenoclides filius Euthyclis.’ *Salinerius.* Corrupte vulgo, *regni ultimi.* Lipsius egregie correxit, Tacito ipso volente, qui sæpe ita loqui amat lib. IV. XII., &c.* *Pichena.*

Occultos consulit] Scribo, *conligit.* Lipsius.

Aliosque occultos consulit] Usus est Tacitus hoc verbo supra, ut ad eum locum notavimus. Quod vero obscurius videretur, Faërnus pro eo, reponebat, *conscios*, vel potius ad vulgatam scripturam, *consilii.* Nos putamus nihil mutandum esse. *Ursinus.* Ferri potest, *consulit*, ut intelligatur, Sinnacem in consilium super illa defectione adhibuisse Abdagesem patrem, aliosque occultos amicos. Man. tamen, *consilit.* Pichena. An non melius *occulto?* Lipsius etiam pro *consulit* scribit *conligit*, quod vix accipio. Promptius *conciliat.* Sed mirum ni Tacitus sic scripsit: *Patrem Abdagesem aliosque, occultos consilii, et tunc continuis cladibus promptiores.* Ait eos consilium defectionis occulte apud se habuisse: post repertis auctoribus animum detexisse. Verum hoc, si quid aliud, certo puto. *Occultus consilii*, ut *manifestus consilii*, *cogitationis*, (cujus exemplum ex lib. XV. paulo ante dedimus) *flagitii*, *ambitionis*, *vanitatis*, passim in Tacito. *Acidalius.*

CAP. 37. *Suovetaurilia daret, ille equum*] * concepere votum, &c.’ Apud Massagetas, item Soli. Strabo lib. XI. *Θεὸν δὲ ἥλιον μόνον ἡγοῦνται, τούτῳ δὲ ἱπποθυτοῦσι.* Pugnat cum superioribus, quod idem Strabo lib. XV. de Carmanis scribit: *Ὄνον τε θύουσι τῷ Ἄρει, ὃν Πέρσαι σέβονται θεῶν μόνον.* Alii enim Persis Solem, quem Mithram dicunt, deum unicum tribuunt, non Martem, ut hic (per oblivionem forte) Strabo. *Lipsius.*

Suovetaurilia daret] Corruptus locus est; ut reponendum suspicer, *Solitaurilia.* Sunt hæc sacrificia, quibus tres diversæ hostiæ immolantur, *taurus, aries, verres:* sic dicta, quod integri corporis hæc animalia sint. *Solum* Osca lingua *totum* significat. Festus. Hinc *Solopychium* Catullo. Erunt fortasse quibus nihil immutandum videbitur, ut vox sit composita a *sue, ove*, et *tauro.* Sed certe nimis insolens est compositio. *Alciatus.* Scribendum, *sue, ove, Taurilia daret.* Sic enim Livius quoque loquitur lib. I. ‘Ibi instructum exercitum omnem sue, ove, Taurilibus lustravit.’ Tametsi in omnibus editionibus, quæ hodie extant, vulgo pro *Taurilibus* corrupte legitur, *taurisque tribus lustravit.* Verum nos sinceram istam lectionem deprehendimus in volumine manuscripto, quod huc misit Clar. vir Reinhardus a Rietpur, Borbetomagensis ecclesiæ decanus. *Ludorum Taurilium* rursus meminit Liv. l. IX. ‘Ludi Taurilia per biduum facti religionis causa.’ *Rhenanus.* Lustrabatur exercitus, mactatis sue, ove, taurisque: ut auctor est Livius l. I. inde nomen compositum fuit a Corn. *Suovetaurilia.* Ferrettus. ‘Sunt,’ ait Pompeius, ‘qui putent ex tribus hostiis nomen inclusum,’ sue et ove, cum solido tauro, et omnium trium vocabulis confusis, dici *Suovetaurilia*, quibus in hoc loco Vitellius, ut Livii lib. I. Servius Tullius exercitum lustravit. Idem et Marti *Suovetaurilibus* piaculum fieri, scribit, lib. VII. Sed Alciato nimis insolens illa compositio videtur. Ego censeo pro sacrificiis, quæ diversis hostiis fierent, necessaria diversa nomina fuisse, admittoque, ubi verre, ariete, et tauro operatum erit, nomen *Solitaurilia*, quod potuerunt veteres dixisse, *Verariteaurilia:*

Sed ubi sue, ove, et tauro factum, non video, quæ sit insolentia nominis factitii, præsente nota siguati. Quare nihil e vulgari scripto immutandum videtur. *Idem.*

Equum placando amni] Eo scilicet, quod Poëta monet, 'Ne detur celeri victima tarda Deo.' *Idem.*

In modum diadematis] * fascia distincta albo circuibat.' Quæ verba ἐξ ἐπιπολῆς pronuncio parum sana. Damnat ipse Curtius, l. VI. de Alexandro: 'Itaque purpureum diadema distinctum albo, quale Darius habuerat, capiti circumdedit, vestemque Persicam sumpsit.' Si purpureum, quomodo cæruleum? nec sane cærulum colorem inter regios aut principales legi. An illic scribendum, *coccinea fascia?* an, *hoc cæruleum?* ut insigne capitis tali colore fuerit, non fascia ipsa. De medicina enim certa alius viderit; non hic mihi cognomen Sullæ. *Lipsius.*

Prospere transgressus] Malim, *prosperi.* Rhenanus.

Retinerent] Ita Manuscriptus; vulgo, *retineret.* Pichena.

CAP. 38. *Et continuo abscessu*] Faërnus legebat: *Et continuum abscessum.* Ursinus.

Mox quoquo modo dicta] Et hoc ex Man. Antea, *quoque modo.* Irrepsit idem error l. XIV. *Pichena.*

CAP. 39. *Carmina illic in principem*] Malim sic scriptum, *Ob carmina in principem factitata, illic strangulatus est.* Hic vero Sextus Paconianus nomine Pagoniani supra memoratus est, pro C. et G. litterarum affinitate. Idem fortasse dicitur Sueton. Tib. 61. 'Paconius majestatis reus,' utique ob carmina in principem emissa: cujus de causa Tiberius scripsit Senatui, ut de pœna Paconii quamprimum statueret. *Vertranius.*

Manus carnificum] Sic melius in Man. *manus*, quam in vulgatis, *manum.* Pichena.

Poppæus Sabinus concessit vita] Sua sponte, non fato. Vide Dionem. *Lipsius.*

Concessit vita] Dio: ἥδιστα προαπηλλάγη πρίν τινα αἰτίαν λαβεῖν. Lipsius, *Sponte non fato.* Non sequor. *Muretus.*

CAP. 40. *Eo anno, neque quod L. Aruseius*] Desunt non dubie propria aliquot nomina eorum qui damnati occisique. Vertranius labentem locum immissa voce fulcit, *Eo anno neque quod alii, neque quod L. Aruseius*: sed tibicine non bono. *Lipsius.*

Neque quod L. Aruseius] Aldi judicio quædam hic verba desunt. Forsan sic habuit Cornelius: *neque quod alii, neque quod L. Aru. &c.* Hæc opinor, ut verisimile est, inculcatas conjunctiones, et sequentia, *L.* et *A.* rejectas ab exscribente: et licet illa, *neque quod alii*, chirographo deficiant, necessaria tamen ex eo constat, quod legitur ubique, *morte adfecti forent.* Cæterum auctoris sensus est: Malis ferendis assueti leviter necem et aliorum et L. Aruseii, quamvis atrocia facta, ferebant. Sed tandem facinus novum animis terrorem injecit, quod Vibulenus, &c. *Vertranius.*

Vibulenus Agrippa] Vibilius dicitur Dioni. *Lipsius.*

In ipsa curia depromptum] Dio, ἐν δακτυλίῳ ῥοφήσας. *Muretus.*

Duo Blæsii] Forte legendum, *duo Blæsi*, qui filii Blæsi erant, Blæsi, inquam, illius de Tacfarinate triumphatoris, qui Sejano avunculus fuit. *Aurel.*

Galba tristibus Cæsaris litteris] Frater est illius, qui postea Princeps. Suetonius: 'Caius attritis facultatibus urbe cessit, prohibitusque a Tiberio sortiri anno suo Proconsulatum, voluntaria morte obiit.' *Lipsius.*

Æmilia Lepida, quam juveni Druso nuptam rettuli] Nusquam id in his libris scriptum. *Lipsius.*

CAP. 41. *Clitarum natio Cappadociæ, Archelao subjecta*] Male vulgo, *Citarum.* Lipsius.

Scytharum natio] Legend. *Clitarum,*

quæ gens in Cilicia. *Muret.* Male vulgo, *Citarum natio Cappadociæ.* Emendavit Lipsius, et fere Man. congruit, qui habet: *Cietarum natio Cappadoci Archelao:* licet supra litteram *i* a recentiori manu addita fuerit littera *e*, tanquam *Cappadociæ* legendum esset. *Pichena.*

Nicephorium] Alio nomine *Constantina*, prope Edessam urbs. Stephanus. *Muretus.*

Anthemusiada] Sic et Apollonius appellat. Est urbs Syriæ. *Muretus.* Plinius v. 24. 'Jungitur præfectura Mesopotamiæ ab Assyriis originem trahens, in qua Antemusia et Nicephorium oppida.' *Aurelius.*

Cæterasque urbes quæ Macedonibus sitæ] Faërnus legebat, *a Macedonibus sitæ.* Ursinus. Immittenda forte præpositio, *quæ a Macedonibus sitæ.* l. III. 'Urbemque Philippopolim a Macedone Philippo sitam.' Censuit et Muretus ita. Possit sane abesse, nisi ambiguitatem pareret. Nam alio sensu sunt illa exempla lib. I. 'Et veterem aram Druso sitam disjecerant.' Lib. IV. 'Pergamenos (eo ipso nitebantur) æde Augusto ibi sita, satis adeptos creditum.' *Acidalius.*

CAP. 42. *In barbarum corrupta*] Sic Histor. lib. IV. 'aucto in barbarum cognomento.' *Aurelius.*

Populi imperium juxta libertatem] Thucyd. l. III. in Orat. Theb. Ἡμῶν μὲν γὰρ ἡ πόλις τότε ἐτύγχανεν, οὔτε κατ' ὀλιγαρχίαν ἰσόνομον πολιτεύουσα, οὔτε κατὰ δημοκρατίαν· ὅπερ δέ ἐστι νόμοις μὲν καὶ τὸ σωφρονεστάτῳ ἐναντιώτατον, ἐγγυτάτω δὲ τυράννου, δυναστεία ὀλίγων ἀνδρῶν εἶχε τὰ πράγματα. Sic et Demosthenes ait: 'natura inimica esse democratiam, et tyrannida.' *Muretus.*

Materna origine Arsacidem] * Græca ortus.' Sic Otho quoque inf. H. II. 50. *maternum genus impar habuit:* et Jugurtha apud Sallust. c. 11. despicitur fratri Hiempsali, 'quia materno genere impar erat.' Fuit ergo Artabanus, &c.* in regno remansisse. Artabanus autem iste exerte dicitur *Arsacidarum e sanguine* sup. II. 3. et certe nisi fuisset, posteri ejus non obtinuissent imperium, ut sane credamus, quod tamen frustra fecerimus, eum id vi tenuisse. Et sane ita fere moribus obtinuit apud Orientem, ubi validissima regum auctoritas semper fuit, ut una aliqua familia regni capax crederetur: nota res est de Persis, de Turcis hodie. Sic et apud Sidonios nemo 'patrio more in id fastigium recipiebatur, nisi regia stirpe ortus,' ut memorat Curtius IV. 1. *Freinshemius.*

Ctesiphon sedes imperii] * Ammianus, l. XXIII. Pugnat tamen iis Procopius l. II. De bello Persico: 'Apud Assyrios civitates duæ maximæ sunt, Seleucia et Ctesiphon, Macedonum ædificia.' De urbis hujus situ, et duplici munitissima arce, lege Gregorium Nazianzenum, Orat. IV. in Julianum. *Lipsius.*

Atque interim Ctesiphon] Apud Assyrios duæ civitates maximæ erant, *Seleucia, et Ctesiphon*, ut Procopius l. II. de bello Persico testatur. At Ctesiphonte reges hibernare consueverant. Strabo. *Muretus.*

CAP. 43. *Dubitatio et omnes*] Forte rectius, *oppressa cunctantium dubitatione, omnes, &c.* nec enim facile reperias subaudiri in tali oratione subjunctivum vel imperfectum: nam de indicativo præsenti, quem vocant, vulgatum est. *Freinsh.*

Delectum capiendo diademati diem non concelebraverant] Faërnus legebat: *Delectum capiendo diademati diem nari*, (vel ut est in v. c. *nari diem*) *non concelebraverant.* Ursinus. Scripsi *delectum capiendo diademati diem haud concelebraverant;* quia in Ms. est, *haci.* Vulgo, *non.* Pichena.

CAP. 44. *Falsos in amore odia non fingere*] Aurelius Victor Schotti in Constantino M. 'Quippe humanæ mentes frustratæ boni spe, asperius

offenduntur, cum mutato rectore flagitioso ærumnarum vis manet.' *Gronovius.*

Artabano percussus] Reponendum, *perculsus.* Rhenanus.

Ignavus ad pericula] Sic Ms. at vulgo, *ignarus.* Pichena.

Pudore proditionis omnes exsolvit] Hist. l. III. 'Donec Priscus et Alphenus, desertis castris ad Vitellium regressi, pudore proditionis cunctos exsolverent.' *Idem.*

CAP. 45. *Idem annus*] Prope eodem tempore Tiberis ita obundavit, ut per plana urbis navigatum sit. Dio. Frequens olim urbi utrumque malum, inundatio et incendium. *Muretus.*

Exsolutis domuum et insularum pretiis] Suetonius hoc factum esse ait, cum mons Cælius conflagravit, de quo dictum l. IV. *Muretus.*

Ædificationibus. Ne publice] Auctoris genius hic est ut ejusmodi orationem continuet: itaque sic potius distinguendum: *ædificationibus, ne publice.* Freinshemius.

Templum Augusto] Vide Sueton. c. 47. in Tiberio, et c. 21. Calig. qui leviter dissentit. Ille enim semiperfecta opera fuisse ait, quæ noster perfecta. *Lipsius.*

Eaque perfecta] Suetonius imperfecta relicta esse scribit. *Muretus.*

Dum dominationis apisceretur] Liber vetus *papisceretur.* Lego, *dominationis sp. apisceretur,* hoc est, *spem apisceretur.* Muretus. Suspicor legendum, *dominationem,* ut idem error fuerit, de quo monui in principio l. III. Nisi forte suspicemur, proprium fuisse Tacito, secundum casum jungere verbo, *adipisci,* ut l. III. 'ad ea arma, quis Ser. Galba rerum adeptus est,' quod certe non crediderim. Vide etiam quæ l. XII. notavi ad verba, 'dum adipiscerentur dominationes.' *Pichena.*

Commotus ingenio] Non muto *commotus* illud. Verum enim de ingenio tali. Sed ad hunc locum valde etiam apte scribi posse *commodus* quidam contendebat, quasi ad obsequium facilis. *Acidalius.*

CAP. 46. *Contumelias verterent*] Ex Man. reposui, *verterent.* Sæpissime enim a Tacito passive usurpatum id verbum, pro verterentur. Vulgo, *verteret.* Pichena.

In patientia] Legendum, *impatientia.* Muretus.

Alieni consilii indigerent] Hæc eadem Suetonius in Tib. 68. 'Quanquam a trigesimo ætatis anno arbitratu eam suo rexerit, sine adjumento consiliove medicorum.' Atqui noster non sibi constat, quippe qui paulo post sic dicat: 'Erat medicus arte insignis, nomine Charicles, non quidem regere valetudines principis solitus, consilii tamen copiam præbere.' Hancne rem oblitam Cornelio dicemus? non ausim: dicerem potius Tiberium ex pluribus, quæ sibi a Charicle præirentur, id legisse quod optimum sibi videretur: quasi nonnulla ex multis seligendo non sequeretur consilium Chariclis: 'consilii tamen copiam præbere.' *Salinerius.*

CAP. 48. *Ludibria et pericula*] Scriptus codex, *pericularia.* An *pericula varia?* Lipsius.

Quod inter ludibria et pericula anxiam] Ms. *quod inter ludibria, et pericularia anxiam:* quod sibi velit nescio. *Pichena.* Forte, *et pericula tot anxiam.* Gronovius.

Id quidem a lætantibus] Dele, *a.* Non enim vult a lætantibus decretas pœnas: sed eas pœnas lætantibus fuisse, id est, gratas in alios. Simili forma et sensu l. XV. 'Hæc atque talia plebi volenti fuere.' Quanquam hic Taciti locus alias aliter legitur, pro *volenti, volentia,* Sallustianum in morem. Sic Hist. IV. 'Multisque suspicionibus volentia plebi facturus habebatur.' Nonius in voce *volentia.* Et Tacitus nescio quoto libro histor. 'Muciano volentia scripsere.' Sed et in alterum modum sæpe Sallustius,

unde noster imitatus hic forte, et Annal. l. I. 'Ut quibusque bellum invitis, aut cupientibus erat.' *Acidalius.*

Truci eloquentia habebatur promptus adversus insontes] Incolumitati sententiæ nihil prorsus abscederet, quamquam resecarentur, *habebatur promptus.* Gruterus.

Cap. 49. *Qua quidem repudiata*] Vide quæ in Variis scribimus l. I. c. 12. et Gul. Canterum l. VI. c. 2. *Muretus.*

Quanquam genua patrum advolveretur] Dissentio de castigatione, et de interpretatione. Moveor quod mater pœnam debitam non evasit, licet patrum misericordiam captaverit: 'quanquam genua patrum advolveretur,' &c. 'urbe tamen in decem annos prohibita est.' At incestus manifesti præcipites dabantur de saxo Tarpeio. Hoc libro: 'Marius defertur incestasse filiam.' Cujus ergo est rea facinoris, edicat noster: *adsentationibus atque luxu, &c.* hoc est, erat hæc mulier sumtuosa, adsentabaturque juveni, qui luxu diffluebat: quamobrem in eas, ob æs alienum, angustias redactus est, ut omnia præ morte sibi esse post putarit. Addicebantur enim creditoribus, qui solvendo non erant. Gell. XX. 1. 'addici namque nunc et vinciri multos videmus.' A qua re sic homines abhorrebant, ut Cæsar ipse vir animi tam erecti, fere de vita desperaverit. Suet. c. 13. 'In qua reputans magnitudinem æris alieni,' &c. Nonnulli etiam Græci (ne id mirum videatur) pauperiem cicuta vitavere. Ælian. l. IV. c. 23. variar. hist. Quid Apicius elegantissimus helluonum? Is cum scire vellet quænam profudisset quæque sibi superassent, cognito sibi tantum reliqua esse ducenta et quinquaginta millia aureorum, despondit animum, et quasi fame periturus attulit sibi vim, teste Xiph. in Tib. Quamvis autem mater ista non dubie rea filii mortis esset, attamen non se deserebat, sed misericordiæ conciliandæ accidebat ad genua patrum, diuque, id est, prolixa, et continua oratione ferebat, sive dicebat: se venia saltem dignam esse ob luctum, quem parentes ex filiorum morte capiunt: maxime quod feminæ non mediocriter ut viri, sed præter modum lætentur aut doleant. Cæterum sacræ literæ docent matres acerbius quam patres lugere filiorum mortes. Psalm. XXXV. Huc usque fide Beroaldi et Picheuæ secuti sumus codices Florentinos, qui Corbeiæ inventi, et ad Leonem P. M. delati, nunc Florentiæ servantur: quorum si lectionem non usquequaque propugnavimus, nos vires non animus defecere: hinc vulgatis inhærebimus. *Salinerius.* Certe materni doloris significatio ab hac flebili oratione abesse non debebat. Forte illam τὸ *magis* tegit. Et vix est, quo id possit referri. Suspicor itaque legendum: *Luctumque communem, et matris, imbecillum tali super casu fœminarum animum, aliaque in eundem dolorem mæsta et miseranda dissereret,* vel *differret,* ut vult Lipsius, vel *diu ferret*: ut habent hactenus editiones. Nam *ferre* Latinis idem est, quod *loqui.* Unde, *ut ferunt, ferunt,* et quæ ejus generis plura alia, sicut apud alios, ita hunc leguntur. *Boxhornius.*

Aliaque in eundem dolorem mæsta] Accipiam Lipsii *differret.* Sed quid vult *in eundem dolorem?* An potius *colorem?* Sic videtur, id est, ejusdem modi, ut tacite simulata hæc omnia innuat. Cave tamen mutes. Nam sic loquitur noster l. XI. 'Et secuta sunt Claudii verba in eandem clementiam.' *Acidalius.*

Miseranda diu ferret] Emendo, *miseranda differret,* conjunctis vocibus quas diduxerant. *Lipsius.*

Cap. 50. *In villa, cui L. Lucullus*] De ea fere his verbis Plutarchus in Mario: 'Villam in Misenensi Marius amœnam et mollius exstructam pos-

sidebat, quam deceret virum militarem et tot bellorum victorem. Eam aiunt LXXV.∞. denarium emisse Corneliam, nec multo post L. Lucullum quingentis millibus denarium et ducentis. Tantum brevi luxuria crevit, et civitas invaluit in abundantes opes.' *Lipsius.*

Neque fefellit: nam Tiberius] Quo pacto incertum an offensus, si iræ profunda dissimulatio, erat genuina veraque nota, quando ille acrius irasceretur? Tac. Ann. I. 13. 'Scaurum cui implacabilius irascebatur silentio transmisit.' Non pauci huc direxissent plaustra castigationum, quos inter si nomen profiterer, non inepte (reor) sic emendassem: *haud incertum an offensus, tantoque magis iram premens:* at solitum est æquor navigandum, ut brevia prætervecti, portum teneamus: verum quam falsus animi Egnatius, qui in suis ad Sueton. Castig. credit se recepisse in bene fida statione: *nec fefellit* Tiberium, qui offensus ac eo magis iram simulans: modus iræ Tiberii conjici poterat si plus minusve incaluisset: ad hæc faciunt quæ adduximus e nostro, *Scaurum cui implacabilius.* At si nec vultu, nec verbis affectus prodidisset, quis asseverare poterat eum rem advertisse, iramque dissimulasse? quod hic evenit. Τὸ *fefellit* παθητικῶς est accipiendum, hoc sensu. Charicles tacto venarum pulsu, falsus non est Tiberium jam fini propinquare: vel studio brevitatis omittitur, *astutia,* vel aliquid simile: nimirum commentum non fefellit Chariclem: quibus hæc respondent: 'Charicles tamen labi spiritum nec ultra biduum duraturum Macroni firmavit.' At *nam* ornatus seu continuationis gratia positum est. Terent. Andr. 'Nam is postquam ex ephebis excessit Sosia Liberius vivendi fuit potestas.' Ad ultimum hæc est Cornelii mens. Tiberius (nec certum an astutiam cognovisset, eoque iram dissimulasset) integrari convivium jussit. De illis autem qui τὸ *fefellit* Tiberio attribuunt, libenter quæsierim, divini ne sint, vel si abnuunt, unde hujusmodi collegerint, quandoquidem Tiberii mores inprimis eorum interpretationes aversantur. *Salinerius.* Censeo tollendam particulam *Nam* pro supervacua. Sensus id clare demonstrat. Charicles per causam osculandi manum Cæsaream tentavit venam: nec eum decepit judicium de valetudine principis. Nam Tiberius, inquit, dubium an indignatus et numquid ea de causa magis iram celans, sed tamen jussit apparari convivium, et diutius solito accubuit. Quis non videt τὸ *nam* esse supervacuum, et turbare sensum, qui sine eo constat? Ergo putem mutandum esse τὸ *nam* in *eum,* ibique distingui, ut sit, *pulsu venarum attigit neque fefellit eum.* Supple Chariclem. Deinde: 'Tiberius incertum an offensus.' *Harlæus.* Non magis hic opus plaustris castigationum, quam plaustris nugarum, quas sæpe castigationibus opponit Salinerius. *Neque fefellit,* omnino vult intelligi *Tiberium,* non *Chariclem.* Neque latuit, inquit; neque hoc egit ita caute, ut Tiberius non sentiret dolum et arcana sua tentari. Argumentum hujus rei et Charicles et qui circa erant interpretabantur, quod tenuit hominem quasi cœna viatica prosecuturus, et apparatis epulis secum discumbere jussit, et solito longius in triclinio duravit, ut eum ambiguum redderet, seseque firmiorem probaret, quam fortassis arteria promisisset. Quidam gnari morum ejus, et quantopere nollet intima sua nosci, etiam graviter offensum dicebant, et ut hoc quoque dissimularet, magis benignitatem et amici honorem fingere. Hinc apparet vis et necessitas particulæ, neque ad divinos eundum. *Gronovius.*

Decimo septimo Calendas April.]

Haud dubie, *Septimodecimo*, ut malebant antiqui. Neque aliter apud Suetonium scribendum et pronuntiandum c. 73. *Gronovius.*

Mortalitatem explevisse] Omnino. Itaque acutissime Seneca Consol. ad Polyb. c. 31. blandiens Claudio: 'Dii illum Deæque terris commodent: acta hic Divi Augusti æquet, et annos vincat; ac quamdiu mortalis erit, nihil ex domo sua mortale esse sentiat.' Quem tamen locum nuper optimus Criticorum, ausus interpolare ex Mss. suis; me nolente: nam etiamsi Cæsar Senecæ præsens numen; haud ita tamen est, ut nihil habeat in corpore, obnoxium fato. Consulatur Ovid. Met. XIV. 600. ubi meminit Æneæ; item 804. ubi Romuli, sed et Met. l. XV. introducitur ab eodem poëta Venus animam Cæsaris Julii rapiens, *cæso de corpore.* Verum hæc alterius sunt loci: itaque manum abstineo. Interea adeat lector Ciceronis libros de Scipionis somnio; et videbit generi humano veluti commodatos; non redire tamen, unde venerunt, nisi animæ exuvias posuerint igne illo rogi supremo. *Gruterus.*

Tiberius finivit] Plinius vixisse illum ait annos septuaginta octo, menses quatuor. Dio septuaginta septem annos, quatuor menses, et novem dies. *Muretus.*

CAP. 51. *Mater in Liviam*] * in medium relinquo. Hæ sunt ad priores quinque Annalium Cornelii libros scriptæ notæ: respersæ emendationibus, magis ex opinione et conjectura, quam ex fide librorum, quos manuscriptos nobis legendi facultas fuerit. Neque opinor exemplar, quocum excusi libri conferri possint, alibi quam Florentiæ extare: quod alter ex Medicæis Pontificibus maximis bibliothecam dedicaturus, ex urbe transferri curavit, cum illud prius in cænobio Corbejensi repertum e Saxonia Quæstor quidam Pontificius Romam ad Leonem X. detulisset. Exinde in patria Æmilius Ferrettus archetypum illum relegit, cujus ad instar libri omnes impressi sunt. Neque vero mihi Florentia transeunti, visis quibusdam Pandectarum locis in Laurentii basilica, amplius quicquam per otium videre licuit. *Vertranius.*

Egregium vita famaque] Verba hæc, *egregium, occultum, subdolum,* ad quid referantur non video. Si ad vocem *tempora*, nescio an apte dicatur, occultum ac subdolum tempus. Quid si intelligas, *egit*, ut Venturius monuit? Ego dubito an sit legendum *egregius*, et deinde *occultus, ac subdolus.* Pichena. Quo respiciunt accusandi illi casus, *egregium, occultum, subdolum?* Non hercle habent, cum quo jungantur: ut habeant, scribam, dandi flexu, *egregio, occulto, subdolo.* Acid. At commode atque eleganter illa referri ad τὸ *tempus* docuimus Observationum I. 2. *Gronovius.*

Intestabilis sævitia] Muretus *inde stabilis sævitia.* Vix abest quin vere: tum vagum inter bona malaque fuisse vult, mox in sævitia stabilem et firmum. *Acidalius.* Adde l. V. c. 3. Sed cave vel sic vel quidquam mutes: nam *intestabilis* detestabilis. *Gronovius.*

ANNALIUM LIB. XI.

CAP. 1. *Nam Valer. Asiaticum*] Apparet hunc librum esse ἀκέφαλον. *Rhenanus.* Cum Romam veni, in bibliotheca Palatina, ab undecimo An-

nalium Cornelii libro, Ms. unum et alterum nactus exemplar, utrunque relegi, aliquotque diebus otiose tractavi, et quæ e rep. literaria fore credidi, suis locis ad libros sequentes accommodavi. In utroque sane chirographo acephalos liber hic est; ejusdemque auctoris de moribus Germanorum et de oratoribus libelli desiderantur. *Vertranius.*

A Lucullo cœptos] Manuscriptus habet in margine, *emptos* quibusdam magis placere. *Vertranius.* Florentinus codex habet, *cœptos;* non, *emptos*, ut editi, et Mss. alii, quos Lipsius vidit. *Pichena.* Quomodo a Lucullo emerit, ' illo qui nondum tempore natus erat?' Reducenda lectio vulgatior, *Lucullo cœptos;* cum ita quoque conspiciatur in Medicæo, quem Curtius Pichena, in Covarruviano, quem Andreas Schottus contulere; uterque amicus non e multis mihi et Musis. *Gruterus.*

Extollebat] Scripsimus, *excolebat*, quemadmodum et editio vetus habet, ab exemplari manu descripto dissentiens. *Rhenanus.*

Auri vim atque opes] In vulgatis est, *Caveri vim:* et turbant in restituendo loco Rhenanus et Maurus. Mihi veræ lectionis auctor Farnesianus liber in quo *cauri. e.* littera superius adpicta: et historia ipsa, quoniam auri vis Asiatico caussa necis. Dio: Ὁ δ' Ἀσιατικὸς ἀφῆκε τὴν ἀρχὴν ὑπ' αὐτοῦ τοῦ πλούτου, ὑφ' οὗπερ καὶ ἀπέθανεν: et si otium est, adde reliqua, &c.* contineretur.' Quod Vertranius interpunctione juvari locum existimat, *per speciem b. moneret, Claudium caveret, vim atque opes:* quasi Sosibius Asiaticum monuisset, non Claudium: clare sequentia aspernantur. Denique quid hoc sit, vim esse principibus infensam? quasi non cuivis etiam e plebe. Nam omnis certe vis, omnibus mala. *Lipsius.*

Caveri vim atque opes] Codex Budensis hic notatus erat, ut alias compluribus locis rasus; præsertim hoc XI. lib. quem conatus fuit quidam ex vulgatis editionibus castigare. Sed tamen ejus voluminis prior lectio sic habebat, *caveri indeque opes, &c.* Legerim ego, *Cavendas opes.* Rhenanus. Alias, *Caveret vim.* Ferrettus. Vexavit ingenium Beati diverse scriptus hic locus. Equidem in iis, quæ a superioribus pendent, etsi sine illis constare liquido nihil possit; sic tamen locum interpunctum in plano ponere mihi videor, *moneret Claudium caveri, vim atque, &c.* id est, a Claudio caveret sibi Valer. Asiaticus reus cum Poppæa a Suillio delatus. *Vertranius.* Hæc sic resolvuntur; monuit Claudium ut caveret, *vim atque opes;* quibus Asiaticus fretus erat, *principibus infensas.* Alibi, ' orabantque caveri insidias mulieris semper atrocis:' τὸ *vis* non quæ infertur, ut opinatus est eruditissimus vir, sed ea de qua noster Ann. II. haud minus magnifica: ' quam nunc vi Parthorum aut potentia Romana jubentur.' Verissima gnome, quæ ab his non infirmatur Aristotelis l. IV. Politic. οἱ μὲν ἐν ὑπεροχαῖς, &c. ubi ἰσχύος καὶ πλούτου Latine melius verti non possunt quam *vis et opum.* Salinerius. Ne quis de Lipsii emendatione ambigat, testor in Flor. legi *Auri vim atque opes.* Pichena.

Non extimuisse in concione pop. R. fateri] In libro regis Corvini, quem ex Budensi bibliotheca dono Jacobi Spigelii nactus sum, neque erat *in concione*, sed tantum *concionem*, neque verbum *fateri* illic comperi. Itaque suspicor sinceriorem lectionem esse, *non extimuisse concionem populi Rom. gloriamque facinoris ultro petere.* Rhenanus. * finem fecerunt.' Hæc Dionis sunt extrema libro LIX. quibus, alioqui subobscurus, hic locus illuminatur. Sed quoniam ita respondens Asiaticus de nece C. Cæsaris nihil confessus est, probo maloque scriptionem, quæ in Matthiæ Corvini Pan-

noniæ regis codice ita habuit, *non extimuisse concionem populi Romani gloriamque, &c.* Vertranius. Asiaticus non fassus est, sed solum dixit. Xiph. in Calig. εἴθε ἐγὼ αὐτὸν ἀπεκτόνειν· i. *utinam ego eum occidissem.* Nihilominus absurdum non est, si dicamus per hæc verba Asiaticum quodam modo fassum, et insuper gloriam petiisse, præsertim cum oratione ageretur apud Claudium, qui absurdioribus adhibebat suam credulitatem. Suet. c. 29. 'nam illud omnem fidem excesserit,' &c. τὸ *ultro*, id est, *insuper*. Plaut. Amph. 'Quoniam herus quod imperavit, neglexisti persequi: Nunc venis etiam ultro irrisum dominum.' *Salinerius.* Flor. et plerique alii veteres habent verbum, *fateri*, atque in nonnullis etiam legitur, *in concione*, optimo sensu. Ideo textum restitui, olim a Rhenano sic imminutum: *non extimuisse concionem pop. R. gloriamque.* Pichena.

Dedita] Sic scriptum in utroque. Gabriel tamen Faërnus mavult scribi *didita*, pro sparsa, a verbo *dido*, quo Lucretius et Horatius utuntur. Ego nihil mutandum censeo, mihique Augerius Ferrerius, illi Dionysius Lambinus assentitur. *Vertranius.* Faërnus optima conjectura legebat, *didita:* quo verbo utitur sæpe Lucretius, cujus, si recte memini, est illud, *per terras didita fama.* Ursinus. Verbum, *didita*, a Lipsio repositum, Florentini auctoritate confirmo. *Pichena.* Tolle apices a fine vocum *dedita fama*, ut casu nominandi accipias, non auferendi. *Acidalius.* Fallit et fallitur. *Gronovius.*

Promptum haberet] Alter Vatic. *propretii haberet.* Nihil elicio, quod anteferam vulgatæ. *Lipsius.*

Cap. 2. *Suilio corruptionem militum*] Ex Florentino sic scripsi, ac deinde, *objectante:* nam minus recte in vulgatis, *Suilius:* et *objectare.* Pichena.

In omni flagitio] Malim, *in omne flagitium.* Rhenanus. Tolerari posset lectio publicata, abjecta præpositiuncula *in:* aliud enim est, *obstringi in omne flagitium;* aliud *obstringi flagitio omni.* Gruterus.

Postremum] Usurpat adverbialiter; ut l. I. 'perniciem aliis, ac postremum sibi invenere.' *Rhenanus.*

Victo silentio] Veteres, *indicto:* recte, ut prorupisse ad loquendum intellegamus, etsi silentium ante jussum. *Lipsius.*

Victo silentio] Par erat ut Asiaticus crimina dilueret, ubi accusator perorasset: verum ita excanduit ad Pathici nomen ut obloqui præmature coactus sit: itaque silentium vicit: quo fere significatu posteriora prolata sunt. Curt. l. III. 'videtis ne obstinatum ad tacendum? (inquit) num genu posuit? num supplicem vocem misit? vincam tamen silentium, et si nihil aliud, certe gemitu interpellabo.' *Salinerius.* Verbum, *victo*, a Floren. confirmatur: longe melius, quam *indicto.* Reis enim silentium nunquam indicebatur, licebatque accusationibus respondere. Supra dixit, 'intra cubiculum auditur:' ac paulo post, 'ingressusque defensionem.' Videtur sensus: Asiaticum, dum Suilius verba faceret, tacuisse; cum vero mollitiam corporis sibi objectari audiret, silentium vicisse. *Pichena.* Nescio quomodo, *indicto silentio*, minus huc quadret: quare retinuerim *victo;* ut hactenus tacuerit Asiaticus, et nunc demum proruperit in vocem. Codex Hispanus et Florentinus stant pro vulgata. *Gruterus.* Mss. disertim habent, *indicto silentio.* Quod non intellectum in, *victo silentio*, est mutatum. Hoc quidem commodum sensum, sed eo, quem vult Tacitus, minorem habet. Lipsius igitur probat, *indicto*, sed contra mentem Taciti interpretatur. Ut prorupisse, inquit, ad loquendum intelligamus, etsi silentium ante jussum. Atqui hoc falsum est. Paulo namque ante dixit Tacitus, 'Vinclis-

que inditis, [Asiaticus nimirum,] in urbem raptus, neque data Senatus copia, intra cubiculum principis auditur.' Qui auditur, sive vocatus est ut audiatur, ei silentium non est indictum. Amicus noster, vir in his literis egregie versatus, ex, *indicto*, faciebat, *inciso silentio*, id est, interpellato. Sed, quod sciam, nunquam sic loquitur Tacitus. Et, quod ei probe cognitum est, genius auctoris et dicendi modus hic primas faciunt. Rectum est, *indicto silentio*. Id reus Asiaticus accusatori indicit, animi vir maximi; et tunc inprimis commoti, quod et sequentia ostendunt. Nisi potius velis a Claudio et Messalina, post hæc dicta, accusatori silentium indictum, tanquam ista sufficerent. *Boxhornius*. Quia codd. optimos auctores habet τὸ *victo*, quid moramur alterum, quod utcumque versabis, nihil ex eo sani exsculpes? Nec placet tamen, quod Salinerius et Pichena scribunt Asiaticum *vicisse silentium*. Qui enim ἀποκαρτερεῖ, nec se continet diutius, is vincitur, non vincit. Itaque silentium ejus victum est ab impudentia Suilii. *Victo silentio* est victa patientia. *Gronov.*

Functum fato responderet] Malo, *respondere*. Nec scripsit aliter Tacitus. *Acidalius*.

CAP. 3. *Sed consultanti super absolutione*] Faërnus legebat, *consultantes*. Ursinus. Confusa hæc, et interpolata a mala et imperita manu Lipsius clamat, ut pæne totum librum. Vere. Nos tamen ista non male sic ordinabimus, ut structura orationis æquabiliter decurrat, et sententia nihil offendat. Lege: *Sed consultanti super absolutione Asiatici, flens Vitellius commemorat vetustatem amicitiæ, &c. quæque alia conciliandæ misericordiæ videbantur, secuta sunt Claudii verba, in eandem clementiam: et liberum ei mortis arbitrium permisit*. Vixque est, ut aliter Tacitus. De libero mortis arbitrio Curt. l. IV. 'Alii foribus ædium obseratis occupant liberum mortis arbitrium.' *Acidalius*.

Liberum ei] Satis confuse ista, ut pleraque omnia hoc libro: quem scio interpolatum a mala et imperita manu. Sententia tamen hæc ex Dione: ut subornatus Vitellius, quasi Valerii nomine culpam agnoscentis, peteret mortis arbitrium: idque a Claudio concessum. *Lipsius*.

Et mortis arbitrium] Id est, Vitellius curavit ut a Claudio permitteretur. Ad quam faciem dicta sunt: 'principes Musulamorum defectionem cœptantes securi percutit:' quo uno tantum hinc expedire te potes, ubi mihi animadvertas oro dolosam Vitellii pietatem: qui petendo specie miserationis levius genus mortis Asiatico, non modo imposuisset Claudio, qui lapis erat, sed os cuivis callidiorum sublevisset. *Salinerius*. Interpres est, qui mavult *super supplicio*, quam *super absolutione:* neque enim se capere, quo colore Vitellius potuerit effundere lacrimas ob novissimum amici casum et mortem ejus decernere, si princeps ostendisset se ad mitiora inclinare. Non legerat aut intellexerat parum, quæ præclare hic Mercerus. Et miror ipsum Lipsium admonendum fuisse. Tacitus enim suavissimo lepore, &c.* *Gronov.*

Hortantibus dehinc quibusdam] Excidit vocula, puto: scribendumque *quibusdam ad inediam:* si non imposuit olim mihi Orbilius meus. *Lipsius*.

Hortantibus deinde quibusdam inediam] Nihil opus addita vocula *ad*. Sæpius enim præpositio neglecta optimis auctoribus, in quos nihil juris Orbilio; imo ne Grammaticis quidem. *Gruter*. Qui tam laxe omnia donat, nihil donat; aut valde turbat minus exercitos, quasi nihil non liceat. Aliter igitur agendum dicendumque et Orbilio et Grammaticis minime intercedentibus, neque in contrarium sibi jus aliquod prætendentibus, veteres dixisse et *hortari aliquem* et *hor-*

tari ad aliquid et *hortari aliquid:* quod si quis negavit, qui Orbilii personam Grammaticive gereret, non negavit ut Orbilius aut Grammaticus, sed ut peccans Orbilius aut Grammaticus. Dedimus auctoritates ex Attio, Ovidio, Justino vel Trogo, Seneca, Statio ad duos horum postremum nominatos. Accedat Gellius XIII. 22. 'Hæc mera veritas Tusculani hominis plus, hercle, promovet ad exhortandam parsimoniam sustinendamque inopiam, quam Græcæ præstigiæ.' Accedat, ut etiam defendatur, Vegetius lib. primi cap. 28. sic proscribens: 'De adhortatione rei militaris Romanæque virtutis.' Lemma ridiculum, inquit P. Scriverius: adhortatur auctor ad rem militarem Romanamque virtutem; non Virtus aut Militia ipsa loquitur: quare scribe, *ad rem militarem Romanamque virtutem.* At, o bone, qui adhortatur ad rem militarem Romanamque virtutem, is juxta commode, et exquisitius etiam, dicitur *adhortari rem militarem Romanamque virtutem*, aut facere vel scribere *hortationem rei militaris et Romanæ virtutis.* Quid ipso de Cicerone dicam? lib. VII. ad Atticum epist. 14. 'Pacem quidem hortari non desino.' Sic certe lectum olim: et sic in Ms. est Helmæstadiensi. Quare vellem, quibus Mss. plurium copia fuit, non tam negligentes transiisse hunc locum, et verbo attigisse, qua fiducia subjecerint: *Equidem ad pacem hortari non desino.* Nam et sic ad Atticum VII. 2. 'partes istius officii sunt pueri Ciceronis sive jam adolescentis; quod quidem illum soleo hortari.' Et ad Q. fratrem I. 1. 'Sed quid ego te hortor, quæ tu facere potes tua sponte?' *Gronov.*

Et usurpatis quibus insueverat] Ex veteribus libris restitui copulam *et.* Pichena.

Quam quod fraude muliebri, et impudico Vitellii ore caderet] Rotundior longe meo judicio, ordo orationis, si recisis *quod* et *caderet*, scriberemus; *quam fraude muliebri, et impudico Vitellii ore.* Gruterus. De particula subscribo: et vitium est, quale apud Livium XXVIII. 43. curavimus: verbum facile tolero. *Gronov.*

CAP. 4. *Pergitque Suilius addere reos*] Videtur legendum *agere reos:* nisi verbum *addere* Tacitus ex antiquo aliquo sumpsit Scriptore. *Ursin.* Muretus voluit *agere.* Acidal. Neque corrigendum est, neque hoc magis ex antiquo auctore sumptum quam ex quotidiana Romani oris consuetudine, nobis ex sat certis auctorum locis observanda, qua *addere* est augere, vel alios aliis addere. Infra hoc libro: 'Ac novas literarum formas addidit,' id est, Invenit et prioribus addidit. Lib. I. 'Idem annus novas cærimonias accepit addito sodalium Augustalium sacerdotio:' i. instituto et addito iis, quæ antiquitus habebantur. Tale Plinii XXII. 7. 'Addidere vivendi pretia deliciæ.' Quod etiam non cepere, ut ibi docemus. Sic igitur *addere reos* est alios corripere et Poppææ atque Asiatico addere. *Gronov.*

Equites Romanos illustres] Qui sunt Equites illustres? Neque enim temerarium est certe, quod totiens is titulus repetitus. Ut Ann. l. IV. 'Eques Romanus ex illustribus Curtius Atticus.' Lib. VI. 'Pater quoque illustris eques Romanus ac frater Prætorius.' Lib. XV. 'Die pacta Tiberius Alexander illustris eques Romanus, minister bello datus.' Hoc ipso libro: 'Eadem constantia et illustres equites Rom. cupidos maturæ necis fecit.' Suspicor ego sic dictos, &c. * redirent ad equestrem. Verba sunt Dionis lib. LIV. Τὴν δὲ δημαρχίαν ὀλίγων σφόδρα αἰτούντων, ἐνομοθέτησεν, ἐκ τῶν ἱππέων τῶν μὴ ἔλαττον πέντε καὶ εἴκοσι μυριάδας κεκτημένων προβάλλεσθαι τοὺς ἐν ταῖς ἀρχαῖς ἕνα ἕκαστον, κἀκ τούτων τὸ πλῆθος τοὺς ἐνδέοντας αἱρεῖσθαι· εἰ, μὲν καὶ βουλεύειν μετὰ τοῦτο ἐθέλοιεν, εἰ

δὲ μὴ, ἐς τὴν ἱππάδα αὖθις ἐπανιέναι ἐξεῖναι. Qui ergo in hoc seminario Senatus equites, dicti illustres. Reperio et insignes, ut hoc libro: 'Samius insignis eques Romanus.' Item *splendidos*, ut Plin. Epist. l. VI. 'Passienus Paulus splendidus eques Rom.' et alibi idem: 'Scribis Robustum splendidum equitem Rom.' Et Cicero ipse non semel in Verrem. Sed hi duo tituli infra illum non dubie: et a fama ducti, opibusque. Alii ab istis Illustres sunt, qui in Codice Justinianæo, et Cassiodoro. *Lipsius.*

At causa necis ex eo] Malim deleri illud *At*, vel certe scribi *Et*. Non enim alias recte consequatur postea, 'Verum nocturnæ quietis species,' &c. *Acidal.* Flor. *Ac causa necis ex eo.* Pichena. Edd. vett. non agnoscunt illa *ex eo:* et possunt sane abesse, nullo auctoris incommodo. *Gruterus.*

Valerii et Poppeæ congressibus] In volumine Budensi scriptum est; *in Nestoris et Poppeæ congr.* Hinc reposui; *Quod domum suam M. Nestoris et Poppeæ congressibus præbuissent.* Histrio fuit M. Nestor, intimus Messallinæ, cujus sæpe ministerio abusa est. Proinde trucidata Messallina, inter eos qui illius sævitiæ ac libidini inservierant M. Nestor quoque est interfectus. Id quod in hujus libri fine commemorat Tacitus, quanquam in vulgatis editionibus eo loco *Mnester* legitur pro *M. Nestor*, cujus Seneca mentionem facit in ludicro libello de morte Claudii Cæsaris, quem nos olim Scholiis exposuimus, pro *noster Pantomimus, Nestor Pantomimus* reponentes. Eum locum infra citabimus. *Rhenanus.*

Spicea corona evinctum] Quæ Cereris propria, et sacerdotum item Arvalium, ut Plinius notat l. XVIII. c. 2. Corona ea, alias non infelix, omen triste habuit quod spicis esset retro conversis: sicut quod ante pugnam in Philippis, corona inversa Cassio imposita. *Lipsius.*

Gravitatem annonæ dixisset] Vel *prædixisset*, vel *significari dixisset.* Rhenanus. Nisi verbum *gravitatem* Tacitus ex antiquo sumpsit Scriptore, libentius legerem, *caritatem:* nam *caritatem annonæ* usurpavit Cicero et alii etiam scriptores. *Ursinus.* Muretus *caritatem.* Male lib. VI. fuit, 'gravitate annonæ juxta seditionem ventum.' *Acidal.*

Vergente autumno] Farnes. *vertente.* Lipsius.

De admissis Poppææ sentiam] Flor. corrupte: *de admissis Poppææ assen essentiam.* Alii duo Mss. in eadem bibliotheca Medicæa non adeo veteres, *assentiam.* Talia mendosa loca non pigebit aliquando adscribere, ut alii cogitent. *Pichena.*

CAP. 5. *Magistratuum munia*] Farnes. *nece*, refert, pro, *munia.* Deleo vero utrumque, ut glossema: scriboque, *cuncta legum et magistratuum in se trahens.* Lipsius.

CCCC. *nummorum millibus*] Hæc summa nostro ære decem millibus ducatorum valet, quandoquidem illud constat, mille nummis sestertium argenti æstimati, esse autem sestertium libras duas et semissem, hoc est, uncias argenti XXX. quæ plus minus XXXV. nostros coronatos æquant pretio. *Alciatus.*

Legem Titiam flagitant] Hac lege tenebantur advocati, qui mercenariam clientibus operam præstabant. Invehitur Ausonius in mollitiem Jurisconsulti, eumque deridet, quod *legem Titiam non metueret;* quod enim indoctus erat nihil lucrabatur. *Alciatus.* Idem quod de *Titia* hic, de *Cincia* Cornelius l. XIII. scripsit, et consimiles observatos locos de Jctorum historia, in Julio Paullo retuli. Aliis autem ex suspicione visum est, pro *Titia*, legem *Cincia* legi hoc loco debere: quibus lubens subscripserim, cum uterque liber Palatinus ita scriptum habeat. Vetus tamen lectio, et

quidem a doctis, vulgo ab aliis retinetur, ob D. Ausonii Epigramma 91. 'Jurisconsulto, cui vivit adultera conjux, Papia lex placuit, Julia displicuit. Quæritis unde hæc sit distantia? semivir ipse Scantiniam metuens, non metuit Titiam.' Verum aliter multo quam alii exponant, versus illos interpretor: quis lepidius, ingeniosi judicabunt. Sensus autem est: JCtus legis Papiæ præmia tributa maritis consecuturus, uxorem duxit: quacum vivens, in sponsionem cum altero de ejus pudicitia venit, exindeque uxoris adulteria rescivit: sic ei, qui nihil antea mali suspicabatur, placuerat lex Papia: dein displicuit lex Julia de adulteriis coërcendis, ex qua dimittere uxorem coactus est. Fuit autem in placitis ita varius, qui muliebria passus in prostitutos metuens legem Scantiniam, dum petitos mares quam fœminas et alios eidem, cui ipse est, libidini mancipatos omnes credit, juris scilicet legumque peritus non metuit legem Titiam, id est, ausus est de turpitudine propria, uxorisque detegenda, non virtutis causa, sponsionem facere, quod lex Titia et Cornelia vetuit, apud Martianum lib. v. Regularum. D. de aleatoribus. Quæ si aliis tam vera quam mihi verosimilis interpretatio videtur, jam de legum albo et ex hoc loco, supposita pro *Cincia* de muneribus, *Titia* lex eradenda est. *Vertran.*

CAP. 6. *Ne fidem quidem integram manere*] Quum conjunctio *quidem* non sit in exemplari scripto, maluimus legere, *Nec fidem integram manere.* Nam hanc particulam etiam in sequentibus sæpe reperi infultam a castigatoribus. *Rhenanus.* Editio Veneta non infimæ notæ præferebat *ne fidem quidem;* efficacius quam alii *nec fidem.* Freinshem. Quum Rhenani lectionem, e Budensi proditam, neque ex Vaticanis Vertranius et Lipsius, neque ex Florentinis Pichena sollicitarint, verosimile est eos codices istam adfirmasse. Illa autem non infimæ notæ editio non magis quam Frobeniana an. 1519. quam Aldina 1534. et omnes quæ præcesserunt Rhenani recensionem, habent et hanc et alias audaciæ primitus edentium notas: quos eadem, opinor, efficaciæ objecta inanis species a veteri scriptura discedere compulit. *Nec fidem* est quod alii exprimerent, *Sed nec fidem*, vel, *Nec vero fidem.* Gronov.

Quod si in nullius mercedem negotia tueantur] Facile credo esse hic aliquid scabri. Lipsianæ ad marginem ostendunt in Mss. esse *negotiantur.* Forte: *Quod si in nullius mercedem negotia eant, pauciora fore.* Sic l. III. 'qui neque servatus in periculum reipublicæ, neque interfectus in exemplum ibit.' Lib. XIV. 'Itur in principis laudes.' *Gronov.*

Meminissent C. Asinii] Omisi verba, quæ non repperi in libris scriptis, aliunde inculcata. *Lipsius.*

Ad summa provectorum] Codex Budensis habet, *ad summa provectos;* et est non absurda lectio, si quis recte distinguat, nempe hoc modo: *Meminissent T. Galbæ, C. Asinii, et Messallæ, ac recentiorum Arruntii et Esernini. Ad summa provectos, incorrupta vita et facundia.* Subauditur verbum, *esse:* nam illud, *ad summa provectorum,* plane durius est. *Rhenanus.* Hic quoque Venetum sequimur, *provectorum:* alii, *provectos.* Freinshem. Videtur quidem rotundiorem facere periodum τὸ *provectorum:* et ideo sic ausi corrigere, qui primas editiones curaverunt. Sed neque spernendum est, quod constare membranis clamat mihi silentium eorum, quibus harum copia fuit. Livium imitatus dixisset: *Quos ad summa provectos.* Id pronomen omissum brevitatem Taciti haudquaquam dedecet. *Gronov.*

Et postquam annuit tacens] Veteres, *tacere.* Lego, *postquam annuit, agere incipiunt.* Lipsius.

Postquam annuit tacere] Hic surrepsit *tacens* sive *agere*. Mihi autem *tacere* placet: transitque in vim nominis, ut *vivere*. Salinerius. Flor. lectio: *postquam annuit, tacere incipiunt:* ac supra, alia manu, sed antiqua, scriptum est, *agere*. Pichena. In quibusdam pro *tacens* est *tacere*, ex quo formem *jacere*. Sic: *postquam annuit, jacere* (hoc est serere, disserere, proloqui non continua oratione, sed velut interjungentes) *incipiunt*. Freinshem. Posses hæc accipere de ea facundia, quam mutam vocat Cassiodorus: de qua illud Ovidii: 'Sæpe tacens vultum, verbaque vultus habet:' quæ et gestibus peragitur. Sed cum in Mss. sit *tacere*, lege *Postquam annuit placere*, scilicet, ut loquerentur, *incipiunt*. Boxhorn.

CAP. 7. *Quem ullum tanta superbia esse*] Codex Budensis habet; *Quem illum tanta superbiæ esse*. Rhenanus. Etiamnum prætulimus Venetam lectionem, *quem ullum;* communi, *quem illum*. Freinshem.

Quis se alienis negotiis intendat] Bene *intendat:* etiam omisso *se*. Quid tamen si, illo retento, pro hoc legas *impendat?* Acidal.

Nisi cujus fructus ante prævidetur] In cod. Budensi manifeste legitur, *providerit*. Et quid erat opus hoc mutare? Subauditur autem *quisquam* aut *ipse*. Rhenan. Malim, *fructum:* at verbum, *præviderit*, reposui ex Flor. Vulgo, *providerit*. Pichena.

Qui a republica] Quidam scripti, *qui et a:* ex quo Pichena, *quieta rep.* et mox deinde, *petere*. Assentior. *Lipsius*.

Quieta Rep. nulla nisi pacis emolumenta petere] Hanc lectionem ex Flor. elicui, in quo legitur: *qui et a Rep.* unde vulgo, *qui a Rep.* Optimo ergo sensu respondent verba, *quieta Rep.* ad superiora, *bellorum præmiis refertos*. Nos (inquit) modici senatores, quibus in hac imperii pace bellorum præmia non possunt contingere, satis habebimus, si pacis emolumenta, id est, eloquentiæ fructus, nobis relinquatur. *Pichena*.

Cogitare plebem] Displicent quæ scripsi olim, et induco. Vett. *cogitaret*. Scribo, *cogitare et plebem, qua toga enitesceret:* id est, Etiam quemvis e plebe occupatum esse, ut emergeret se, et nitidiore toga uti posset. Sed revera (iterabo hunc animi mei sensum) et narrationes et orationes istæ, turbatæ, concisæ. Confer, sodes, hunc XI. librum, cum uno quovis e primoribus: jurabis elapsum eum imperitorum manibus, velut e pugna aliqua Cannensi. *Lipsius*.

Cogitaret plebem qua toga enitesceret] Diu cum hoc loco sumus luctati, nihil nos adjuvante codice scripto. Deprehendimus tandem pro *cogitaret* legendum *cogitare*, et *qua* non pronomen hic esse, sed adverbium pro *quatenus*. Itaque circumflexum accentum super imposuimus, ne se lector hic torqueat. *Cogitare plebem, qua toga enitesceret*. Sensus est, cogitare plebeios, quo pacto sese altioribus ordinibus inserant, atque in senatum allegantur. *Rhenan*. Valeant emendationes: hæc reddunt optimum sensum. Suilius et Cossutianus (inter multa, quæ jaciebant, ne pretium aboleretur patronis causarum) hæc inserunt, opus esse pecunia, qua ipsi decoris vestibus instruerentur: quod eo tempore plebs ludos faceret oratores pannis obsitos, quippe quæ inania tantum probaret. Juven. Sat. VII. 'Et tamen hoc ipsis est utile, purpura vendit Causidicum, vendunt amethystina: convenit illis, Et strepitu, et facie majoris vivere census.' Hæc Satirographus: quæ tamen ipse ferre vix potest: 'Cum tu multitia sumas, Cretice, et hanc vestem populo mirante perores, En habitum, quo te leges ac jura ferentem.' Nec antea Demostheni condonata sunt: illi vitio data κομψὴ χλαινίς: et μαλακοὶ χιτωνίσκοι, i. *vestis elegans, molles tuni-*

culæ. Gell. I. 15. *Saliner*. Videtur sensus: Etiam plebs cogitat, quomodo per togam, id est per eloquentiæ studia, possit ad facultates et dignitates pervenire. At Flor. habet, *cogitaret*, ut forte velit, ipsum Principem ad plebeios etiam animum advertere, qua ratione valeant emergere, togaque clarescere. Nulla enim iis alia spes reliqua, si studiorum pretia tollantur. Quid si pro *qua*, legas *quæ*, ut de parte illa plebis intelligat, quæ aliquando honores adipiscebatur, non etiam de infima? *Pichena*.

Etiam studia peritura. Ut minus decora hæc, ita] Hactenus editi, *etiam studia peritura ut minus decora. Hæc ita:* quæ lectio cum meo suasu mutata sit, ad causas mutationis indicandas obligatum esse me sentio. Primo itaque nego commodum habuisse sensum: quid enim studia *minus decora* videbuntur, si pretia tollas? immo hercle si hæc magis respicias, haud facile atrociorem iis injuriam inferas: quæ et Ulpianus eleganter monet l. I. § 1. de extraord. cognit. 'pretio nummario non esse dehonestanda.' Unde et Themistius invehitur in eos, qui mercede docent, sophisticum id esse dicens, in Oratione 4. Posteriora autem verba: 'Ut minus decora hæc, ita,' &c. conjungenda esse duxi particulis *ut, ita*, hoc volentibus, quæ sibi sic opponi solent: quemadmodum *etsi* vel *quidem* et *tamen*. Est ergo sensus: Hæc quidem ut pro sordido lucro dicta, non satis esse decora reipub. sed tamen adesse dicentibus rationes, propter quas non omnino repudiari debeant. Hæc ergo particularum istarum sic oppositarum vis est: quarum usus apud nostrum frequentissimus, ut H. III. 56. 'Ut terrorem Italiæ, &c. ita haud dubium.' H. I. 7. 'Ut avaritia et libidine fœdum et maculosum, ita cogitatione rerum novarum abstinuisse.' H. II. 50. 'Ut potior utroque Vespasianus, ita bellum horrebant.' H. III. 29. 'Ut ad præsens disjecit obruitque quos inciderat; ita pinnas ac summa valli ruina sua traxit.' H. II. 37. 'Ut concesserim, &c. itaque neque Paullinum,' &c. XIV. 45. 'Ut nemo unus contra ire ausus est, ita dissonæ voces respondebant.' XVI. 7. 'Ut palam tristem, ita recordantibus lætam.' XIV. 24. 'Ut nullis ex prælio damnis, ita per inopiam et labores fatiscebant.' XV. 16. 'Ut augendæ infamiæ composita, sic reliqua non in obscuro habentur:' nisi forte eo loco pro *sic* legendum est *sint*. Quapropter ita quoque scribendum arbitrer H. I. 52. 'Vitellius ut apud severos humilis, ita comitatem vocabant,' &c. et apud Liv. XLI. 20. 'Rhodiis ut nil unum indigne, ita omnis generis dona dedit.' *Freinshem*.

Usque ad dena sestertia] JCti tradunt licere advocato in singulas causas pro honorario centum aureos accipere. Hanc summam eamdem cum HS. X. arbitror, cum centeni nummi aureo pensentur, et *decem sestertia* decem millibus nummorum sestertiorum valeant: qua æstimatione consequens est æstimari aureum antiquum undecim libris, assibus quinque nostris, hoc est, duobus ducatis coronatis cum dimidio. *Alciatus*. Vide ad hunc locum quæ scripsimus Pecuniæ Veteris II. 5. *Gronov*.

Quem egressi] Vulgo *quæ egressi;* nec male, ut ad sestertia referatur. Potior tamen mihi Floren. lectio, *quem*, id est, quem modum. Sic lib. XIII. in princ. 'Pallas tristi arrogantia modum liberti egressus.' *Pichena*.

CAP. 8. *Conjugique ac filio ejus præparaverat, unde metus ejus, &c.*] Malim deleri posterius *ejus*. Muretus etiam *properaverat* scribit. *Acidal*. Nihil certius mihi quam Tacitum scripsisse *properarerat*, quod et Mureto visum. Ut l. II. 'petiturum se vitam quamvis nocenti, nisi voluntariam mortem properavisset.' L. I. Cod. de his qui par. 'Si quis parentis aut filii aut

omnino adfectionis ejus, quæ nuncupatione parricidii continetur, fata properaverit.' Virgilius Æneid. IX. 'an sese medios moriturus in hostes Inferat, et pulcram properet per vulnera mortem.' Vulgatum vix Latinum est, neque elegantius *paraverit*. Gronov.

Gotarzem perturbat] Castigavimus, *proturbat*. Rhenanus.

Proximas præfecturas corripiat] Varia hujusce dictionis est significatio. Agennius Urbicus libro de controversiis agrorum, 'præfecturas eos agros' dici auctor est, 'qui cum alterius jurisdictionis essent, principis placito alicui civitati ascribuntur.' Sunt et præfecturæ dictæ, munia præfectorum. Ausonius: 'Præfecturarum titulo tenuere secundo.' Sunt enim quatuor dignitatum in jure civili ordines, *illustres, spectabiles, clarissimi, perfectissimi:* ex his *præfecti* sunt spectabiles: ut merito dictum sit, *secundum his titulum dari*. Sed et non absimili significatione in Assyriis et Medis præfecturæ erant. Sic enim vertit Plinius, quos Græci *νόμους*, Herodotus etiam *σατραπείας* appellavit, ut Laur. Valla infelicissime *portiones* transtulerit. *Alciatus.*

CAP. 9. *Simul Ibero*] Alii *simulque Ibero:* sed nihil opus copula *que*, cum particula *simul* per se conjungendi vim habeat. Ergo Venetam lectionem præferendam duximus. *Freinshem.*

Nec enim restitere Armenii] Scripti codicis lectio, *resistere*, id est, *resistebant*. Rhenanus.

Deinde literis Cæsaris coërcitus] Brevius Flor. *dein literis Cæsaris*. Idem paulo infra: *dein prævaluit Gotarzes*. Pichena.

Fœdus repente faciunt] Non, ut in libris hodie, *jaciunt*. Bene etiam Maurus, *iciunt*. Porro an hic *Bardanes* sit, quem in eo tractu, regem a se visum et conventum Apollonius apud Philostratum dicit, nescio. Ætas patiatur: sed et ibi notatur, 'pulsum eum regno fuisse, et tertium tunc annum iterum regnasse.' Lib. I. *Lipsius.*

Fœdus repente faciunt] Exemi quod erat, *jaciunt:* neque enim id unquam verbum, a quoquam scriptore, in hac significatione usurpatum est. Contra auctores omnes Latini sermonis scientes, fœdus *icere* dixerunt: de cæteris Cicero, Virgilius, Livius, Suetonius, et hic noster Cornelius sup. lib. IV. non *jacta*, sed 'icta nobiscum fœdera;' et infra l. XII. non *jecerant*, sed orsos Bizantios sermonem suum a 'fœdere, quod nobiscum icerant,' scripsit. *Vertranius.* Lego, *fœdus repente sanciunt:* nam Annal. II. ita noster, 'sanciendo fœderi.' Lib. XII. 'hortari Mithridatem ad sanciendum fœdus.' *Aurelius.*

Gotarzes fratri patefecerat] Ita reposuimus, pro *patefecit*. Rhenanus. Muretus *patri*. Nescio unde aut quare. *Acidalius.*

Potiorque Bardanes] In scripto non est adnexa particula, *que*. Et quid erat opus addere, quum brevitati Cornelianæ magis conveniat eam abesse? *Rhenanus.*

CAP. 10. *Exin validissimas præfecturas invasit*] Hic locus meo judicio recte fuit castigatus, quum in scripto volumine legatur *invisit*, sed perperam. *Idem.*

Et reciperare Armeniam *] Non sanus locus: de quo velut in tenebris micabo. Libri scripti voce auctiores, *reciperare Armeniam habebat*. Et rectumne illud? ut sit Græcorum *ἔχω, ἀντὶ τοῦ δύναμαι:* quomodo Cicero, Appuleius, Agellius, aliique e Latinis interdum. An, *havebat?* an, *audebat?* verbum quidem infarciendum est, ruenti sententiæ sustentandæ. Veneta editione, *reciperare Armeniam parabat*, expressum invenies. In Vat. opt. (siquid hoc ad rem) *habeat*, scribitur: littera alia superne adjecta. Quid si etiam, *reciperare Armeniam ibat?* sive *vadebat?* Lipsius.

Et reciperare Armeniam parabat] Hic verbum *parabat* est infultum postea, nam Tacitus scripsit: *Et recuperare Armeniam, ni Vibio, &c.* id est, recuperabat. Testatur id Codex Budensis. *Rhenanus.* In v. c. est: *Exin validissimas præfecturas invisit, et recuperare Armeniam parabat, ni Vibio, &c.* Ursinus. Omnes hunc locum quasi labentem tibicine suffulciunt: sed (libere dicam) nec eo sine dedisset ruinam. *Recuperare*, id est *recuperabat:* noster Ann. l. I. 'hæc atque talia agitantibus gravescere valetudo Augusti.' At *recuperabat* sibi sumit vim *recuperasset*, ut in ejusmodi fit. *Salinerius.* Hic abstineo manum. Sed Florent. tantum lectionem corruptam auctioremque refero: *exin validissimas præfecturas invisit, et recuperare Armeniam habeat, ni Vibio Marso, &c.* Pichena. Lipsius varie. Mihi ex omnibus nihil præter ipsam scriptorum librorum lectionem placebat, *Reciperare Armeniam habebat.* Vel Mureto assentiar, qui e vulgata simpliciter, *Et reciperabat Armeniam, ni a Vibio, &c.* Acidalius. Corrigo: *et reciperaret*, vel *reciperasset Armeniam:* etsi non improbem correctionem Lipsianam. *Harlæus.* Optime Rhenanus et Salinerius. Vide Observat. I. 14. *Gronovius.*

Ad flumen Ginden] Codex Budensis, *ad flumen Sinden.* Rhenanus. Corruvianus habet, *Sindem.* Vertranius.

Longinquam quamque aspernabatur] Particulam *quamque* errore librarii repetitam induximus. *Rhenanus.*

Nec enim cuiquam ante Arsacidarum tributa illis de gentibus parata] Docuit regius liber conjunctione *enim* expuncta, pro *parata* scribendum *parta*, sententiamque legendam absque parenthesi hoc modo, *quibus opes suas testabatur, nec cuiquam ante Arsacidarum tributa illis de gentibus parta, regreditur.* Quamquam nihil mali sit, si clausula parenthesi includatur. *Idem.*

Subjectis intolerantior] Iterum putem ob causas modo mihi dictas ponendum *intoleratior.* Grotius. Jam diximus *curis intolerantibus* pro intolerandis dixisse Lævium: ut *intolerantior* possit esse minus tolerandus. *Gronovius.*

Paucos inter senum regum] Muretus, *paucis inferiorem regum.* Supervacue et male. Non respexit vir bonus præcedentia verba illa, *primam intra juventam.* Acidalius.

Parthorum res, inter ambiguos, quis in regnum acciperetur. Multi, &c.] Muretus sic distinguere maluit: *Parthorum res. Inter amb. q. i. r. acciperetur, multi.* Ego, ut vulgo est, relinquo. *Acidalius.*

Prolem Phrahatis] Non filium, ne erres, sed nepotem ex Vonone. Ipse Tacitus infra. *Lipsius.*

Potitusque regia] Vat. opt. *regiam.* Itaque scripsit. *Idem.*

Potitusque regiam] Vulgati non minus recte, *regia:* tamen quia Lipsius testatur, in Vat. codice legi, *regiam*, et Flor. congruit, eam vocem reposui. *Pichena.*

Permitti Meherdatem] Viri summi proniores erant in *remitti.* Sed controversiam minime movendam scripturæ receptæ, satis ostendi Notis meis ad Martialem Epig. x. 12. 'Ne vivam, nisi te, Domiti, permitto libenter.' *Gruterus.* Ad hunc Martialis locum adde, si libet, quæ scripsimus Observ. II. 13. *Gronovius.*

CAP. 11. *Equis ludicrum Trojæ*] Ut scripsit Suet., ludus ipse quem vulgo *Pyrrhicham* appellant, *Troja* vocatur: cujus originem expressit in libro de lusibus puerorum: adhucque superest descriptio Virgilii Æneid. l. v. peditum tamen proprie Pyrrhicha saltatio est, apud Athenæum XIV. 12. Troja vero ludus puerorum, qui turmatim se invicem ex equis peterent: unde formatum vulgare *Torniamentum*, quasi *Troiamentum.* Vertranius.

Miraculis adsimilata] Ita Flor. vul-

go, *assimulata.* Pichena. Ego hanc notam potius ætatis in librario puto, qui Tacitum et æquales ejus nunquam *similare*, ut sequiorem ætatem, scripsisse arbitror; et de eo ad Statium dicere cœperim. *Gronovius.*

Cap. 12. *Juniam Syllanam*] Muretus, *Juniam Silanam.* Acidalius. Ita l. xiii. non semel. Male vulgo, *Syllanam.* Pichena.

Egressibus adhærescere] Sic l. v. de Nerone: 'Cujus ne modicos quidem egressus tolerarent.' *Rhenanus.*

Cap. 13. *Severis edictis increpuit*] Sic melius ex Flor. *edictis*, quam vulgo *dictis.* Lib. v. 'increpitaque per edictum plebe.' Lib. xiv. 'Tum Cæsar populum edicto increpuit.' *Pichena.* Sequor quod expressit Covarr. codex, *Severis edictis:* ita scripsisse *Tacitum* inde evincas, quod id quoque restet in Ms. Florentino, et ita solebant imperatores. *Gruterus.*

Cap. 14. *Et antiquissima monumenta*] Lego, *ea antiquissima.* Lipsius.

Et antiquissima monimenta] Pro *et* substituam *ea*, totamque periodum includam parenthesi (*ea ant. monimenta memoriæ humanæ impressa saxis cernuntur*) *et litterarum, &c.* Freinshemius.

Arcade ab Evandro] Sive a Carmenta ejus matre, ut visum aliis. *Lipsius.*

Et forma] Antiquior lectio. *Et forma*, Rhenanus. Plin. vii. 58. 'Veteres Græcas fuisse easdem pæne, quæ nunc Latinæ, indicio erit Delphica tabula antiqui æris, quæ est hodie in Palatio dono principum Minervæ dicata in Bibliotheca, cum inscriptione tali, Ναυσικράτης Τισαμενοῦ Ἀθηναῖος ἀνέθηκεν.' *Ferrettus.* Verba Græca, NAVSIKRATES. TISAMENO. ATHENAIOS legit Josephus Scaliger: ΝΑΥΣΙΚΡΑΤΕΣ. ΤΙΣΑΜΕΝΟ. ATHENAIOΣ. ANETHEKEN. *Salmasius.*

Claudius tres literas adjecit] De iis literis, quæ in autoribus exstat memoria, ita exstat, ut tertiæ nobis ignota forma, duarum a nobis indagata sit. De priore sic accepi: Syllabæ sono in his nominibus declarando, *divus, clivus, rivus, servus*, repertam esse novam literam Ⅎ. quæ in hoc nomine VIℲVS in antiquis spectationibus etiamnum aspicitur, et apud Agellium Digamma Æolicum appellatur, l. xiv. 5. quod in Latio desideratum, et a Claudio non inutiliter adjectum ait M. Fabius l. i. 4. et 13. De altera comperi, cum S præpositum P loco ψ Græcæ fungeretur, pro duabus illis literis Claudium Cæsarem in Latium induxisse antisigma, et hac figura)(scribi voluisse: de quo testis est Priscianus l. i. ubi de accidentibus literæ. De tertia Velius Longus hoc habet in lib. de Orthographia,' quem manuscriptum apud Strossium egomet Romæ legi: 'Claudius princeps,' inquit, 'novam quandam literam excogitavit similem ei notæ, quam pro aspiratione Græci ponunt, per quam scriberentur illæ voces, quæ neque secundum exilitatem literæ, neque secundum pinguedinem sonant, ut Viro et Virtute: neque rursus secundum latum literæ sonum enunciarentur: ut in eo quod est, Legere, Scribere.' Quibus verbis significat tertiam Claudii literam R leniendo inventam fuisse. Sed licet Cæsar hæc non sine ratione induxerit, nulli tamen ausi sunt antiquam scripturam mutare, et, ut ait Priscianus, *consuetudo superavit.* Vertranius. Hoc idem Suetonius ait. Sed tres literæ, quæ fuerint, non scribit. Unius certi sumus ex titulis, ut *ampliaℲit.* Alteram existimo fuisse ꟷ pro H Græco: tertia litera quæratur, et fortasse pro ω aliqua nota. *Ursinus.*

In ære publicandis plebiscitis] Ego vero cum Imperatoribus tollo hæc plebiscita: quæ vim usumque Claudii temporibus habere non potuerunt, omni potestate tralata ad unum.

Quære exempla in historia principum, non invenies. Legerim, *publicandis scitis.* Sciti nomen generale est, et ad decreta omnia pertinet ac jussa. Et haud dubie ea scriptura observata non solum in plebiscitis (ut demus ea fuisse) sed in legibus aliis edictisque. *Lipsius.*

In ære publicandis plebiscitis] Una litera adjecta corrupit sententiam. Fuit *publicandis plebi SCtis:* id est, Senatusconsultis: illis enim æneis tabulis, quæ senatus constituerat, plebi innotescebant. Eodem spectat Ovidii illud : ' nec verba minantia fixo Ære ligabantur.' *Grotius.*

CAP. 15. *Vetustissima*] Quam ipsi Romani liberos suos capere volebant, ac publice mittebantur. Vide Valerium l. I. de Relig. et Ciceronem II. de Divinat. *Lipsius.*

Temporibus accitis] Non displicet veteris libri scriptura, qui habet *accitos* pro *accitis:* quamvis et *accitis* æque placet. *Ursinus.* Malim *accitos.* Rhenanus. *Accitos* omnino melius quam *accitis;* ostendit enim olim ita fieri solitum: utendum ergo ipsi casu, qui narrationibus proprius est. *Freinshemius.*

Superstitiones valescant] Venetus, *invalescant.* Pichena.

Referendam, ne] Non recte videntur hæc conjungi; distinxerim potius *referendam: ne, &c.* Freinshemius. Non videtur cepisse vir insignis, quum judicavit hoc membrum a proximo τελείᾳ ὑποστιγμῇ separandum. Neque enim novum argumentum est aut stimulus hortationis differens ab eo, quo jam usus est: sed id ipsum quod brevius attigerat, persequitur explicatius. *Gratia,* quam Diis referri, &c. * *Gronovius.*

CAP. 16. *Cheruscorum gens regem Romæ petivit*] Malim, *Roma petivit.* Nam sic scribit l. XIII. ' Barbaros malle Roma petere reges quam habere.' *Rhenanus.*

Atque eo magis, quod nullis] Veteri Covarr. abest vox *magis.* Gruterus.

Jamque apud proximos, jam longius clarescere] Melius in Cod. Budensi, *Jamque apud proximos longius clarescere.* Rhenanus. Ex Flor. restitui, *apud,* vulgo, *ad proximos.* Pichena.

Principem locum impleat] Et hoc ex Flor. Vulgo, *principis locum.* Sic l. IV. ' Satisque habere, si locum principem impleam.' Et ' spe objecta principis loci.' *Pichena.*

Supra cunctos extollatur] Castigavimus, *attollatur.* Item *hostili in loco, hostili in solo.* Rursum *posset extimesci, posse extimesci.* Rhenanus.

Arminium præscribi] Qui illi patruus: et tamquam in ejus gratiam honoremque Principatu ornatus esset. *Lipsius.*

Infectum alimonio] Ita Flor. vulgo, *alimonia.* Pichena.

Quam parentes ejus exercuisse] Ita vulgati libri, quod non placet. Videtur legendum *parentem.* Ursinus. Legendum puto, *parentem:* supra, ' si paterna Italo mens esset:' et paulo infra: ' nec patrem illi rubori.' Error similis, de quo monui in princip. l. III. Scias etiam Italum istum, in Florentino ubique Italicum nominari. *Pichena.* Muretus, *parentem.* Recte. *Acidalius.*

CAP. 17. *Nec patrem illi rubori esse*] Vox postrema non comparet in membranis Covarruv. neque habet certe, quod hic agat. *Gruterus.*

Magno inter barbaros prœlio victor rex] Forte, *magno ut inter.* Lipsius. Dubito an non, *magnus;* quasi dicat magnum habitum Italum regem, post victoriam prælii. *Acidalius.*

CAP. 18. *Morte Sanquinii*] Sanquinii Maximi, de quo supra dixi. *Lips.*

Qui natione Caninefas] Scribendum est, *Cunnanefas,* ex antiqua inscriptione apud Vulsinios superioribus annis reperta, cujus exemplum hoc est: ' L. Cannulejus. in. Italia. Volsiniensium. patriae. suae. item. Ferent. et. Tiburtium. item. coloni.

Italicensis. in. prov. Baetica. praet. Etrur. populor. sacerdoti. Caeninensium. M. Helvius. M. F. Clemens. Arnensi. domo. Cartagine. praef. eq. alae. primae. Cannanefatum. Praesidi. sanctissimo. et. rarissimo. curam. agente. L. Aconio. Calisto. tribuno. mil. leg. XIIII. Gem. Sev.' *Ursinus.*

Auxiliaris, et diu meritus, post transfuga] Vaticana scriptura, *auxiliare esd in meritis.* Fortasse, *auxiliaris, dein emeritus.* Nam et auxilia, illo ævo, credam adstricta ad militiæ certum modum. Mercero placet, *Auxiliare æs diu meritus.* Lipsius.

Auxiliaris et diu meritus] Budensis codex habet *ex diu meritis.* Rhenanus. Proba lectio si esset a libris. Ita sup. l. II. 'Tacfarinas auxiliaris, stipendia meritus.' Sed libri variant, et in Vaticano est: *auxiliare es diu meritus.* Quid propius quam quod olim mihi visum, *auxiliare æs diu meritus. Auxiliare æs,* ut *æs militare.* Mercerus. Mihi placeat, *auxiliares inter diu meritus.* Acidalius. Farnesianus codex Ms. *auxiliare ex drumentis:* unde conjiciebat olim Lipsius, *auxiliaris ex frumentariis:* postea omnem hanc annotationem expunxit. Quod in conjectura facile fero: sed scripturam vetusti codicis insuperhaberi nolim: quippe in qua videam vestigia veritatis adhoc usque latentis. Eam esse credo: *auxiliaris et dux gentis.* Juvat quod legitur l. IV. de Thracibus: 'ne regibus quidem parere, nisi ex libidine, soliti, aut si mitterent auxilia, suos ductores præficere.' *Gronovius.*

Cæteras naves] Emendavimus, *cæteras navium.* Sic enim subinde Tacitus loquitur per genitivum, ut *quosdam militum, cunctis civium, residuis nobilium;* pro *quosdam milites, cunctis civibus, residuis nobilibus:* et sic de similibus. *Rhenanus.*

Operum et laboris ignaras] Farnes. *ignavas.* Lipsius.

Nec pugnam nisi jussus iniret] Facit huc quidem Sallustius c. 9. Catil. historiæ. Verum cum pugnam inire injussu imperatoris unum fuerit de delictis, omni tempore, omni duci, castigatis; videtur audiendus manuscript. Covarruv. *ne quis agmine decederet, ne quis nisi jussus iniret:* ut referatur ad *agmen.* Sic lib. XIII. dixit 'stationem inire,' pro ingredi. *Gruterus.*

Feruntque militem, quia vallum non accinctus] Maurus Servius exponens illud Æneid. I. 'Illi se prædæ accingunt,' notat *Accinctos* industrios vocari, et contra negligentes *Discinctos,* ut 'discinctos Mulciber Afros.' Omnes vero qui militant cincti sunt. Nam mos militaris fuit, ut milites cingulo cincti semper essent, ut paratum ensem haberent ad omnia pericula, et erat ignominiosum discinctum esse militem. T. Livius libro VII. belli Punici, 'Districtis gladiis discinctos destituit.' Persius, 'Non pudet ad morem discincti vivere Nattæ?' Ita Corbulo, qui disciplinam militarem observabat, non accinctum militem morte punivit. Nam posteaquam juraverant milites, cingebantur zona militari, quod erat equo merentium insigne. Unde a Marcello *cinctus* dicitur pro eo, qui eques militat. Et apud JCtos sæpius reperias *Cingulum* et *Cingere.* Inde illæ loquendi formæ *accingi ferro,* quod infra a Tacito dicitur, et *Procinctus exercitus,* et *Procinctum testamentum,* quod illa pugnandi spe vel timore milites faciebant, de quo a Justiniano plura. Vulcatius Gallicanus in Avidio Cassio, 'Nam statim, et ad signa edici jussit, et programma in parietibus fixit, ut si quis cinctus inveniretur apud Daphnem, discinctus rediret.' *Lupanus.* Ex more enim et disciplina, gladius, etiam in opere, gestandus. Vegetius l. III. 8. 'Milites gladio cincti fossam aperiunt.' *Pichen.*

Vallum foderet] Vallum aut vallus

non foditur, sed cæditur potius: idem enim est quod palus seu stipes: ergo hoc quoque loco pro *vallum foderet* leg. puto *vallum cæderet;* aut forte *vallum ferret.* Ut apud Horat. 'Fert vallum et arma miles:' et notum est istud Scipionis apud Livium Epit. LVII. 'Cum te gladio vallare scieris, vallum ferre desinito.' *Freinshemius.*

Falso jacta] Venet. editio; *jacta, aucta:* hæsitante librario utrum præferret, utrumque adscripsit. Ego quidem hic malim, *falso aucta.* Lips.

Quæ munia et incertum an falso jacta vel aucta] Pro *munia* scripsimus *nimia*, et clausulam *vel aucta* delevimus. Infra ex *perlocutus* fecimus *prolocutus.* Rhenanus. V. c. habet: *Quæ munia, et incertum an falso jactata, &c.* Sed de verbo *jactata* dubius non sum, de *munia*, hæreo. *Ursinus.* Illud *nimia* a Rhenano est; in Ms. enim *munia* erat; quæ etsi non vera, tamen vero proxima scriptura. Legendum, *quæ immania.* Sic idem lib. IV. Ann. 'fabulosa et immania' dixit. *Pricæus.* Vulgo, *jacta:* ego judicium Lipsii secutus, malui, *aucta:* et fere Flor. consentit, in quo legitur, *acta.* Sic l. III. 'in falsum aucta.' *Pichena.* Lipsius, *aucta.* Muret. *jactata.* Quasi vero multum intersit, quid horum præponas. *Acidalius.*

CAP. 19. *Nos virtutem auximus*] Vereor ut scripserit, *virtute auximus.* Augendi verbum patiendi significatu, ut infra. *Lipsius.*

Nos virtutem auximus] Nulla causa est cur mutes, neque semper *augere* passive scriptum veteribus. Non melius illo, qui in Catullo, *augens*, vult esse pro, *auctus*, noto versu; 'O decus eximium, magnis virtutibus augens.' Quum uno ductu recte scribatur, *augens decus virtutibus;* ut apud Ovid. 'Ille memor magni generis, virtute quod auget.' *Mercerus.*

Post rebellionem] Non, ut receptum, *per rebell.* Historia ipsa narrata fine lib. IV. *Lipsius.*

Post rebellionem clade L. Apronii captam] Quod Lipsius restituit: *post rebellionem* a Flor. confirmatur: male antea, *per rebellionem.* Pichena.

Præsidium immunivit] Ita manuss. At vulgi lectio, *inde munivit.* Suspicari possis antique fuisse *endomunivit.* Uti apud Livium l. V. 'Juventutem militarem Senatusque robur in arcem Capitoliumque conscendere: armisque et frumento collatis, ex loco inde munito deos hominesque et Romanum nomen defendere:' scripserim, *endomunito.* Lipsius.

Præsidium immunivit] Vulgo *inde munivit.* Suspicatur hinc Lipsius *endomunivit:* atque idem verbi tentat Livio donare. Ego neque hic nec in Livio acceperim: cujus locus per se sanus. Vera hic lectio, *inibi munivit.* Nam is sensus: Apud hos præsidium munivit, ad alios alios, qui pellicerent, misit. *Acidal.* Nihil hic sollicitandum. Nam eadem vis est verbi, quam correctionibus quærunt. Sic Suetonius Tiberio 39. 'in prætorio, cui Speluncæ nomen, incœnante eo, complura eaque ingentia saxa fortuito superne delapsa sunt.' Ut *incœnante eo*, est quum ibidem cœnaret ille, sic *immunivit* est ibidem munivit. *Gronovius.*

Cum prospere egisset] Josiæ Merceri lectio verior, *sin prospere*, et approbata quibusdam libris. Sententia, Adversa reip. nocitura; prospera, ipsi Corbuloni. *Lipsius.*

Cum prospere egisset] Facillima huic loco medicina. Veteres libri: *in prospere egisset:* addita litera scribe, *sin prospere egisset, formidolosum paci virum insignem.* Non placet moveri arma a Corbulone; sive rem bene gereret, ne arma et iis quæsitam auctoritatem verteret in principem; sive male, ne quid imperium detrimenti caperet. *Mercerus.* Nulla est hic menda, eoque locus emendationibus esse non debuit. Sub imbelli principe, strenui duces (ut Corbulo faciebat) bella serere non debent, quia sibi, et Reip.

male consulunt; illi si vincantur, sibi victoriis partis: licet enim urgente metu princeps eos undique conquirat, tamen eo remisso, redditaque pace, ferre non potest, indeque præcipue sibi timet. Sallust. Cat. 'nam regibus boni, quam mali suspectiores sunt; semperque iis aliena virtus formidolosa est.' Noster Ann. lib. I. 'neque enim eminentes virtutes sectabatur, et rursum vitia oderat; ex optimis periculum sibi.' In Agric. 'formidolosum id imperatori dictitans, quo plerunque prohibentur conatus honesti.' Ibid. 'Inerat conscientia derisui fuisse nuper falsum e Germania triumphum: at nunc veram magnamque victoriam tot millibus hostium cæsis ingens fama celebrare: id sibi maxime formidolosum, privati hominis nomen supra principis attolli.' *Salinerius.* Male acceptus hic locus erat in omnibus libris: *cum prospere egisset:* merito ergo asterisco notatus. At nuper Josias Mercerus, unius tantum voculæ mutatione, et aptiori distinctione, correxit, ac fere ad amussim congruit Florentinus, in quo legitur, *casuras in prospere, &c.* Pichena. Locus corruptus et sine dubio mutilus: paullum tamen quid deesse puto. Nam sententiam equidem video, quæ hæc fuit, tanquam si scriptum: *Adversa in Remp. casura, cum prospere egisset. Fecere hæc formidolosum paci virum insignem.* Acidalius. Sensus hujus loci non est, ut equidem opinor, adversa Reip. nocitura, prospera ipsi Corbuloni: sed potius suspicio erat si prospere egisset versurum arma in principem ignavum, unde bellum civile; quo enim alias illud, *formidolosum paci.* Freinsh.

CAP. 20. *Beatos quosdam duces*] Corruptione litteræ, periit huic dicto Venus. Scribe, *quondam:* id est, olim libera rep. Persuadet Dio, qui sic extulit: ὦ μακάριοι οἱ πάλαι ποτὲ στρατηγήσαντες. *Lipsius.*

Beatos quosdam duces] Vere *quosdam:* nimirum Sullam, Cæsarem, Pompeium, et quoscunque alios, qui olim ex sua libidine bella moderabantur. Eruditissimus vir maluit, *quondam,* quasi respiciat Corbulo ad omnes veteris reip. duces, citatque ex Dione ὦ μακάριοι οἱ πάλαι στρατηγήσαντες: i. *o beati qui quondam exercitus duxere.* Ego non tanti facio Græcos in re Romana, ut ad eorum normam nostrum rear esse corrigendum: maxime quod verba Dionis, quantumvis generalia, possint etiam speciatim interpretari: ad ultimum duces veteres aliquando senatusconsulto ultimam bello manum imponere prohibiti sunt. *Salinerius.* Lipsio prorsus assensi, *quondam,* legenti. Insipide vulgo, *quosdam.* Pichena.

Ne tamen miles] Sententia scripturam eam damnat. Lege ergo, *Ut tamen.* Lipsius.

Ne tamen miles otium exueret] Plures incubuerunt emendationi, quasi sententia repugnet verbis. Putabam *exueret* ἀντιφραστικῶς a Tacito scriptum; quo me non parum inducebat Plautus Trinummo: quærit apud eum dominus a servo argenti rationem: 'Quid factum est eo?' Respondet servus, 'Comesum, expotum, exutum, elotum in balineis.' Quid *exutum* nisi vestitum, hoc est, pretiosis vestibus consumtum? Licet enim *exuviæ* proprie de inimicis dicantur, et ejus respectu, unde exutæ sint; Plaut. Menæch. 'Uxoris exuviæ, induviæ tuæ, rosa:' simpliciter tamen aliquando pro vestibus cujusvis accipiuntur. Virg. Buc. 'Has olim exuvias mihi perfidus ille reliquit.' Id. Æn. lib. IV. 'Dulces exuviæ dum fata Deusque sinebant.' Essetque sensus, Corbulo milites labori mancipavit, ne ocium induerent, hoc est, ne ocio indulgerent. Verum præstat explicare, *ocium,* id est, pacem: cujus rei plurimus est usus. Sallust. Jugurth. 'Quod in familia nostra fuit, præstitit,

ut in omnibus bellis adesset vobis: nos uti per ocium tuti simus, in manu vestra est.' Idem in hist. in orat. Cottæ: 'metuit ocium, odit bellum.' Noster Ann. lib. XII. 'nam militares artes per ocium ignotæ.' Et Ann. lib. XV. 'Cur deserta per ocium, quæ bello defenderat?' Gnarus itaque Corbulo per labores militarem contineri disciplinam, voluit ut fossa a militibus duceretur, ne forte amoto hostium metu lascivirent, et suam provincialiumque pacem turbarent et exuerent. *Exuere pacem* ut *exuere jussa*: paulo ante, *ac ne jussa exuerent*. Salinerius. A Lipsio est emendatio. Male vulgo, *Ne tamen*. Idem fere Florent. indicat, qui habet, *vi tamen*. Pichena. Manum non adhiberem reformationi illius *exsueret*, sed potius fecerim *Ut* de *Ne*. Sæpius enim mutarunt sedem duæ illæ particulæ; et ita hic habet editionum prima. *Gruterus*. Lipsius, *ut tamen*: vel ad finem, *exerceret*. Muretus longiuscule abit, *Ne tamen miles otio insuesceret*. Mihi certe non tam crebra ejus verbi *Exuere* placeat repetitio: idem enim jam paulo ante. Nec tamen satis commode mutes: etsi varie possis. Ut relinquatur, legam, *Ne tamen miles otio vim exueret*. Acidalius. Duæ literæ adjectæ sensum facient optimum: *Ne tamen miles otio vim exueret*. Infra lib. XIII. 'pace longa segnes, munia Romanorum ægerrime tolerabant:' et quæ ibi sequuntur. Grotius. *Ut tamen miles otium exueret*. Sic Lipsius. At nemo exuit otium, nisi qui jam est otiatus: quod de hoc Corbulonis milite jam dici non potest. Veteres habent: *Ne tamen miles otium exueret*. Scribam: *Ne tamen milites otium exueret*. Otium milites exuit, scilicet virtutibus militaribus, desidia et ejus amore irrepente. Sic Annal. I. *Exutoque Lepido*, vi, scilicet, omni ac potentia. Hæc enim eleganter subintelliguntur. *Boxhornius*. Recte Lipsius, Pichena, Gruterus: cætera, fabulæ. *Gronovius*.

Quia incerta Oceani vetarentur] Recte, non *vectarentur*. Lipsius.

Incerta Oceani vetarentur] Alias, *vectarentur*. Ferretius. Atqui *incerta Oceani*, nimium subinde crescentis, non tam vetari poterant hac fossa tantum in spatium producta, quam verti, ne circumjectis agris nocerent. Itaque fidenter rescribo: *fossam produxit, qua incerta Oceani verterentur*. Sub finem Annal. I. 'Actum deinde in Senatu ab Arruntio et Ateio, an ob moderandas Tiberis exundationes verterentur flumina et lacus, per quos augescit.' Quæ plane huc faciunt. *Boxhornius*. Recte Lipsius. *Vetarentur* est arcerentur, prohiberentur, ne restagnando terris nocerent. Ade Observat. I. 5. *Gronovius*.

Qui in agro Machiaco] Muretus mallet: *quia in agro*. Pichena.

Et fodere rivos] Forte melius, *effodere rivos*. Rhenanus. Intellige de utriusque ducis legionibus: nam *rivos effodere* ad Corbulonem; *infra humum moliri* ad Curtium Rufum refertur. *Pichena*.

Cap. 21. *De origine Curtii Rufi*] Sunt qui opinentur historiam rerum ab Alexandro gestarum hujus esse, qui vulgo Q. *Curtius* citetur; defenduntque indeprenso testimonio, observasse scilicet in antiquis codicibus. Ipse Angleriæ apud Verbanum, aram marmoream pluribus signis illustrem vidi, cum titulo *Q. Curtii VI. viri*, a quo fuisset dedicata. *Alciat*. Lipsii opinionem valde juvat Senecæ locus ad Polybium Consol. ubi eadem fere de Claudio cap. 31. et 32. ista præcipue: 'Patere illum generi humano tamdiu ægro et affecto mederi; patere quicquid prioris principis furor concussit, in locum suum restituere ac reponere. Sidus hoc quod præcipitato in profundum, ac demerso in tenebras orbi refulsit, semper luceat,' &c. *Acidalius*.

Oblata ei species muliebris] Plinius

super eodem miraculo: ' Inclinato die spatiabatur in porticu: offertur ei mulieris figura, humana grandior, pulchriorque: perterrito, Africam se futurorum prænunciam dixit: iturum enim Romam, honoresque gesturum, atque etiam cum summo imperio in eandem provinciam reversurum, ibique moriturum.' *Lipsius.*

Videtur mihi ex senatu] Restituimus hunc locum e libro Budensi: *Videtur mihi ex se natus.* Hoc autem dixit Claudius hominis virtutes commendans. Ex virtute enim quisque æstimari debet, quæ sui cultores regenerat. Mox cap. seq. *adipiscerentur,* pro *adipiscentur.* Rhenanus. Ut qui se ipsum imitetur, sibi constet, sui sit similis, parem non sit sequutus. *Ferretius.*

CAP. 22. *Gn. Novius insignis eques Ro.*] Appellatur in Flor. *Gn. Nonius:* ibique et in antiquo edito, abest vox, *insignis.* Pichena. Alii voce una auctiores *Novius insignis eques Rom.* Sed Venetus *insignis* omisit; nec credo ab auctore esse. *Freinsh.*

De se Novius conscios] Non integer locus vel indicio libri Farnesiani, qui cum lacuna refert: *De se novi :::: conscios.* Videmur non incommode explere posse: *de se Novius confessus, conscios non edidit.* Lipsius.

De se Novius conscios non edidit] Videtur deesse verbum, *confessus,* quod Faërnus addebat, sic legens: *De se Novius confessus conscios non edidit.* Ursinus. Cui stupori non erit ἀνανταπόδοτον manifestum fugisse eruditissimum virum? Explet ille addito *confessus:* quod venustius latet in oratione. Thucyd. lib. III. Καὶ ἢν μὲν ξυμβῇ ἡ πεῖρα· εἰ δὲ μὴ, Μιτυληναίους εἰπεῖν ναῦς τε παραδοῦναι, καὶ τείχη καθελεῖν· i. *et si quidem aggressio ad votum respondeat: si minus, jubere Mitylenæos, et naves dare et muros deponere;* quæ notis Scholiastes illustrans inquit: τὸ σχῆμα καλεῖται ἀνανταπόδοτον· ὁ νοῦς οὗτος· καὶ εἰ μὲν κατορθωθῇ τὸ ἐλπιζόμενον, καὶ τῇ πείρᾳ αὐτῇ καταλάβωσι αὐτοὺς ἔξω, καλῶς ἂν ἔσται τοῖς Ἀθηναίοις τὰ πράγματα i. figura vocatur ἀνανταπόδοτον· mens est: et si spes Atticos non frustretur, tentandoque ipsos extra civitatem deprehendant, recte res Atheniensibus procedent. Verum ne dicas nostrum hujusmodi præ oculis non habuisse, hæc obsecro, mihi lege: Ann. lib. II. 20. ' Seio Tuberoni legato tradit equitem, campumque: peditum aciem ita instruxit, ut pars æquo in silvam aditu incederet, pars objectum aggerem eniteretur, quod arduum sibi, cætera legatis permisit.' An non tacetur *cepit?* similiter in sequentibus suppressum est *poterat.* Ann. lib. XII. 64. ' Enimvero certamen acerrimum, amita potius, an mater apud Neronem prævaleret. Nam Lepida blandimentis, et largitionibus juvenilem animum devinciebat; truci contra ac minaci Agrippina, quæ filio dare imperium, tolerare imperitantem nequibat.' *Salinerius.* Habet codex Florent. lacunam eandem, quam teste Lipsio, Farnesianus. Ex Livio autem, unde Tacitus fortasse sumpsit, suppleri potest: ait enim lib. XXIV. ' de se ipse haud contanter fassus conscios celabat.' *Pichena.* Volunt alii locum mutilum: non video quare: quippe constructio satis belle succedit; prout ea uti amat Tacitus. Remque eandem enunciavit Livius lib. XXIV. de Theodoro, qui conspirat in Hieronymum Siciliæ tyrannum: ' Traditusque Andranodoro torquendus; de se ipse haud contanter fassus, conscios celabat.' *Gruterus.* Ego puto, nulla difficultate, deleta vocula *de* scribi: *se Novius, conscios non edidit.* Compendium sermonis usitatum Tacito, qualibus locutionum amfractibus sæpe vox una duabus rebus jungitur, licet alteri tantum conveniat. *Edere* autem ad alios tantum pertinet, ut vulgo usurpamus: Tacitus vero, ne morem suum stringendi

sermonem migraret, etiam ei apposuit, cui minus apta ea vox erat, nempe Novio ipsi jam deprenso. *Barthius.* Inepte repetitur nomen proprium, et vox alia desideratur. Farnesianus liber *novi.* Scribam *nota.* De se edidit quæ nota erant, rem, non causam rei. Considera antecedentia. *Grotius.* Corrigo : *nec de se Novius confessus,* aut *de se Novius non confessus et conscios non edidit.* Nam quod Lipsius tentat, id non patiuntur, quæ præcedunt : *nullis palam neque mox cognitis causis.* Nam si se confessus sontem fuisset, causæ conjurationis enotuissent. *Harlæus.*

Valerius Potus, et Æmilius Mamercus] Restitui ex Flor. copulam *et,* quæ interciderat. *Pichena.*

Duo additi, qui Romæ curarent] Sic Histor. lib. III. ' Exploratores, ut mos est, longius curabant.' Verbum Sallustio quoque familiare in Jug. ' in postremo C. Marius cum equitibus curabat :' iterum ; ' ubi quisque legatus aut tribunus curabat, eo acerrime niti.' Ibidem etiam, *curator,* dixit : ' de Rep. vestra, cujus huc curator missus es.' *Pichena.*

CAP. 23. *Suffecisse olim indigenas consanguineis suis*] Id est, Albani indigenæ, satis fuerunt ad explendum senatum Romanorum, quibus erant consanguinei. Liv. lib. I. Dec. 1. ' Quod bonum, faustum, felixque sit populo Romano, ac mihi vobisque Albani, populum omnem Romam traducere in animo est, civitatem dare plebi, primores in Patres legere, unam urbem, unam remp. facere ; ut ex uno quondam in duos populos divisa Albana res est, sic nunc in unum redeat.' Quod ait *in duos populos divisa,* describit consanguinitatem Albanorum et Romanorum, de qua poëta, ' Albanique patres atque altæ mœnia Romæ.' At hi cum cæteris e Latio indigenæ dicuntur, licet Græcis post admistis. Donys. Antiq. lib. I. 1. *βάρβαροί τινες ἦσαν αὐτόχθονες, οἱ σύμπαντες οὗτοι Λατῖνοι ἐκλήθησαν* : i. erant quidam barbari indigenæ, hi omnes Latini dicti sunt. *Salinerius.* Accipio interpretationem Pichenæ : sed ei obstat *τὸ populis. Populum Romanum,* non *Populos Romanos* novimus. Ergo aut inducenda vox ea, ut sit : *suffecisse olim indigenas consanguineis :* aut *populos* faciendum, ut sit, *suffecisse olim indigenas consanguineis populos :* aut denique scribendum, *suffecisse olim indigenas consanguineo populo :* nempe Italicos populo Romano, qui Etruscos, Latinos, Sabinos, &c. miscuerit, et unum ex omnibus sanguinem ducat, ut ait Florus lib. III. 18. Et hoc præfero. *Gronovius.*

Velut captivitas inferatur] V. c. habet *inseratur.* Ursinus.

Aut si quis pauper] Negandi vim habet. Quasi dicat : An aliquis etiam pauper e Latio Senator fiet ? non fiet. Posset etiam, *aut ecquis.* Lipsius.

Aut siquis pauper e Latio senator foret] Forte repetitum intelligitur : Quem ultra honorem pauperibus e Latio, qui Senatores nunc evadere possunt ? Vel potius ait : Si quis pauper e Latio Senator, nulla ei reliqua spes, honorum ac magistratuum adipiscendorum, si omnes divitibus provincialibus occupabuntur. *Pichena.* Si quid mutandum, lege, *residuis nobilium, aut si quis pauper e Latio senator, fore ?* Acidalius.

Ferro vique ceciderint] Ita in meis libris, et recte. Vulgo, *Ferro ignique.* Simile mendum scio esse in Suetonii Claudio, cap. 21. ' Diu cunctatus, an omnes igni ferroque absumeret, tandem e sua sede prosiluit.' Lege, *vi ferroque.* Lipsius.

Ferro ignique ceciderint] Rejicio *vique,* injuriamque a nostro et a Suetonio defendo, Claud. 21. *diu cunctatus an omnes igni ferroque absumeret :* ubi etiam *vi* supponunt : an ubique eadem menda ? Liv. lib. I. Dec. 1. ' vosque Dii testes facio, me L. Tarquinium Superbum cum scelerata conjuge,

et omni liberorum stirpe ferro igni persecutum.' Curtius: 'admiratus Ephestion magnitudinem animi spernentis, quod alii per ignes ferrumque peterent.' Virgil. Æn. IV. 'Exoriare aliquis nostris ex ossibus ultor, Qui face Dardanios ferroque sequare colonos.' *Salinerius.* Optime Lipsius *vique* invexit e mss. quos item firmat manuscript. Covarruvianus. Antea erat, *ferro ignique:* quod hic locum non habet; at habet tamen in Suetonii Claud. 21. Cum enim naumachiarii isti in navibus agerent; æque eis nocere poterat ignis quam ferrum: itaque nihil ibi mutandum. *Gruterus.* Cum a Flor. codice Lipsii lectio confirmetur, probam censeo; vocem autem, *ignique*, adulterinam. Neque solicitus sum de Suetonii verbis in Claud. c. 21. si præsertim libri veteres annuunt, ut dicitur. Libentius legerem, *igni ferroque:* quam, *vi ferroque.* Nam recte quidem a Suetonio dicitur, *igni absumere:* similiter in locis Livii ac Curtii, a Salinerio relatis, *ferro ignique persequi*, et *per ignes ferrumque petere;* at non proprie ab auctore nostro dictum videretur, *igni cædere.* Pichena.

Quid si memoria eorum inoriretur] Abstinui semper a correctionibus; at ubi res necessario monet, nihilo magis soleo manus continere: præsertim quando castigatio una literula mihi stat. Locus iste rejecta *s* litera est inter incorruptos: *quid si memoria eorum inoriretur, qui Capitolio, et ara Romana manibus eorundem prostrati.* Tò *Capitolio prostrati* vice *strati pro Capitolio;* sicut jam diximus, lib. VI. ibi, 'Ut verum Latinium Latiarem.' Et sicut illa Cæsaris lib. II. Gallic. 'prædam militibus donat, exercitum Ligerim traducit:' illa Catulli: 'perambulabit omnium cubilia.' At quinam isti, qui pro Capitolio cæsi stratique sunt? seniores patrum plebisque, a Gallis sæviter discerpti: qui cum recipere se in Capitolium possent, mortem parvi fecere, ut juventus in eo facilius obsidionem toleraret, seque et sacram illam sedem ab injuria prohiberet. Liv. lib. V. 39. 'Si arx Capitoliumque sedes Deorum,' &c. Quod autem ad eam stragem respectum sit, liquet ex verbis Claudii ad ejusmodi respondentis: *capti a Gallis sumus.* Oblita mihi fuerant hæc Thucydidis lib. II. διαδραμὼν δὲ τὸ τῶν Ἀθηναίων στρατόπεδον i. *percurrens Atheniensium exercitum:* ubi Scholiastes, ἀντὶ τοῦ διὰ μέσου αὐτῶν δραμὼν: *pro per medium illorum currens.* Salinerius.

Qui Capitolio et ara Romana] Locus fractus corruptusque, uti oratiuncula hæc tota. Nec ista Attius Navius pater augurum restituerit, sine libris: nedum ut Beatus nobis persuadeat germanam lectionem esse, *qui Capitolio et ara Romana? manibus eorumdem parceretis?* Est enim, inquit, Aposiopesis: subaudiendumque, potiti sunt: qua figura medius fidius vellem ipse usus esset. Mei libri, *memoria eorum memoretur qui Capitolio et ara Romana manibus eorumdem per se satis.* Lips.

Fruerentur satis] Ubi quæsitum fuit ab iis, qui civitatem communicari vellent, an foret, ut Manes vererentur eorum, qui in urbe diripienda, ferro ignibusque vastanda, et oppugnando Capitolio intercidissent; instabant adhuc, si factitiorum civium animos tolleret majorum recordatio, denuo scilicet urbe potiti, 'Fruerentur sane vocabulo civitatis' immo et re ipsa civitate. Hic tantum referam Florentini verba pariter corrupta *quid si memoria eorum moreretur, qui Capitolio et ara Romana manibus eorundem per se satis.* Pichena. Hic quoque locus fractus et corruptus: nec quem persanare hominis est, sine libris. Duo tamen in eo ipso notarim. Legendum potius videri *inireturr*, pro *inoriretur:* et pro *ara*, *arce.* Quamquam de Ara maxima possis capere; tamen verisimilius est de

arce. Nam sic sæpe apud alios auctores *Capitolium* et *arcem Romanam* jungi deprehendes: nusquam *Capitolium* et *aram.* Acidalius. Emenda: *Quid si memoria eorum innovaretur, qui in Capitolio et Arce Romana a majoribus eorundem prostrati?* Vel *innovetur.* Significat multos etiam in oppugnatione Capitolii atque Arcis, qui ex urbe eo confugissent, diutino obsidio a Gallis trucidatos. Justus Rycquius. Ego mihi hunc locum bene persanasse visus sum: *Quid si memoria eorum inoriretur, qui Capitolio et ara Romana, mœnibus eorundem prostratis, fruerentur? Sane vocabulum civitatis; insignia patrum, decora magistratuum ne vulgarent.* Per *aram Romanam* intelligit Tacitus Maximam; quam ut et Capitolium, non fuisse prostratam satis constat. Ger. Vossius G. F. Tentabam: *Recentia hæc: quid si memoria eorum inoriretur, qui Capitolium et arcem Romanam, mœnibus eorundem prostratis?* Intelligo, obsederint ædificiis urbis adflictis incensisque. Ista, quæ recensuerat, ferro vique cæsas legiones, D. Julium apud Alesiam obsessum, recentia et memoriæ nondum exoletæ. At quanto graviore invidia premi posse Gallicum nomen, quanto minus dignos curia Romana visum iri, si mentio etiam fiat illorum, qui mœnibus incensis ac prostratis circa montem Tarpeium et arcem per sex menses minacissimi pependerint. *Gronovius.*

Cap. 24. *Et statim contra disseruit*] Ita Florentinus et melius, quam, *etiam statim*, ut vulgo. *Pichena.*

Postremo ipsam] Romam intellige, et civitatem. *Ferrettus.*

Sed terræ gentesque in nomen nostrum coalescerent] Florentin. absque copula, *sed terræ gentes:* fortasse non improbandum. *Pichena.*

Num pœnitet Balbos ex Hispania, nec minus insignes viros, &c.] Suspecta est mihi vox *Viros* cum Mureto: qui et ipse latere sub ea nomen familiæ alicujus censuit, sed corruptum. *Acidalius.*

Libertinorum filios] Verum ne dixerit ipse Claudius, an ii, quos ipse reprehendit, ex iis verbis docet Suetonius in eodem: 'Latum clavum, quamvis initio affirmasset, non lecturum senatorem, nisi civis Romani abnepotem, etiam libertini filio tribuit: sed sub conditione, si prius ab equite Romano adoptatus esset. Ac sic quoque reprehensionem verens, etiam Appium Cæcum Censorem, generis sui proautorem, libertinorum filios in Senatum allegisse docuit: ignarus temporibus Appii Claudii, et deinceps aliquandiu, libertinos dictos, non ipsos, qui manumitterentur, sed ingenuos ex his procreatos.' Sic accipe de eodem Appio scriptum apud Livium lib. IX. extremo. *Vertranius.*

Non, ut plerique falluntur, repens] Potior mihi vox, *repens*, quæ habetur in Flor. quam, *recens*, ut in vulgatis. *Pichena.*

Cap. 25. *Soli Gallorum fraternitatis nomen cum Po. Ro. usurpant*] * Asconium videat studiosus lector. Ideo hoc loco ait Tacitus Heduos *fratres* Po. Ro. dictos esse: atque Cicero in epistolis ad Trebatium eos *fratres* vocat. *Lupanus.*

Vetustissimum quemque e senatu] Patricios, nobiles, Senatorum progeniem, ex illustribus familiis natos, opibusque pollentes, seminarium Senatus fuisse, nemo nescit. At vero in numerum patriciorum asciri *vetustissimum quemque e Senatu*, quid sit Cornelio, in difficili est. Argutulus Claudium dicet in numerum patriciorum Senatores retulisse: siquidem patricii, jure civili, sunt, quos princeps sibi in patres adlegit. Sed *ordo Patriciatus* non fuit in veteris imperii statu, neque pro patre principis accipitur *Patricii* nomen, nisi in Cassiodori, Sidonii Apollinaris, et similium, vel in Græc. Cæsarum scriptis. Ad rem: paucis jam superstitibus ex familiis

Patrum, quos Romulus *majorum gentium* dixerat, et ex familiis *Conscriptorum*, quos *minorum gentium* dictos, Tarquinius et Brutus in Senatum adlegerant, Claudius Cæsar voluit Senatum e Patriciis ætatis legitimæ, justique Census explere. An igitur princeps Senatorem e Senatu in numerum Patriciorum adsciverit, ut ex eodem Senatorum paucitati mederetur? Plus quam ridiculum sit hoc dicere. Quare lectionem receptam muto, ut ita legas, *In numerum Patriciorum ascivit Cæsar vetustissimum quemque e se natum, aut quibus clari parentes fuerant:* cujusmodi possit videre L. Otho, quem allectum inter Patricios Claudius ipse collaudavit. Suetonius Othonis initio. Consimili dicendi forma paulo ante usus hic auctor est, ibi, 'Curtius Rufus videtur mihi ex se natus:' id est, qui sibi ipsi debeat initium nobilitatis suæ, licet ei virtute nobilitateve majores nulli præluxerint. *Vertranius.*

Lege Senia] Malim *Sentia*, a Consule Sentio, quamvis neque ullum de ea certum profero testimonium; at *Seniam*, nemo, quod sciam, dixit; nemo legit alibi. *Vertranius.*

Multo gaudio Cæsaris inibantur] Vix me teneo quin adseverem concinniorem fore auctoris sententiam, si reponamus *mutuo gaudio Censoris;* sive fuit *Cæsaris.* Gruterus.

Mitem et recens repertam, quam ex severitate, &c.] Pessime depravatus fuerat hic locus ab iis, qui pro, *quam*, substituerunt *quandam.* Merito ergo sagacissimus Lipsius odoratus erat, negationem deesse: cui consonans est lectio, quam ex Flor. codice reposui. Subintelligitur enim, *potius*, Corneliano more. *Pichena.* Lipsius ad sententiam inserit, *haud ex severitate prisca.* Sed hallucinatur certe. Usum hunc præpositionis *ex* astruo exemplo Symmachi ep. IX. 92. ubi plura dicemus. Verba Symmachi sic habent: 'Instar beneficii erit, si mihi contingat de te ex voluptate securitas.' *Acidalius.*

Ex severitate prisca] Alucinor, aut scribendum voce addita: *Haud ex severitate.* Sententiam eam esse, id mihi certum. Hæc ita scripseram: sed ecce Pichena ex Florentino codice vere emendat: *repertam, quam ex:* sententia illa mea, id est (Corneliana phrasi) *potius quam.* Lipsius.

Jus exeundi ordinis] Solos Ciliciæ abite nebulones. Enimvero Latinitas scribi vult, *ordine:* aut potius, *exuendi ordinis.* Ita lib. III. 'Piso exuta dignitate in decem annos relegatur.' *Idem.*

Ut judicium censorum ac pudor sponte cedentium] Faërnus legebat: Ut judicium censorium, &c. *Ursinus.*

Finis inscitiæ erga domum suam fuit] Nescio an melius, *circa.* Acidalius.

CAP. 26. *Etiam Silius, sive fatali vecordia, an imminentium periculorum remedium, &c.*] Hicne ut Tacitus *sive* illud scripserit? Non solet ita, ut *an* subsequatur; nec id adeo quisquam probatorum. Delendum aut mutandum, *etiam Silius ipse, fatali vecordia, an, &c.* Acidalius.

Quippe non eo ventum, ut senecta principis opperiretur] Sic restitui ex Floren. verbum. Vulgo, *operiretur*, ambiguæ significationis. *Pichena.* Venetus, *senectam principis opperirentur*, melius omnino quam alii, *senecta principis opperiretur.* Freinshemius.

Insontibus innoxia consilia; flagitiis manifestis] Lego, *flagitii manifestis;* quæ dictio elegantissima et Tacito frequentissima. *Acidalius.*

Sed ne Silius summa adeptus] Scripsimus quod in volumine Budensi habebatur, *summam adeptus.* Intelligitque summam rerum. Sic lib. seq. *summamque R. P. agi obtestans.* Rhenanus. Vulgo legitur, *summa adeptus*, in quibusdam tamen codicibus scriptum comperi, *summam adeptus:* cæterum priorem lectionem magis probo. *Ferrettus.*

Cujus apud prodigos] Quam *Infamiam* qui prodigunt et profundunt, nihil habent præterea voluptatis: nam, ut scribit Seneca, 'Improbarum voluptatum post ipsas pænitentia est:' vel quibus infames esse contigit, nihil superest præter voluptatem. *Idem.*

Cap. 27. *Nedum consulem designatum*] Ob beneficium a principe Silio collatum, designato consulatu fabulosius visum iri Cornelius significat Silium cum principis uxore in matrimonium convenisse. Sed Dio l. xl. de Messalina inquit, 'C. Silio nupsit, magnoque sumptu nuptias paravit, regiamque ei donavit, preciosissimis quibusque Claudii rebus in eam congestis, denique consulem eum designavit.' Cujus loci faciet auctoritas, ut ingeniosus malit *nondum consulem des.* scilicet, Silium, cum maritus fieret et certe dulcis eo solo verbo fieret oratio, quæ *nedum* retinenti scabra rudisque videtur. Sed tuenda Taciti persona est, tenendaque lectio vetus, quo sui semper scriptor similis sit: qui hujus Annalis initio de C. Silio consule designato, et infra statim de proximo ejus consulatu meminit. *Vertranius.*

Adhibitis qui obsignarent, velut suscip. liberorum] * De tabellis Messalinæ et Silii, Suetonius ita scribit: 'illud omnem fidem excesserit, quod nuptiis, quas Messalina cum adultero Silio fecerat, tabulas dotis et ipse Claudius consignaverit: inductus, quasi de industria simularentur, ad avertendum transferendumque periculum, quod imminere ipsi per quædam ostenta portenderetur.' *Idem.*

Noctem denique actam licentia conjugali] Videndum an illud *denique*, mutandum sit in *diemque.* Ursinus. Apage Murete, *noctem diemque.* Acidalius.

Sed nihil compositum miraculi caussa, verum audita scriptaque senioribus] *tradam*] Quis hic sensus? quæ seniores audierunt scripseruntque? an quæ scripta ab aliis, et a senioribus mihi tradita? Illud verba præferunt: hoc Lipsius voluisse videtur ad Ann. ii. in fine. At tum trajicienda erant verba: *verum scripta auditaque a senioribus tradam.* Hæreo. Nisi forte legendum: *verum audita scitaque senioribus.* Vide ad Ann. ii. extremum. *Idem.*

Cap. 28. *Dum industria cubiculum*] Regem olim feci, qui emendasset hunc locum: itaque concursum a multis ad coronam, et non unus mihi indicavit scribendum: *Dum histrio cubiculo Principis occultatur, dedecus:* verissime. Intellegit enim Mnesterem illum Pantomimum, qui diu in deliciis Messallinæ. Libri scripti non longe abeunt ab hac lectione, *Dum instruo cubiculum Principis exultavero, dedecus.* Possis extrema item scribere, *cubiculo Principis exsultat, vere dedecus.* Lips.

Dum industria cubiculum principis occulit adulteros] Corruptus locus est, nec quicquam hic minus scribendum quam vocabulum *industria.* Exemplar regium hic crucicula notatum erat, et variis lituris rasurisque fœdatum. Videtur tamen antiquior lectio fuisse: *dum inclusum in cubiculum principis exultat:* et postea quidam inseruit *cum* præpositionem et superinscripsit, *adultero,* idque ceu videtur propter *exultandi* verbum. Opinor sinceram esse lectionem, *Dum inclusum, cubiculum principis occultat, dedecus quidem illatum;* sed mox, *propinquoque consulatu,* reposuimus, *ac propinquo cons.* Item cap. 29. *acrioribus consiliis,* pro *acribus.* Rhenanus. Quasi intus et domi, verbo repetito a vetustate. *Industrium* enim antiqui dicebant *indastrium,* quasi quicquid ageret intro strueret et studeret domi autore Sexto. Alioqui otiosa est hic ea dictio, vel potius abundat. *Ferrettus.* Mss. codices notæ melioris corrupte habent: *dum histrio cubiculum principis exultavero, dedecus:* pro quo veteres

editores reposuerunt vulgatum. Libet certe nostro seculo gratulari, in quo neminem puto adeo immodestum, qui in gravissimorum autorum libris emaculandis sic longe aberret, suæque libidini indulgeat. Lipsius non male corrigit. Sed ego, quem puduit vulgatam depravatamque scripturam in Tacito relinquere, emendationem Francisci Medicis existimavi anteferendam; *dum histrio cubiculum principis persultaverit:* nam et mutatio est aliarum levissima, et sensus, ni fallor, ad Taciti mentem maxime accommodatus. Fuit quidem ille vir, præterita ætate, illustris doctrinæ et ingenii, contulitque etiam ipse Ms. Florentinum, atque in margine sui codicis multa adnotavit. Quæ cum mecum Julianus Medices, ipsius ex filio Raphaële nepos, illique persimilis, humanissime communicaverit, magno mihi usui fuere. Quod minime fuit reticendum. *Pichena.* Haud necesse arcessere longinquiorem medicinam, si, mutato *cubiculum*, in *cubiculo*, capiamus vocem *industria* casus primi. *Gruterus.* Reges Lipsio sunt, qui hunc locum emendarunt sic, &c. Equidem paullo majori licentia opus est in principio. Lego, *Dudum cum histrio.* Extrema mutat etiam aliter Lipsius ex scripta lectione. Sed ejus mutatio non placet. Magis hæc: *Dudum cum histrio cubiculo principis exultaverat, dedecus quidem illatum, &c.* Vel etiam *allatum. Dudum cum* plane requiritur, si illud oppositum *nunc* spectas. Acidalius. Lege, *dum histrio cubiculum principis exsultat, viro dedecus illatum quidem, sed excidium procul abfuisse. Exultare* proprium histrionis, ἐξορχεῖσθαι. Inde eleganter *cubiculum principis exultare*, qui torum ejus persultabat et uxorem stuprabat. *Exultare* idem quod desultare vel persultare. Festus: *Redantruare dicitur in Saliorum exsultationibus.* Ubi *exsultationes* sunt ὀρχήσεις vel ὀρχήματα. Hoc est igitur, quod querebantur domestici principis, quibus volentibus non erat matrimonium palam contractum Messalinæ et Silani: nam antea cum inter adulteros Messalinæ etiam histrio cubiculum principis persultaret, viro quidem dedecus illatum, sed abfuisse excidium: *Discidium* etiam legi potest. Ut et *hero quidem dedecus illatum;* nam de domo principis erant, qui ista loquebantur. Et hoc verius puto. *Salmasius.* Sed ubi alias apud Tacitum, gravioresque auctores, Principis, *heri*, datur cognomentum? Non dubito, quin iis, qui sic emendant, hoc sit suspectum. Melius fuit, *viro*, minusque sic abitur a vestigiis antiquæ scripturæ: quomodo etiam vir maximus ad Tertulliani Pallium. At potius, antiqua vestigia illa sequutus proxime, ita lege: *Dum histrio cubiculum Principis exsultat adulterio quidem dedecus illatum, sed excidium procul abfuisse.* Ex prostremis literis τοῦ *exultat*, ut plerumque fit, non repetitis in membranis, et cum *vero* a nobis conjunctis, nascitur, *adulterio. Exsultat cubiculum principis*, ea Corneliana phrasi, qua Ann. I. 'Quintilii Vari corpus inclusisse dicebatur.' Sensus autem apertus est. Adulterium nempe distinguitur a matrimonio, superstite Principe, cum alio inito. Illo dedecus, hoc exitium Principi procuratum. Confer cum his Orationem Narcissi, quæ pag. proxima exstat, hac de re apud Claudium habitam. *Boxhornius.* Me non offendit vox *hero:* non enim id agitur, quale cognomentum principi detur apud Tacitum et graves auctores, ut Marcus desævit; sed quemadmodum patremfamilias, præsertim principem, in familiari sermone appellaverint servi et liberti: quorum profecto personis hoc vocabulum mirabiliter convenit: nam, ne libertos excipias, quorum *servilia ingenia* Tacitus agnoscit, eos non dedecet interim loqui more vernarum. Sed tamen, ne quid dissimulem, et *hero*, et *viro*, et *adul-*

terio, &c. * Gronovius.

Sed excidium] In Florentino est, *sed et scidium:* e quo Pichena, *dissidium.* Sed profecto plus quam dissidium hic timebatur, et *exitium*, atque extrema. *Lipsius.*

Excidium procul abfuisse] Flor. *sed et scidium.* Unde veram lectionem suspicor, *sed dissidium:* ut sit sensus; Quantumvis petulanter et impudice se gesserit Messallina, nondum tamen eo infamiæ pervenit, ut de dirimendo Claudii matrimonio cogitarit. Nunc vero hoc etiam agitat, cum Silio nupserit. Videtur sententia confirmari ex eo quod inferius ait: *an dissidium tuum nosti?* Et in Mss. observavi, sæpe pro, *dissidium*, scriptum esse *discidium.* Pichena. Alii melius *exitium.* Acidalius.

Dignitate formæ, juventa] Ita lego, non *forma.* Dignitas formæ proprie de viris, uti notat vetus litterator Agrætius. Illud, *juventa*, suspectum facit Vatic. qui refert, *Vimentis:* ex quo Palmerius diductim legebat, *vi mentis.* Lipsius.

Juvenem nobilem, dignitate formæ, vi mentis] Lectionem Florentini anteposui; nam vulgati pro, *vi mentis*, habent, *juventa.* Inepte quidem, cum præcesserit, *juvenem:* et sic sibi invicem respondent, dignitas formæ, et vis mentis. Quod autem Lipsius correxit, *dignitate formæ*, nihil certius puto: id ipsum enim a Tacito usurpatur lib. XII. 'et dignitate formæ haud degenerem reputantes.' *Pichena.* Vox *juventa* non modo suspecta falsi, sed plane falsa. Quid enim hæc vult, cum præcesserit *juvenem nobilem.* Nec Palmerius placet, qui ex Vaticani *vimentis*, diductim facit, *vi mentis.* Acidalius.

CAP. 29. *Ac primo Callistus jam mihi circa mortem Cæsaris narratus*] Eruditiss. vir (ut est ingenuæ veritatis) autumat hanc totam periodum cum sequenti, *perstitit Narcissus, solum id immutans*, suum fugere captum. Ego vero (si non me nimis indulgeo) reor ea esse mihi cognita, quæ connexa consentaneaque tibi dilucidabo. Pallas, Callistus, et Narcissus, &c.* *Salinerius.* Videndum est an addendum sit prænomen Caii, ut Faërnus legebat: *Ac primo Callistus jam mihi circa mortem C. Cæsaris narratus, &c.* Ursinus. Callistus Dioni Cassio lib. LIX. libertus Caii Cæsaris Caligulæ, et cædis ejus conscius est: de quo libris superioribus, qui interciderunt, se meminisse Cornelius intelligit. *Vertranius.* Magis proprie Flor. *circa necem.* Vulgo *circa mortem.* Pichena. Certum puto verbo *Cæsaris* vix alium intelligi apud historicos, Tacitum præcipue, quam dictatorem Cæsarem, vel illum certe, qui eo tempore, de quo sermo institutus est, imperio præsideret: ut non dubitem fuisse *circa necem C. Cæsaris*, atque istuc *C.* notam prænominis Caii ab ignaro librario pro supervacuo fuisse habitum. C. autem Cæsar ubique fere appellatur hic Caligula, exempli gratia in nostro infr. XIII. 3. 'Etiam C. Cæsaris turbata mens,' &c. *Freinshemius.*

Appianæ cædis molitor Narcissus] Annalis hujus initio, sive libro præcedenti, de nece Appii Silani a Tacito scriptum conjicio, quod hic obiter tantum ejus mentio est. De illo Cassius lib. LX. et Tranquillus eadem retulere, et hujus verba sunt: 'Appium Silanum cum Messalina et Narcissus conspirassent perdere, divisis partibus, alter ante lucem similis attonito, patroni cubiculum irrupit, affirmans somniasse se vim ei ab Appio illatam: altera in admirationem formata, sibi quoque eandem speciem aliquot jam noctibus obversari retulit. Nec multo post ex composito irrumpere Appius nunciatus, cui pridie ad id temporis, ut adesset, præceptum erat, quasi plane repræsentaretur somnii fides: accersi statim, ac mori jussus est.' Claudii 37. *Vertranius.*

Flagrantissimaque eo in tempore gratia Pallas] Ita Flor. Vulgo, *eo tempore.* Sic alibi Tacitus. *Pichena.* Muretus, *in tempore.* Ea quidem Taciti phrasis, nec asseverem tamen hic usurpatam. Lib. XII. 'Non abnuere pacem Iberos, quamquam in tempore validiores.' Ubi quidem certa ejus notio de præsenti: nam alias ambigua de futuro: ut eod. lib. XII. 'Truculentior quam antea, tanquam adversus defectores, et in tempore rebellaturos.' Potuit et *in eo tempore* scripsisse: ut alibi l. XIII. 'Pons Milvius in eo tempore celebris nocturnis illecebris erat.' *Acidalius.*

Num Messallinam secretis] Obscura examinanti, nec scio an satis nexa. Sententia videtur: Deliberasse libertos bifariam; primo, an ad Claudium deferrent, quæ pars prævivit: hic jam, an ipsam Messallinam secreto de Silio monerent, alia adulteria dissimulantes. Destitere ab utroque alii: *Narcissus perstitit,* sed in sententia priore, id est de Claudio admonendo. *Lipsius.*

Perstitit Narcissus, solum id immutans] *Et* particulam expunximus. *Rhenanus.* Addit Flor. *ut solum id immutans.* Venetus, *et solum:* certe de aliquo defectu suspicionem augent: nam quanto magis aciem adhibeo, verba illa, *solum id,* aut corrupta, aut mutila. *Pichena.*

Quarum is corpori] Vatic. *corporibus.* Lipsius.

CAP. 30. *Cis Vectium Plancium*] Illic est semper *Plautius.* Rhenanus. Hic locus fœdissime corruptus est, usque ad ea verba, *An dissidium.* Immo aliquid procul dubio deest. Principio Vectii Plancii mentio nulla est apud hunc alibi, aut apud alios, qui de Claudio scripsere, quantum nunc memini. Vectii Valentis infra tamen meminit frequenter, tanquam indicium offerentis remque confessi. Deinde quid est, *non fuisse eum nunc objecturum adulteria, ne redderet domum et servitia?* nam si ad Claudium referuntur, cur inquit statim: *Frueretur immo iis?* Sin autem ad Silium aut Messalinam, cur non erat dicturus adulteria, ne redderent hæc principi, quibus auctæ fuissent res principis? Quamobrem omnino desideratur aliquid et locus est contaminatissimus: ubi aliud nihil possis quam temere addere et divinare. *Ferretus.* Mendis fœdatus locus hic est, eo usque, *an discidium.* Et quod ignotus sit historicis omnibus Vectius Plancius, et quod ad Claudium referri scriptum minime possit, multa deesse suspicor, quorum est apud me desperata restitutio, ut ante Æmylio Ferretto fuit. Neque vero quicquam attinere ista puto ad Vettium Valentem, de quo mox Cornelius; neque quicquam ad Aulum Plantium senatorem, qui rebus prospere in Britannia gestis, ut est inf. l. XIII. et apud Suetonium et Dionem, a Claudio laudatus, ovans urbem ingressus est. *Vertranius. Quod ei cis Vectium, cis Plautium dissimulavisset,* emendavit Lipsius, nam turbant libri veteres. Man. corrupte: *quod ei cis vetticis Plautio.* Forte, *quod ei de Vectio et Plautio dissimulavisset.* Pichena. Conjicio: *quod ei scelus Vectii, scelus Plautii dissimulavisset.* Nam illud *cis* Tacito insolens, nec sic ab auctoribus usurpatum. *Aurelius.* Non jam rogo, ut Taciti lectores inspiciant aliorum in hunc locum conatus (sunt enim tantum conatus, neque alio nomine laudandi,) sed modo Ms. Florentini lectionem. Illa tandem nos, ni fallor, verissimam docebit et absolvet. Sic habet; *Quod ei cis Vecticis Plautio dissimulavisset.* Premamus jam singulas litteras et sic constituamus totum locum: *Quid enim si Vectios, Plautios, dissimulavisset? Nec nunc adulteria objecturum, ait.* Veniam petit Narcissus, Messalinæ cum Silio conjugium principi expositurus, quod priores adulteros Messalinæ ad principem non detulisset. Post quæ ex-

clamat: sed vix sibi propterea venia esse opus. Quid enim eo peccatum, quod Vectios, Plautios, Messalinæ adulteros, apud Principem hactenus dissimulaverit? Non fuisse illam rem cum exitio ejus conjunctam. Neque proinde nunc etiam adulteriorum Messalinæ facturum mentionem. At jam sibi minime silendum, postquam Messalina palam Silio nupsisset, et in præsentissimum discrimen fortuna Principis esset conjecta. *Ei* pro *enim* in Mss. fere invenies, virgula aliquando, subinde nulla, superimposita. Illud *Vecticis* totidem apices continet ex quibus *Vectios* facias. Quem accusativum pluralem etiam vult illud *Plautio*, pro quo *Plautios* scribendum esse quis diffiteri audeat? Et sic alibi loquitur noster: 'Matios posthac et Vedios, et cætera Equitum Romanorum prævalida nomina, referre nihil attinuerit.' Annal. XII. Paulo post lege: *Frueretur imo iis, at redderet uxorem, rumperetque tabulas nuptiales.* Minus est dicentis impetu τὸ *et* vulgatum. *Boxhornius.*

Ne domum, servitia, et ceteros fortunæ paratus reposceret] Contaminatissimum locum Ferretus esse vult: qui mihi castus, purus. Invidiosa concessione libertus, Fruatur sane, inquit, Silius domo tua, servis, veste, et gaza omni regia (nam hæc tralata ab adultera ad Silium, notante etiam Dione); reddat saltem uxorem. *Lipsius.*

Ne domum, servitia, &c. reposceret] Melius legas *nec domum, servitia, &c. reposcere.* Hoc ait, non ideo accusationem Silii ab se institui, ut domum aliaque ex patrimonio principis ei dono a Messalina data repeteret: quin frueretur iis, nec enim in tanta atrocioris delicti enormitate levia ista animadversione digna esse, sed alia longe graviora subesse innuit, dum eum uxorem Principi jubet reddere. *Freinshemius.*

Et cæteros fortunæ apparatus] Scripsimus, *paratus*: quod verbum usurpat sæpe Tacitus. Ut supra, 'Servi, liberti, paratus principis apud adulterum visebantur.' Lib. III. 'Ventris et ganeæ paratus assiduis sermonibus vulgati.' Lib. V. 'Et columen partium Abdageses gazam et paratus regios adjicit.' Item lib. XV. 'Parthi omisso paratu invadendæ Syriæ.' Hist. lib. I. 'Studia militum jampridem spe successionis, aut paratu facinoris affectaverat.' Hist. lib. II. 'Igitur navium, militum, armorum paratu strepere provinciæ.' Eodem lib. 'Ita Vitellii paratus noscebantur.' *Rhenanus.*

An dissidium, inquit, tuum nosti] Et hic Tacitus scripsit, *discidium.* Numquid scis tibi nuntium remissum? divortium tecum fecisse Messalinam? *Gronovius.*

CAP. 31. *Tum potissimum amicorum vocat*] Imo, *potissimos.* Mercerus. An id est, Narcissum amicorum primum et optimum appellat? Non puto. Sed legendum: *Tum potissimos amicorum vocat.* Et postea, *percontatur:* qua de re? Non de uxoris facto: sed quid sibi nunc agendum. Quæ caussa est, ut non *fatentibus*, sed veterem lectionem *tacentibus* deinceps amplectar. Tacebat nempe Turranius et Geta, quid consulerent, aut saltem responderent, in re subita ignari. *Acidalius.* Aut excidit hic vox *quemque*, aut legendum est *potissimos.* Freinshemius.

Primumque rei frumentariæ Præf. Turranium] Dixi aliquid ad l. I. Annalium, et videtur primus in hoc munere fuisse. Tamen ambigo de tota hac sententia, et ne verius legi: *Tum potissimos amicorum vocat, primumque rei fr. Præf.* hac mente: vocat præcipuos amicos, ac primo Turranium, deinde Getam. *Lipsius.*

Præfectum Turranum] Scripsimus, *Turranium.* Rhenanus.

Quibus fatentibus] Libri mei scripti, *tacentibus. Lipsius.*

Quibus fatentibus, tum certatim ceteri circumstrepunt] Lipsius ait, scriptos li-

bros habere, *tacentibus*: at Florentinus, *fatentibus*. Pichena.

Adulto autumno] * secunda, *adulta*; tertia, *præceps*. Sic Marcellinus *adulta hieme* dixit l. xx. 'Adulta hieme dux antedictus Bononiam venit.' Tacitus rursum Hist. I. seditionem incipientem vocat *necdum adultam*. Item Hist. III. dixit 'adultam noctem.' 'Donec,' inquit, 'adulta nocte, luna surgens ostenderet acies, falleretque.' Rursum Hist. v. dixit, 'Parthis nondum adultis:' pro eo quod est, qui nondum invaluerant. Quo sensu l. III. dixit, 'prævalida et adulta vitia.' Alibi, *adulta æstate*, infra legitur, id est, jam provecta æstate. *Ferrettus.*

Per domum celebrat] Scripsimus, *celebrabat*. Rhenanus. Gregorius Turonensis l. v. 30. 'Procedente autem eo ad villam, ut juxta ritum imperialem xxx. diebus ad Vindemiam jocundaretur.' *Gronovius.*

Ut sacrificantes vel insanientes Bacchæ] Muretus deletis duabus vocibus, *ut insanientes Bacchæ*. Ego probem. *Acidal.*

Ipsa crine fluxo, thyrsum quatiens; juxtaque Silius hedera vinctus, gerere cothurnos] Eodem habitu Antonium depingit Velleius, qui Liberum se ferebat: 'Cum Liberum patrem appellari se jussisset, cum redimitus hedera, coronaque velatus aurea, et thyrsum tenens, cothurnisque succinctus curru velut Liber pater vectus esset Alexandriæ.' De cothurnis, etiam Virgil. 'nudataque musto Tinge novo mecum direptis crura cothurnis.' De thyrso, præter alios, Justinus: Ὥσπερ αἱ Βάκχαι διὰ σχήματος εἰρηνικοῦ τὰς λόγχας ἐν τοῖς θύρσοις περιφέρουσιν: id est, *Veluti Bacchæ per speciem habitumque pacis lanceas in thyrsis circumferunt*. Vide et Plinium xvi. 21. Athenæus ejusmodi Bacchi insignia in Pyrrhicha saltatione recepta fuisse ostendit l. xiii. Ἡ δὲ καθ' ἡμᾶς πυῤῥίχη Διονυσιακή τις εἶναι δοκεῖ, ἐπιεικεστέρα οὖσα τῆς ἀρχαίας. Ἔχουσι γὰρ οἱ ὀρχούμενοι θύρσους ἀντὶ δοράτων, προΐενται δὲ ἐπ' ἀλλήλους, καὶ νάρθηκας, καὶ λαμπάδας φέρουσιν. Ὀρχοῦνται δὲ τὰ περὶ τὸν Διόνυσον, καὶ τὰ περὶ τοὺς Ἰνδοὺς, καὶ τὰ περὶ τὸν Πενθέα. Quæ verba lucem dare volo iis, quæ hic præcedunt, 'feminæ pellibus accinctæ assultabant, velut sacrificantes vel insanientes Bacchæ.' *Lipsius.*

Ferunt Vectium Valentem] Deprehendimus in codice Budensi scriptum, *fertur*, id accipiendum impersonaliter. Et bene habet lectio. *Rhenanus.*

Cap. 32. *Igitur Messalina Lucullianos in hortos*] Miror quod in codice Budensi hoc loco reperi, *Fultianos in hortos*. Sed et paulo post, *Lucullianis in hortis*, illic rursum scriptum, *Lucianis*. In libello de regionibus urbis Romæ fit mentio *hortorum Lucullianorum* regione nona. *Rhenanus.* Flor. *Fucilianos*; ac plerique alii veteres, *Lucilianos*. Lipsius etiam de lapide quodam Romæ testatur, qui prædiorum Lucilianorum meminit, et idem Florent. prope finem hujus libri, ubi vulgo legitur, *Lucullianis in hortis*, clare habet, *Lucilianis*. Tamen nihil muto; nam et initio libri Tacitus dixit, *a Lucullo cœptos*, et Plutarchus idem confirmat. *Pichena.*

Silius dissimulando metu, ad munia fori digrediuntur] Ita ex Flor. restitui, et vere, nam de Messalina et Silio intelligit. Male vulgo, *digreditur*. Pichena.

Dissimulando metu] Non me fugit hoc Latine eleganterque dici pro dissimulando metui, sive ob metum dissimulandum. Sed tamen in exemplari scripto manifeste legebatur, *dissimulando metum*. Rhenanus.

Quamquam res adversæ consilium adimerent] In codice Budensi est *eximerent*. Nec improbanda lectio. Nam *eximere consilium*, est veluti differre. Sed et *eximitur*, quod adimitur. Sic l. xiii. 'Quia dissimulationem nox et lascivia exemerat.' *Rhenanus.* Flor.

eximerent. Pichena.

Vetustissimam oravit] * *Maxima* proprie princeps collegii, ut *Pontifex maximus*, *Augur maximus*, *Curio maximus.* In quo Lipsius de Vesta c. 7. nudum latus objecit Gutherio de jure Pontif. I. 4. qui tamen ipse hac occasione ingerit, quæ nunquam defendet. Quid est enim *Pontificem maximum* dici, quod maximi esset imperii; et nuncupatum a potestate et imperio, quod utrumque maximum legibus Romanis sit assequutus. Nugæ de Pontificum imperio: Sigonio, cui obtrectat, manus dare debuerat. *Maximus* autem qui primum inter eos locum teneret, collegiumque cogeret atque ei præsideret. Pari judicio *prætorem maximum* facit urbanum, quem M. Tullius dixerit *primum.* Verba Ciceronis: ‘Me cum quæstorem in primis, ædilem priorem, prætorem primum cunctis suffragiis populus Romanus faciebat.’ Quemadmodum nullus nuncupatione propria *Quæstor* est *in primis*, nec *Ædilis prior*, ita nec *prætor primus:* tantummodo ante collegas se renuntiatum significat. Sed nec in prætoribus, quales intelligimus, qui jure dicundo præessent, ullus *maximus. Majorem* et *minores* novi. Festus: ‘Majorem consulem L. Cæsar putat dici vel eum, penes quem fasces sint; vel eum, qui prior factus sit; Prætorem autem majorem Urbanum, minores cæteros.’ Quemadmodum autem *consul maximus* non dicebatur ille major, ita nec major ille *prætor maximus.* Sicubi autem occurrit hic titulus, *Prætor maximus* est maximus magistratus. Ut apud Livium l. VII. ‘Ut qui prætor maximus sit, idibus Septembribus clavum pangat.’ Hunc ut haberent, dictator dictus L. Manlius. Olim enim *Prætores*, qui postea *consules*, a Bruto nempe Tarquinioque ad communicatum cum plebe consulatum, cum magistratui jure dicundo datum hoc nomen; iis autem, qui antehac *prætores* fuerant dicti, *consulum.* Festus in *Prætoria porta.* Livius, quem margini Gutherius allevit l. XXV. ex vate Marcio prætorem nominat, ‘qui jus populo plebique dabit summum,’ non, Prætorem maximum. Nihilo magis eum juvat Festi: ‘Maximum prætorem dici putant alii eum, qui maximi imperii sit; alii, qui ætatis maximæ.’ Veriorem esse priorem sententiam liquet ex Livio. Addit: ‘Pro collegio augurum decretum est, quod in Salutis augurio prætores majores et minores appellentur; non ad ætatem, sed ad vim imperii pertinere.’ Hoc aut consentit cum illis verbis, quæ supra adduximus: aut ibi *prætores majores et minores*, ipsi fuere consules et prætores: nam imperium minus prætor, majus habebat consul, ut ex Messalla refert Gellius I. 15. *Gronovius.*

CAP. 33. *In eodem gestamine sedem poscit assumitque*] Ita Flor. vulgo, *poscit sumitque.* Pichena.

CAP. 34. *Largus Cæcina*] In codice Budensi *Largius Cæcina.* Paulo post: ‘Et ad minas prorumpentem;’ lectio codicis scripti habet *erumpentem.* Rhen.

Cum obstreperet accusator] Lege, *obstrepere.* Acidalius. Hæc lectio subsistere non potest, quoniam nihil sequitur, quod necessario fit quoties conjunctivus talis præcedit. Quoties enim hæc audis, *Cum obstreperet accusator*, exspectas quid eo obstrepente factum fuerit. Sed legendum, *cum obstrepere accusator.* Hoc est, obstrepebat, modo loquendi valde usitato auctori. Et *cum* hic valet tum, illo tempore, sicut a principio l. IV. supra: ‘cum repente turbare fortuna cœpit.’ Et simillima huic verborum positio est in his Tac. II. 31. ‘cum Libo, &c. vocare percussorem, prensare servorum dextras, inserere gladium.’ Denique *cum* hac significatione positum nunquam admittit conjunctivum; quod pluribus exemplis ostendere promptum foret; sed fes-

tinamus, nec etiam de hac re cuiquam mediocriter erudito dubitari credimus. *Freinshemius.*

Vibidiam depellere nequivit, quin multa cum invidia] Illud, *quin*, ex Flor. reposui melius quam vulgo, *quæ*. Pichena.

Quæ multa cum invidia flagitaret] Lego: *flagitare*. Quod tamen retineri potest, sed distinctione mutata, ut cum sequentibus nectatur: 'Quæ multa cum invidia flagitaret, ne indefensa conjunx exitio daretur; ergo auditurum principem, et fore diluendi criminis facultatem, respondit.' *Acidalius.*

CAP. 35. *In vestibulo effigiem patris Silii consulto Senatus abolitam demonstrat*] In atrio sive in vestibulo ædium, imagines majorum: uti hic Silii patris. Sed enim Silius Legatus olim inferioris Germaniæ damnatus crimine majestatis cum uxore Sosia Galla, ut l. IV. narratum: ideoque et imagines abolitæ, quas tamen filius restituerat. Criminatur ergo id libertus. *Lipsius.*

Quidquid habitum Neronibus] Lege, *avitum*: quod monuit me Jc. Claudius Chiffletius. *Idem.*

Tum quicquid habitum Neronibus et Drusis] Jam pridem Faërnus *avitum*, pro *habitum*, emendavit, ut alibi etiam, *avitas*, pro *habitas*. Paulo post scribendum est, *Cæsoninus*; ex antiquis titulis. *Ursinus.*

Custodem Silio ac Messallinæ datum] * Vertranius inexplicabilem locum censet, nisi custodem pro exactore interpretemur, scilicet qui mortis pœnas exigat. Verum merumque somnium. *Lipsius.* *

Titium Proculum custodem Silio ac Messalinæ dat] Suspicor scribendum, *datum*. Rhenanus. Sic Beatus: sed fallitur, cum ex eo necatum Proculum adversus scriptoris sensum exaudiat. Et certe inexplicabilis est locus, si scriptionem mutes, nisique ita exponas, *custodem Sil. et Mess. dat*, qui mortis pœnas exigat. Sic paullo infra: 'Custos et exactor e libertis Euodus datus.' Idem enim custos salutis et mortis exactor esse potuit eorum jussu, quibus jubendi potestas erat. *Vertranius.* Optima lectio, quæque omnium castigationibus merito antevertat. Adulteri ministrique Messalinæ supplicia subeunt: quorum Silius (ut reor) tribuni manu: nam principes viri ab his capite truncabantur. Tacit. Ann. xv. 'Pœna Flavii Vejano Nigro mandatur.' Et hic de Plautio Laterano, 'manu Statii tribuni trucidatur.' At carnifex occidit Urbicum, Trogum, et Valentem: *tradi ad supplicium jubet.* Titius vero Proculus, minister amorum Silii, et Messalinæ, militibus laniandus a Claudio datus est, qui universos seditiosis vocibus exposcebant. Ad eam faciem Cleander permissus est plebi vociferanti: *plebi ad pœnam donatus est.* At *custos Silio ac Messalinæ* vice *custos Silii ac Messalinæ.* Plaut. Curcul. 'Et quidem reliqui in ventre cellæ uni locum.' Noster Ann. II. 'Is rex Iberis, idemque Mithridatis frater.' Thucydides l. I. διότι τὸ μὲν λιποῦν ἔχει ἤδη τὴν αἴσθησιν ἑκάστῳ. Dixi *custodem* positum pro *ministro.* Virgilius affirmat l. XII. et ibi Serv. 'At Triciæ custos jam dudum in montibus Opis.' Ea recte ministra dicitur, nam summa montium tenebat ad exequendam ultionem Camillæ, sibi injunctam a Diana. *Salinerius.* Emendaverat Lipsius ex ingenio, et a Flor. confirmatur, *Custodem a Silio Messalinæ datum.* Falso in vulgatis, *custodem Silio ac Messalinæ datum.* Pichena.

Saufellum Trogum] Vatic. *Saufelium.* Scribo, *Saufeium:* et induxit librarios illud l. longiusculum, ut L. scriberent. Horum omnium mentio Senecæ in Menippæa de Claudii morte; ubi tamen disjunctim scribe *M. Helvius, Trogus.* Qui hic etiam Traulus, male fortasse in Seneca, *Sex. Trallus.* Lips.

Decius quoque Calpurnianus] Scripti libri, *Deorius*. Puto, *Decrius;* quod nomen et infra invenies. *Idem.*

Cap. 36. *Solus Mnester*] Castigavimus, *solus M. Nestor*. In ludicro libello de morte Claudii Cæsaris meminit hujus *Nestoris* Seneca, catalogum interfectorum a Claudio recensens: 'Medius,' inquit, 'erat in hac canentium turba Nestor Pantomimus, quem Claudius decoris causa minorem fecerat.' Sic enim illic scripsimus, quum ante legeretur, *noster Pantomimus*. Apparet autem ei caput amputatum fuisse, et longa statura præditum. Tacitus *histrionem* vocat, Seneca *Pantomimum*. Meminit ejus et Suetonius in vita Caligulæ. Tacito quoque et nobis paulo ante est memoratus. *Rhenanus*. Tranquillus quoque in Caligula, ter *Marcum Nestorem Pantomimum* nominat; ut horum testimonio emaculandi sint tam Dio, quam Xiphilinus, quibus pro *M. Nestore*, Μνηστὴρ scribitur: errore inde orto, quod post literam M. punctum primi exscriptores minime animadverterint. *Vertranius*. Condonandum seculo virorum optimorum. Nunc certum, non arbitrarium amplius est Mnesteri nomen fuisse. *Gronovius*.

Tam magne peccavisset] Reposuimus e volumine Budensi, *tam magna peccavisset*. Rhenanus.

Paribus lasciviis ad cupidinem et fastidia] Expressi lectionem Florentini: id est et ad cupidinem, et ad fastidia. Vulgo *fastidio*. Pichena.

Cap. 37. *Componere preces, nonnulla spe, et aliquando ira*] Non muto. Sed poterat *et aliquanta ira*. Acidalius.

Verterat perniciem in accusatorem] Castigavimus, *verterat pernicies;* nam auctores verbum *vertit* absolute nonnunquam et tamen quasi in passiva significatione soliti sunt usurpare. Sic supra: 'Seu forte lapsa vox in præsagium vertit.' Lib. II. 'Astusque hostium in perniciem ipsis vertebat.' Lib. IV. 'Quod aspere acceptum ad præsens, mox in laudem vertit.' Eodem libro paulo post; 'Nam quæ saxo struuntur, si judicium posterorum in odium vertit, pro sepulchris spernuntur.' Lib. V. 'Adeo facinora atque flagitia sua ipsi quoque in supplicium verterant.' *Rhenanus.*

Ubi vino incaluit] Scripsimus, *incaluisset*. Et paulo post, *raptim in hortos progressus*. Item *jugulo ac pectori*. Et infra, *privatis ac publicis locis*. Rhenanus.

Prorumpit Narcissus denuntiatque centurionibus] Vulgo, *prorupit*. Melius Flor. *prorumpit:* Nam sequitur, *denuntiatque*. Pichena.

Morte decus] Placet, *morti*, ut in Veneto. *Lipsius.*

Cum impetu venientium pulsæ fores, astititque Tribunus] Hæc Florentini lectio ac distinctio. Confusius vulgati: *Tum impetu venientium pulsæ fores, astitit Tribunus*. Pichena. Lege cum Florent. Cod. *cum impetu, &c.* Dum fleret (inquit) fores pepulerunt illi. *Pricæus.*

At libertus increpans] Sic Florentinus: vulgo, *ac libertus*. Pichena.

Cap. 38. *Ictu tribuni transfigitur*] Malim, *transigitur*. Lipsius.

Decreta Narcisso quæstoria insignia] Decreta sunt, inquit, insignia quæstoria Narcisso: quod, cum esset ille tertius inter libertos, potens gratia apud principem, minimum erat fastigii ejus, atque erant illa quidem decora insignia; per quæ tamen deterrima faciendi facultatem Narcissus haberet: quia flagitia propter dignitatem vel *inulta* erant, vel *multa:* utrumque enim legi in diversis codicibus. * *Ferrettus.* Concessa insignia præter scipionem eburneum, et sellam curulem, si quæ fuerant, amplius quæro. *Vertranius.* Locus ab omnibus tanquam desperatæ sanitatis derelictus. Ego tantum experiar, an aliquis sensus eliciatur, hac sola interpunctione: *Decreta Narcisso quæstoria*

insignia: levissimum fastigii ejus, cum secundum Pallantem, et Callistum ageret. Honesta quidem: sed ex quibus deterrima orirentur, flagitiis inultis. Sensus est: levissimam Narcisso fuisse dignitatem quæstoriam, respectu fastigii ejus, cum apud Claudium obtineret primum gratiæ ac potentiæ locum, post Pallantem, et Callistum; hi enim, ut dixit, flagrantissima gratia erant. Simili fere modo Tac. lib. sequ. 'decretusque Pomponio triumphalis honos, modica pars famæ ejus apud posteros.' Quod sequitur: *Honesta quidem* (scilicet ut libertis nihil amplius tribueretur, quam quæstoria insignia) ironice intelligendum est, propter corruptionem temporum, quibus valde liberti pollebant: nam eodem lib. sequ. ait: 'decreta Pallanti prætoria insignia:' ac deinde; 'Claudius libertos sibi et legibus adæquavit.' Sed cum eorum flagitia Princeps multa relinqueret, deterrima inde oriebantur, cum ii quotidie in majora flagitia prolaberentur. *Picken.*

Levissimum fastigii ejus] Hæc, cum lineis postumis, corrupta, hiulca: nec juvant aut discrepant libri, nisi quod, *Tristitiis inultis*, non *Flagitiis*, uti substituisse fatetur Rhenanus. Ego ab ejusmodi ulceribus sanandis sani hominis censeo abstinere manum. Nam sine librorum ope, irrita abierit Hygia ipsa. *Lipsius.*

Honesta quidem, sed ex quibus deterrima orirentur flagitiis multis, sive *inultis*] Quod in idem recidit. Una opera dicam me non assequi sensum horum verborum, quam ea esse mutila, et corrupta. Tacitus impositurus huic libro finem, judicium fert de tota Messalinæ tragœdia: nemo (inquit) adulteræ cædem accuset; quia suo sibi merito pœnis fuit affecta: verum illinc fons tot malorum, quæ secuta sunt: nam Messalina viva nunquam locus incesto neptis matrimonio, non veneficio Britannici, non tot sceleribus, quibus Nero infestavit orbem terrarum. *Salinerius.*

ANNALIUM LIB. XII.

CAP. 1. *Quis diligeret uxorem*] Monendus est lector, ubique hoc verbum perpetuo scribi, *deligere*, et *delectus:* ac suadeo ut ita in omnibus libris corrigatur, propter ambiguum verbi intellectum, cum aliud sit *deligere*, aliud, *diligere*, ut est notissimum. *Pichena.*

Cælibi vitæ intonanti] In manuscriptis quibusdam, *cælibis:* et vellet Pichena, *cælibis vitæ intoleranti.* Illud vulgatum, nescio quo modo, mihi pro moribus et sermone Claudii videtur. *Lipsius.*

Cælibi vitæ intonanti] Amicus meus, homo doctissimus, putabat huic loco mendum aliquod subesse, legebatque *cælibis vitæ intoleranti.* Ego nihil mutandum censeo: nam ex vulgata lectione aptus elicitur sensus, et phrasis resipit antiquitatem eam, cujus studiosum fuisse Tacitum diximus. *Ursinus.* Plerosque reor ignorare, quid sibi velint hæc verba: nisi forte mihi obscura sunt, quæ aliis clara et manifesta. *Tonare* μεταφορικῶς, quasi dicas altiori voce aliquem arguere. Virgil. XI. Æn. 'Proinde tona eloquio.' Li-

vius l. XXI. 'Cum hæc intonuisset plenus iræ:' quod a Græcis profectum, l. I. Epig. Ὁ Ζεὺς πρὸς τὸν Ἔρωτα· βέλη τὰ σὰ πάντ' ἀφελοῦμαι. Χὼ πτανός· βρόντα, καὶ πάλι κύκνος ἔσῃ. *Juppiter Amori: auferam omnia tela tua. At aliger: tona, et rursus cygnus eris. Tona*, id est, minaciis utere. Claudius ergo scribitur *intonare vitæ cælibi*, quod ægre ferret cælibatum, in eumque sæpius ardens inveheretur. *Salinerius.* Muretus *intoleranti.* Consideretur. At hercle tamen scribendum, *cælibis.* Sic Histor. IV. 'Æqualium quoque, adeo superiorum intolerantis.' *Acidalius.* Libri veteres pene omnes, et Manuscripti et editi habent, *cælibis vitæ*, et historia ipsa ubique testatur, Claudium sine uxore vivere non potuisse, præsertim Suetonius c. 26. Itaque quod olim correxi, *cælibis vitæ intoleranti*, non dubitavi, quin serio reciperem. Nam vulgata lectio, *cælibi vitæ intonanti*, præter historiæ mentem erat, neque Cornelium mihi sapiebat. Doctissimus Salinerius nuper ea verba, *cælibi vitæ intonanti* interpretatur, cælibatum ægre ferenti; subtiliter fortasse magis quam vere. Exempla hujus locutionis in Tacito multa; pauca tamen subjiciam. Ann. I. 'Lasciviæ sueta laborum intolerans.' Lib. II. 'omnium quæ ultionem morarentur intolerans.' Hist. IV. 'æqualium quoque, ne dum superiorum intolerantis.' *Pichena.*

Ac digna tanto matrimonio] Forte *dignas.* Gronovius.

Ut quemque suadentium audierat promptus] Muretus, *pronus.* Parum interest, sed hoc tamen ego etiam malim. *Acidalius.* Muretus mallet, *pronus.* Vide quæ notavi l. IV. in verbis: 'quod mater Agrippina, promptior Neroni erat.' *Pichena.*

Discordantes in concilium vocat] Imo *in consilium:* Privata enim hæc deliberatio, et cum paucis in eadem urbe habitantibus; non aliunde atque aliunde evocatis, quorum cætus *concilium* dicitur, Græce σύνοδος. Grotius.

CAP. 2. *Familiam communem*] Muretus *Filiam.* Res clara: mirum qui Lipsio non visa. *Acidalius.*

Novercalibus odiis visura Britannicum] Ven. atque alii antiqui editi habent, *usura in Britannicum.* Pichena.

Improbatam longo dissidio] Immo *discidio*, ut supra sæpius. *Gronovius.*

Familiæ Claudiæ, quæ posteros conjungeret] Expediri sententiam posse ait Lipsius: idem tamen malit, *quin posteros conjungeret*: ut quasi hortantis ea sint liberti. Nec expediri sententia potest e verbis, ut nunc leguntur: et omnino vim hortandi habent. Mihi certum, deleto *quæ* legendum: *quod Germanici nepotem secum traheret, dignum prorsus imperatoria fortuna. Stirpem nobilem* (id est, nepotem Germanici) *et familiæ Claudiæ posteros conjungeret.* Muretus voluit transposite, *stirpem nobilem et quæ famil. C. p. conjungeret.* Acidalius. Valde hoc loco sudant interpretes, nec immerito: est enim ex obscurissimis. Videor tamen videre sensum qui hic est. Decet hoc imperatorem, ut stirpem nobilem, et familiæ Juliæ Claudiæque posteros unam in domum colligat, nec patiatur, ut enubendo alios in penates sanguinem et perinde claritudinem Cæsarum deserat Agrippina. Hic verissimus, si quid video, sensus est, eumque verba quoque ipsa inculcant, si ductum literarum secutus legeris totum locum hoc modo: *dignum imperatoria fortuna* (subaudi esse) *stirpem nobilem et familiæ Juliæ Claudiæque posteros conjungere.* Freinshemius. Ego vero illud, *dignum prorsus imperatoria fortuna*, Neroni detrahi nunquam patiar. Significat enim, dignissimam Augusto lare, dignam Cæsarea domo partem. Deinde accipio quidem Lipsii, *Quin*, et sagaciter odoratum Muretum puto non omnia locum suum tenere: sed quem appellavit auctor *dignum imperatoria fortuna*, eum eodem ordine vocari

stirpem nobilem parum acre parumque decens mihi videtur. Scribo autem: *quin stirpem nobilem et familiæ Claudiæ posteros conjungeret.* Hoc est, magnopere suadere, &c. * *Gronovius.*

Ne femina experta fecunditatis] Sine dubio legendum, *expertæ fecunditatis*, quo modo Faërnus quoque legebat. *Ursinus.* Muretus maluit, *expertæ fecunditatis.* Non assentior. *Experta fecunditatis* dicetur ut *Compertus flagitii, &c.* De his ad Apuleium Apolog. XI. *Acidalius.* Scio recte dici, *experta fecunditatis.* Sic Tac. Hist. IV. 'veterem expertumque belli:' mallem tamen, *expertæ fecunditatis.* Pichena.

CAP. 3. *Juvenemque et alia clarum*] Ex Vat. emendavit Lipsius: et congruit Flor. In cæteris male, *alias clarum.* Pichena.

Insigni triumphalium] Lipsius prima edit. monuit libros suos habere *insignia;* et id melius. Non hercle, nisi addas præpositionem: *per insignia triumphalium:* quod plane ego verum puto. Nam *insigne triumphalium*, nusquam alibi singulari numero legas, ut neque *insigne prætorium* vel *ornamentum prætorium*, et ejusmodi alia: quæ omnia plurali numero efferuntur. *Acidalius.*

Nisi indita et jussa] Muretus, *indicta.* Lipsius.

Nisi indita et jussa] Muretus legit, *indicta et jussa.* Acidalius et Pichena.

CAP. 4. *Serere crimina in Silanum*] Volumen scriptum habet, *ferre.* Proinde sic scripsi. Hoc Livius dicit, *ferre sermonibus.* Rhenanus. Fortasse rectius esset et usitatius, *Serere crimina in Silanum, &c.* Nam et ita sæpe Sallustius locutus est, cujus Tacitum imitatorem diximus. *Ursinus.* Venetus: *serere crimina.* Pichena. An melius *serens?* Bonum tamen etiam *ferre.* Acidalius.

Fratrisque non incestum sed incustoditum amorem] Hic locus in Budensi codice erat interpolatus: nam quidam *non* particulam supra ascripserat; et legebatur illic, *Fratremque*, quod est in vulgatis edd. *Fratrisque.* Mihi videtur hæc esse sincera lectio, *Fratreque incestum sed incustoditum amorem ad infamiam traxit.* Expone sic, *amorem incestum fratre*, id est, ob fratrem, *sed incustoditum*, quasi diceret, si custoditus fuisset et caute cælatus, non fuisset periculum. *Rhenanus.* Vocem, *fratrum*, in Flor. et in aliis veteribus inveni. De Vat. testatur Lipsius. Digna ergo mihi visa est, quæ recipiatur. Intelligit enim, *fratrum*, hoc est fratris et sororis. Vulgo, *fratrisque.* Pichena.

CAP. 5. *Nullo exemplo deductæ in domum patrui fratris filiæ*] Ita Florentinus. Vulgo, *deducta in domum patrui, fratris filia.* Pichena.

Quin et incestum ac si sperneretur] Lipsius hæc ita interpretatur: Timuisse Claudium et Agrippinam, ne propter incestum, populus sperneret profani principis imperium. Mercerus hæc verba corrupta suspicatur et corrigit, acute quidem: sed *incestui sternere viam*, duriuscula sententia videtur, nec de Taciti phrasi. Ideo vulgatam potius lectionem tueor, quamvis fortasse non integram, eodem Merceri sensu manente. Id est: Quin et incestum ipsum Claudius et Agrippina metuebant: ac si ab ipsis sperneretur, ne fortasse in malum publicum erumperet: scilicet ne alii eodem exemplo uterentur. *Pichena.* Sententiam loci censeo: Fruebantur quidem matrimonii bonis Claudius et Agrippina: at non securi, quia et incestum subesse videbatur, nondum firmatis ejusmodi nuptiis, et periculum iræ cælestis ob tam insigne flagitium: non enim metuebant ne populus ab hoc exemplo usurparet, nec in malum publicum id erupturum credebant, nec enim postea tale Senatus consultum fecissent: sed Deos verebantur: eos enim incestu offendi crediderunt, quod satis patet ex auc-

tore nostro, infra XII. 8. ubi *sacra ex legibus Tulli regis, piaculaque apud lucum Dianæ per pontifices danda*, procurando incestui Claudius hic suasit. *Freinsh.* Hærent hic omnes, et nonnulli aliter atque aliter interpretantur. Una modo litera mutata offero ipsam scripturam Taciti. Qui non, *incestum*, scripsit, sed *inceptum*. Expendamus totum locum. Dicit Tacitus, clam pactum inter Agrippinam et Claudium matrimonium, sed necdum ausos palam celebrare solemnia nuptiarum. Causa ista, quod nullum hactenus datum esset exemplum deductæ in domum patrui fratris filiæ. Interim subibat cura et cogitatio, inceptum jam esse matrimonium, solenni more porro peragendum; non licere resilire; si id, et in eo Agrippina sperneretur, rem in motus et perniciem publicam, movente vel Agrippina, sic contempta, vel populo, qui, ut supradixit, id matrimonium jam fama firmaverat, erupturam. Idcirco videbatur, solennia nuptiarum non esse diutius differenda. Adeo ut Claudii ejusque amicorum cunctatio, et diversi consilii diversæ rationes, quod cunctantium est, duabus distinctis periodis proponantur. Lege igitur: *Quin et inceptum*, scilicet matrimonium esse, *ac, si sperneretur, ne in malum publicum erumperet, metuebatur.* Neque, *in malum publicum erumperet*, hic aliter accipiendum, quam infra, *Nisi pravitas tam infensa docentium arceatur, erupturam in publicam perniciem.* Hanc cunctationem Claudii suis artibus tandem sustulit Vitellius, effecitque ut solenniter Claudio nuberet Agrippina, quod statim subjungit et persequitur auctor. *Boxhornius.* Gerræ Siculæ male πολιτικοῦ. Freinshemio Catone simus contenti. Claudius haud erat intacti superstitione animi. Immo quo mente commotior, eo paullo infirmior unus multorum, eo superstitiosior. Docetque id etiam Suetonius in vita ejus c. 22. Semper autem incesta in prodigiis habita, in expiandis et procurandis, in iis quibus iram Deorum putabant denuntiari. Reliqua pete a Freinshemio. *Gronov.*

Civium et consensui] Delenda copula: vel, quod verius, addenda vox scriptori elapsa, *civium et S. consensui:* id est, Senatus. Ita respondebit Claudii oratio Vitellianæ. Tamen aliquis ceperit (aut jam cepit) quasi esset, *Unum se civium, et consensui imparem:* quod ego non probem; nec certe Princeps unus e vulgo civium est: non. *Lipsius.*

Et consensui imparem] Plus quam se solum posse consentientem senatum. *Ferrettus.* Nec τὸ *et* delendum, nec τὸ *senatus* addendum. Aptius ad quæsita Vitellii, &c.* *Saliner.* Lipsius mendum hic notat, quod ego non sentio. Respondet enim Cæsar, se unum esse civium, et consensui (scilicet universorum civium) imparem. *Pichena.*

Summamque Reip. agi] Scribo, *summamque Rempublicam.* Lipsius.

Quod porro honestius Censoriæ mentis levamen] Fallor an scribendum *Cæsareæ mentis.* Certo enim hæc de Claudio. Ac supra l. XI. idem error harum distinctionum: 'Lætaque hæc in P. R. munia, multo gaudio Censoris inibantur.' Recte Farnesianus codex, *Cæsaris.* At Cæsar etiam idem forte Censor: ut plerique tum Imperatores. Consideretur. *Acidal.* Suspecta mihi vox, *Censoriæ:* præsertim in ore Vitellii, qui ipse Censor: ac si quem librum auctorem haberem, libenter reponerem, *Cæsareæ.* Pichena.

CAP. 6. *Nec diu inquirendum*] Ex Flor. restitui antiquum verbum, *anquirendum.* Vulgo, *inquirendum.* Pichena.

Vidua jungeretur] Mss. Senecæ: 'adulationibus non claudere ostium, sed aperire.' Scribendum igitur: *adulationi nos non claudere ostium, sed*

opponere: et quidem sic quemadmodum amicæ opponi solet. Hoc est, non obserare aut repagulis firmare, sed sine sera, dempto obice, manibus tantummodo obtendere, vel objectum sustinere ac prætendere. Nam *operire*, in quo et Gruterus argutatur, ipsum claudere est. Terentius Phormion. v. 3. 'Jamne operuit ostium.' Noster Ann. III. 'egressa cubiculo uxore operiri fores jussit.' *Gronov.*

Documentum, quo uxorem] * Tu corrige, *quomodo uxorem.* Id enim vult adulator homo, prodendum esse posteris exemplum, ut Imperator uxorem Senatu suasore et auctore capiat. *Lipsius.*

Statueretur immo documentum, quo uxorem imperator ... acciperet] Ante omnia necessarium duxi, hunc locum, ut se habet in Flor. proponere; ut quilibet, lacuna inspecta, judicare possit, quid et quatenus in eo deesse videatur. Ut autem nunc tanquam integrum consideremus, Lipsius corrigit; *quomodo uxorem imperator acciperet:* quod non improbo: tamen apud me vulgata lectio nihil habet difficultatis: immo aliquid argutius præ se ferre videtur, cum sit vis quædam in verbo, *acciperet*, respondens ad id, quod supra dixit, *arripi conjuges:* sicuti l. II. 'tracturum conjuges:' et Hist. l. III. 'dum quæ accipi poterant, rapiuntur.' Ait igitur: documentum hoc aliis Principibus erit, quo documento uxores accipiant: non arripiant. *Pichena.* Quicquid obtrectent Lipsio, multo magis resipit Latium vetus, *statueretur immo documentum, quomodo uxorem imperator acciperet*, quam alterum. Hoc enim vult, tempus venisse, ut exemplum prodatur, idque jam prodi posse, quod respicientes quoque admoniti secuturi principes discant, qualiter et quemadmodum matronam introducere in penates deceat Augustum. Adhuc enim nullum exemplum conjugii Cæsarum salubre exstabat. Adde quæ scripsimus IV. Observ. 11. *Gronov.*

Et sobrinarum diu ignorata, tempore addito percrebuisse] Lipsius vocem *addito* ut additam a glossographo rejicit. Ego aliud suspicor, ne ita forte scribendum, *Et sobrinarum diu ignorata, tempore adita, tempore percrebuisse.* Valde quidem eleganter et nervose. *Adita*, id est, cæpta. Nec dubito, quin ita plane Tacitus. *Acidalius.* Cum hanc lectionem omnibus libris probari, nec incommodum sensum habere videam, non arbitror esse necessarium, ut vocula ista *addito* vel omittatur, vel commutetur. *Tempore addito*, hoc est, adjecto tempore, vel processu temporis. *Freinshemius.*

CAP. 7. *Eadem orare clamitat*] Supposuimus, *rogare.* Rhenan. Muretus rescripserat, *orare:* nescio unde aut quare; nisi si fortius hoc visum. *Acidal.*

Decretum postulat] Zonaras: Ψήφισμα ἐποιήσαντο, ἐξεῖναι Ῥωμαίοις ἀδελφιδᾶς ἄγεσθαι.

Addictum quasi] Arbitrio meo, transponantur verba, *Addictum et quasi virile.* Lectioni stabiliendæ (nam ego olim solicitavi) est, quod apud eundem Tacitum de moribus Germanorum scribitur: 'Trans Lygios Gothones regnantur, paullo jam addictius quam ceteræ Germanorum gentes, nondum tamen supra libertatem.' Nec pœnitet tamen prorsus conjecturæ, *Adductum*, præsertim quæ firmatur codice Budensi, et item Florentino: de quo verbo in lib. Histor. *Lipsius.*

Additum et quasi vile servitium] Depravata verba sunt. In Bud. codice legitur, *Adductum quasi et virile servitium.* Nos emendavimus, *Addictum quasi et virile servitium. Palam severitas, ac sæpius superbia.* Sensus est, Etiam servos Claudii Cæs. quasi addictos fuisse Agrippinæ, quæ contenta muliercularum ancillatu non erat. *Rhenanus.* Venditum matrimonio servitium virorum. *Ferrettus.* Vulgo

Addictum quasi et virile. Lipsius conjectura correxit, transposuitque; quod penitus a Flor. confirmatur. *Pichena.* Pugno pro Lipsio contra Lipsium. Omnino scribendum, ut olim conjecerat, *Adductum et quasi virile s.* quamquam ipse postea *Addictum* retineri voluerit, et stabilierit alio Taciti loco: sed nego hic ei verbo locum. Non enim vult auctor dicere arctum et astrictum, sed severum servitium: quod et sequentia verba satis demonstrant: et clamat adjunctum hoc ipsum, *Virile.* Acidal.

Cap. 8. *Die nuptiarum*] Mala ergo distinctio, et historiæ vitiandæ, in Suetonii Claudio obtinuit, c. 29. 'Silanus abdicare se prætura, morique initio anni coactus. Die ipso Claudii et Agrippinæ nuptiarum in quinque et triginta Senatores trecentosque amplius equites animadvertit.' Apage: nulla cædes nuptiali ejus die lecta; scribeque, *initio anni coactus, die ipso Cl. et Ag. nuptiarum. In quinque, &c.* Lipsius.

Italia pulsa est] Si pulsa tantum, quid ita Commentator Juvenalis scribit eam a se interfectam ? 'Calvina,' inquit, 'Prætoris cujusdam soror, quæ se occidit tamquam infamis in fratrem [lego, *fratre*] Claudii temporibus.' Hoc notat ad illud e Satyr. III. 'donat Calvinæ vel Catienæ.' Homo errat. *Lipsius.*

Veniam exsilii pro Annæo Seneca] L. Annæus Seneca studiis sapientiæ eminentissimus seculi sui, insimulatus adulterii cum Julia M. Vinicii uxore, Germanici et Agrippinæ filia, confictis in illam a Messalina criminibus, ut conreus, pulsus erat in exilium: ei Agrippina restitutionem impetrat. Ex Dione l. LX. *Vertran.*

Et consilio ejusdem ad spem dominationis uterentur] Ita rectius Florentinus, quam, *uteretur*, ut in vulgatis: nam et de Domitio et de Agrippina simul intelligitur. *Pichena.*

Cap. 9. *Memmium Pollionem ingentibus promissis inducunt, sententiam expromere*] Muret. *inducit:* ut scilicet ad Agrippinam solam referatur. Manere tamen illud recte potest, nec respicitur forte sola Agrippina, sed et Vitellius, et alii ejusdem sectæ. *Acidal.*

Qua oraretur Claudius, despondere Octaviam Domitio] Verbum, *oraretur*, ex Flor. restitui. Vulgo, *hortaretur.* Pichena.

At super priorem necessitudinem] Non semel accidit in libris editis, ut, *secundum*, pro, *super*, a librariis scriptum fuerit; nec mirum. Error enim ortus ex eo, quod in veteribus Manuscriptis, et præcipue in Flor. verbum, *super*, plerumque uno tantum charactere, ad hujus similitudinem S' scriptum sit, ut hic. Restituimus ergo, *super priorem*, quod in vulgatis erat, *secundum priorem.* Pichena.

Quis ob accusatam Messalinam ultio ex filio timebatur] Verissima lectio et sententia. At quid Muretus voluit mutando? *qui sub accusatam Messallinam vitrico et filio timebantur.* Ineptissime. *Acidal.*

Cap. 10. *Ut rettuli*] Lib. XI. vide. *Lipsius.*

Sed et filium Vononis, nepotem Phrahatis accersere] Demiror, cur quispiam voluerit *accedere* verbum, quod in exemplari manuscripto legitur, mutare in *accersere*. Nam defectioni eleganter accessus opponitur. Sensus est: Nemo nos potest defectionis arguere, quum ad filium Vononis, nepotem Phrahatis accedamus. Subjicit causam, 'adversus dominationem Gotarzis.' Mallem ego pro, *sed et filium*, scribere, *sed ad filium.* Verum infra sic quoque loquitur: 'Quia societatem nostram volentes accesserant;' non, *ad societatem*, quod tamen Latine dicitur. Item l. II. 'Ut ripam Euphratis accederet.' Itaque expone *et* pro *etiam*, hoc sensu: nos non modo non deficimus a familia Arsacidarum, sed etiam veram stirpem accedimus. *Rhenan.* Danesius legebat *accedere.* Ursin.

Abjici conjuges gravidas, liberos parvos] Reposuimus, *adjici con. gravid.* Significat enim Gotarzen scelera sceleribus cumulantem, nec contentum fratribus propinquisque trucidatis, nisi illis uxores gravidas et liberos adjiciat. *Rhenan.*

Bellis infaustus] Elegantissimi ingenii et doctrinæ noster Modius observat e libro vetere, *belli infaustus:* recte; ea forma qua, militiæ clarus. *Lipsius.*

CAP. 11. *Quanto ignara barbaris*] Ita edidi e Vatic. Farnesiano erat, *ignota:* vulgo, *ignoratiora.* Phrasis vulgata et obvia in Tacito. *Lipsius.*

Quanto ignoratiora] Vetustior lectio, *quanto ignara Barbaris:* subauditur *magis.* Accipitur autem hæc lectio passive, pro ignota. Sic sæpe Tacitus in sequentibus: 'quæ gnara militi:' 'quæ gnara Vespasiano.' Hoc ipso libro, infra: 'Nihil tam ignarum barbaris quam machinamenta et astus oppugnationum: at nobis ea pars militiæ maxime gnara est.' *Rhenan.* Flor. corrupte, *ignata:* ex qua voce, quamvis una tantum litera immutata, legi æque possit, *ignota*, et, *ignara*, mihi tamen *ignara* magis placet, ut etiam Lipsio. *Pichena.*

Tanto toleratiora capesseret] Videtur legendum: *Clementiamque ac justitiam, quanto ignoratiora barbaris, tanto lætiora capesseret, &c.* non ut vulgo legitur, *tolerantiora.* Ursinus. Verbum, *toleratiora*, ex Flor. restitui. Rectius proculdubio, quam, *tolerantiora*, ut in vulgatis. Ceterum, quoniam verbum, *tolerare*, oneris molestiam innuit, quid cum clementia ac justitia, quæ virtutes sunt populis vel maxime desiderabiles? An sic loquitur Tacitus propter barbariem Parthorum, quibus virtutes pro vitiis? Tacitus initio l. II. 'Sed prompti aditus, obvia comitas, ignotæ Parthis virtutes, nova vitia.' Ego interpretor, verbum *tolerare*, respicere tantummodo justitiam, omissa clementia. Justitia enim populis plerumque onerosa et invisa. In promptu mihi exemplum est ex l. IV. in fine: 'Ibi campo aut litore jacentes, nullo discrimine noctem ac diem, juxta gratiam aut fastus janitorum, perpetiebantur:' nam etsi argui potest, vilium ac superborum hominum gratiam ipsis etiam, qui accipiunt, invisam, et odiosam; tamen mihi videtur, verbum *perpetiebantur* fastui tantum respondere, non gratiæ. At Francisci Venturii de hoc loco sententia est: Capesseret Meherdates clementiam et justitiam: quæ virtutes, quoniam barbaris ignotæ, utpote qui dominium regum, non regimen, perpetiebantur, id efficient, ut qui illas adhibeat, gratius et minus grave imperium in subditos exerceat. *Pichena.* Non placet *tolerantiora*, non quia vocem ipsam reprobem, sed quia sententiam admodum quam languidam gignit. Muret. voluit, *tanto tætriora*, quod plane non convenit. Nec ego scio quid faciam. Hariolor tantum, *tanto lætiora*, bono quidem sensu: quanto inusitata magis ac nova barbaris, tanto gratiora futura. *Acidalius.* Quid ergo, num insueta barbaris magis tolerantur? et vero num tolerari dicendæ sunt clementia atque justitia, quasi res, quas abesse malis? tolerari enim ea puto, ad quæ sustinenda patientia opus est, manente interim voto et spe amoliendi. Id autem de regiis istis virtutibus ad novum regem imperator diceret, præcepta bene imperandi traditurus? Denique ne Latinam quidem vocem esse contendam, *toleratiora.* Adeoque adfirmem in scriptura vitium esse ex repetitione ejusdem syllabæ præcipue ortum, cum enim forte scriptum esset, *tanto cratiora* (pro *tanto gratiora*, et scimus hujusmodi innumera in membranis admitti) facile argutulus aliquis vulgatam deinde lectionem exsculpsit. Videtur autem legi debere, ut dictum est, *tanto gratiora:* quod et per se veram atque pulchram sententiam efficit; et vero instituto sermoni longe convenientis-

simum est. *Freinshem.* Fluctus movent in simpulo. Vide I. Observ. 14. *Gronov.*

Ac tamen ferenda regum ingenia] Deprehendi librarium subinde scripsisse, *Ac tamen*, pro *attamen*. Rhenanus.

Satiate gloriæ] Hoc cum in editione Pichenæ compareret, ego pro typographico sphalmate habebam, et juvabat indice erratorum, qui eidem editioni annexus est. Sed socer meus credebat auctorem, phraseos Sallustianæ (quem præcipuum verborum veterum novatorem fuisse constat,) imitatorem perpetuum, hoc quoque verbum ex antiquitate arripuisse, quo et Lucretius utatur, 'fessus satiate videndi.' Hunc dissensum, et si quæ alia in his studiis inter nos ambigitur, veræ concordiæ sincerique affectus vicissim securi, incolumi amicitia et fovemus et propugnamus, et lectorem amicæ litis arbitrum facimus. *Freinshem.*

Ut externis quoque gentibus quietem velit. Datum, &c.] Interpungendum sic: *ut externis quoque gentibus quietem velit. Datum post hæc C. Cassio, qui Suriæ præerat.* Ursinus. Aliter in Flor. legitur, ac distinguitur: *quietem velit. Datum post hæc C. Cassio, qui Syriæ præerat, deducere juvenem ripam ad Euphratis.* Abest quippe ab eo verbum, *jubet*. Sed hanc lectionem vulgatæ non anteferam. *Pichena.* Elegantissimam hic emendationem vidit Muretus, delet a fine verbum, *jubet*, reliqua scribit interpungitque: *ut externis quoque gentibus quietem velit. Datum post hæc C. Cassio, q. S. p. deducere, j. r. a. Euphr.* Acidal.

CAP. 12. *Ea tempestate Cassius præminebat peritia legum*] Lipsius in prima edit. putavit legendum: *Præ ceteris peritia legum. Præ ceteris*, ut alibi solet, *ante alios.* Interpolatus locus varie est ab imperitis, qui abesse quid crediderunt. In ultima hac accipit Vaticani lectionem, *ceteris præerat.* Non ego hoc quidem. Nam præcessit vix dum, *qui Syriæ præerat:* e qua linea huc idem verbi inculcatum. *Acidalius.*

Cæteros præminebat] Vatican. *ceteris præerat.* Accipio. *Lipsius.*

Industriosque ac ignavos] Castigavi, *aut ignavos.* Item *Zeugma*, pro *Zeuma*, ex Strabone Stephanoque. *Rhenanus.*

Revocare priscum morem, exercitare legiones] Scripsi, *exercitare*, ex Flor. Vulgo, *exercere.* Pichena.

Exercere legiones] Vett. *exercitare.* Lipsius.

Abbarus] In Budensi codice modo *Acbarus*, modo *Abbarus* legitur, sicut *Yliates* et *Ezates.* Rhenanus. Hic in numismate æreo Gordiani Pii Imp. dicitur ΑΒΓΑΡΟϹ ΒΑϹΙΛΕΥϹ in cujus numismatis altera parte caput ipsius regis diadematum cum titulo si recte memini, ΕΔΕϹϹΕΩΝ, signatum est. In alio autem ejusdem Gordiani numismate, item æreo, rex ipse Camelo insidens impressus est cum eodem titulo. Camelus autem Arabum insigne est, in argenteo etiam denario familiæ Plautiæ, in quo REX ARETAS inscriptum est. *Ursinus.*

Quia hiems occipiebat] Muretus legit, *quia hiems occupabat.* Fortasse minime spernendum. Nam quod sequitur, *Exin nivibus, et montibus fessi*, non hiemis initium indicat, sed maxime adultam. *Pichena.* In Mureti libro notatum, *Occupata.* Non convenit. Verbum tamen id si melius hic, scribendum *occupabat.* Sed nihil mutandum. *Acidalius.*

Quorum rex Juliates] Ita edidi ex meis libris. Vulgo tamen, *Hyliates:* et statim infra, *Ezates*, etiam in manuss. Scito verum nomen esse, *Izates.* Ita enim appellatur constanter Josepho lib. XX. Antiq. cap. 2. 3. ubi et historia omnis explicita de origine hujus regis et progressu. Narrat autem Josephus Judaicæ religionis eum et matrem Helenam fuisse: multaque alia, quæ operæ sit legere. *Lipsius.*

Rex Izates] Alii *Juliates:* quod nomen cum in codicibus corruptum sit (sunt enim ubi et *Hyliates* reperias) deinde etiam infra XII. 14. *Ezates* appelletur, haud obscurum fuit, verum nomen hujus Regis, quod Josepho Antiq. XX. 2. et 3. proditur, utroque hoc Taciti loco positum ab auctore fuisse, qui id utique scire poterat, cum ejus coætaneus esset: ergo visum nobis fuit nomen illud utroque loco restituere. *Freinshemius.*

In Gotarzen per occultam et magis fidam inclinabat] Scripsimus, *per occulta et magis fida inclinabat*, ex Budensi codice. *Rhenanus.*

Et castellum insigne fama] Adjeci copulam, *et*, contra librorum auctoritatem, ut defectui manifesto quam minima mutatione mederetur, neu lectoribus absurdum illud se offerat, *urbem Ninos*, castellum a Tacito appellari. Idque suadente Lipsio, qui etiam suspicatur, nomen castelli, scilicet Arbela, intercidisse. *Pichena.*

Qui tempore stato per quietem monet sacerdotes] Ita Flor. et melius, quam vulgati, *tempore statuto.* Sic Histor. l. III. 'stato in eosdem dies mercatu.' Lib. IV. 'statos æstivis flatibus dies.' De morib. Germ. 'stato tempore.'

Telis onustas] Vatic. *telis omissis onustas:* nec scio quid voce ea faciam. Forte, *telis omnigenis onustas.* Lips.

Equi ubi pharetras telis onustas accepere] Vatic. *telis omissis onustas.* Unde Lipsius, *telis omnigenis on.* Quid si *telis missilibus onustas?* Sed absque dubio natum *omissis* ex supervacua iteratione sequentis *onustas.* Acidalius.

Rursus Deus, qua silvas pererraverit] Vulgo, *quas silvas pererraverint:* at Florentini lectionem reposui, quæ mihi melior. *Pichena.*

Cap. 14. *Mox Abbarus Arabum, cum exercitu abscedunt*] Dubito an sit legendum, *et Rex Abbarus, Arabum cum exercitu:* nam et in Farn. codice aiunt scriptum esse, *et Rex*, et a Tacito supra sic appellatur; et de Arabum tantum exercitu intelligi, verisimile est, cum Ezates Adiabenus privatus esset, neque ullas ab eo copias adductas appareat. *Pichena.* Hæc non excidissent viro præstantissimo, si Josephum et Zonaram inspexisset; aut animadvertisset c. 12. legendum; 'Adiabenos, quorum rex Izates.' Intelligo tamen esse in hac narratione quo aliquis acutum videns facile offendatur: eique hoc remedii censeo, ut scribamus: *Ex quis Izates Adiabeno, mox Abbarus Arabum cum exercitu abscedunt.* Si non dixisset supra, c. 12. 'rexque Arabum Abbarus,' admitterem Farnesianum, tanquam Izati nunc eum titulum temperasset apponere, quia cap. 13. dederat. Sed quum superius utrumque regem appellasset, fatua hic ea mentio in altero. Non minus fatuum *Izates Adiabenus*, tanquam id antea non percepissemus. Nihil commodius quam *Adiabeno*, ut intelligas ex proximo, *cum exercitu.* Gronov.

Quod unum erat reliquum] In codice Budensi verbum *erat* non reperio: Tacitus autem brevitatem amat. *Rhenanus.* Venetus, *quod unum erat reliquum.* Pichena.

Rem in casum dare] In eum sensum Panegyr. Constantino Constantii f. dict. 'Cur salutem Reip. in tanta pericula misisti?' *Acidalius.*

Medos tum præsidens] Ita Flor. Vulgo, *Medis:* nam etsi Tacitus tertium et quartum casum verbo, *præsidere*, indistincte jungat: tamen cum de provinciis loquitur, quarto libentius utitur. Annal. lib. IV. 'Italiam et Galliæ litus præsidebant.' Item: 'litora Oceani præsidebat.' Notavi etiam infra, in verbis, *qui Pannoniam præsidebat.* Pichena.

Cap. 15. *Et jam jamque Bosporum invasurus habebatur*] Duas particulas, *et jam*, delevimus, et pro *habebatur* scripsimus *videbatur.* Rhenan.

Diffisi propriis viribus Aquila et Cotys] Falso in vulgatis, *diffisus.* Indicavit veram lectionem Flor. qui habet, *diffisis.* Restitui ergo, *diffisi:*

de duobus enim sermo est. *Pichena.*

Quia Zorsines Soracorum rex hostilia resumpserant] Flor. *Siracusorum Rex.* Pichena.

Qui Adorsorum (*Aorsorum* Lipsius) *genti præcellebat*] Novo sensu hoc verbum hic, si tamen sanum. Forte leg. *gente.* Acidal.

Cap. 16. *Nostris in armis*] Aliter exaudio, quam vulgus: id est, nostri in lateribus erant, et ad armos. Nec enim solos Romanos in armis fuisse censendum; sed cum Aorsi in fronte agminis et tergo essent, in medio Bosporani; Romanos latera tutatos esse. Nisi tamen legendum, *nostris armis:* ut dicat Bosporanos, Romano ritu instructos armatosque: quod malo. *Lipsius.*

Nostris in armis] Sincerior lectio: *Nostri in armis,* subauditur, *erant.* Rhenanus. *Armos* in re militari nunquam legi usurpatum pro lateribus. De interpretatione vero eadem mihi mens, et eruditissimo viro: nimirum Romanas cohortes, et Bosporanos Romanis armis instructos media tenuisse: at non concesserim dispungi τὸ *in*, quia Cornelius id sedulo hic e Virgilio deduxit: 'Nec minus Æneas maternis sævus in armis.' Qui non infrequenter Virgilium æmulatur et imitatur, licet ejus dicta propria non faciat, ea deflectens a significatu Poëtæ. Thucydides l. xii. (ait Demetrius) κἂν λάβῃ παρὰ ποιητοῦ τὶ ἰδίῳ αὐτῷ χρώμενος, ἴδιον τὸ ληφθὲν ποιεῖ: nam quod Homero περίῤῥυτος magnitudinem designat, apud eum concordiam præ se fert. Nunc ex multis nonnulla decerpamus, quæ Tacitus per Virgilium scripsit. Æn. l. vi. 'non ulla laborum, O virgo, nova mi facies.' l. v. Hist. 'Ac rursus nova bellorum faces.' Ille l. vi. Æn. 'Assuetæ ripis volucres et fluminis alveo.' Item l. v. Hist. 'neque pisces aut suetas aquis volucres.' Publius l. vi. Æn. 'Jam senior, sed cruda Deo viridisque senectus.' Cornelius in Vit. Agric. 'et quibus cruda ac viridis senectus.' Apud Poëtam l. ii. Æn. 'Quondam etiam victis redit in præcordia virtus.' Apud historicum in Vit. Agric. 'et aliquando etiam victis ira virtusque.' Tandem vates l. i. Æn. 'Maturate fugam, regique hæc dicite vestro.' Orator l. xii. Ann. 'in longinqua et contermina Scythiæ fugam maturavit.' *Salinerius.* Præcipuam Lipsii interpretationem non admiserim: scilicet, nostros fuisse in armis, hoc est, ad armos. Nam præter modum loquendi auctori nostro inusitatum, historia ipsa repugnat: supra enim dixit Julium Aquilam paucas cohortes habuisse: eæ deinde in acie collocantur una cum Bosporanis: præter hos, nihil Romanorum militum. Ergo illud, *nostris,* referri non potest ad milites Romanos, sed veram sententiam censeo, quam postremo idem Lipsius tangit: Bosporanos, quia una cum Romanis, &c.* *Pich.* Cave sic exaudias, ut Lipsius, *in armis,* pro in lateribus, et ad armos. Nemo ita unquam locutus. Deinde quam errat idem Lipsius, cum explicat incessum agminis: et in fronte ejus ac tergo Adorsos, in medio Bosporanos, ad latera Romanos fuisse vult? Quomodo hoc ex Tacito colligas? qui ita, si sane verba interpretaris, describit: a fronte et a tergo Adorsos incessisse: ad latera cohortes (et accipe Romanos) et Bosporanos: in medio *qui fuerint*, non addit. Cohortes, quas dicit, non aliæ sunt nisi Romanæ, de quibus paullo superius: 'Relictos in novo regno Cotyn juventa rudem, et paucas cohortium cum Julio Aquila, equite Romano.' Verba, *nostris in armis,* sic accipiam, quasi dicat, agmen hoc instructum fuisse in morem militiæ Romanæ: quod sensisse postea et Lipsius videtur, quamquam de solis Bosporanis: instructos hos armatosque Romano ritu. Et in hanc sententiam præpositionem *in* delet. Quod necesse ego non puto, et de toto agmine, non de unis Bosporanis accipiendum statuo. *Acidalius.*

Ventumque Sozam opidum Dandaricæ] Auctore Florentino scripsi, *Sozam.* Vulgo, *Soza. Pichena.*

Oppidum Dandaridæ] Correximus, *Dandaricæ:* subintelligitur, terræ. *Rhenanus.*

Sed cratibus junctis] Vatic. *cratibus et vimentis:* probo. *Lipsius.*

Sed cratibus junctis ac media humo] Volumen regium habet, *sed cratibus vinctis ac vimentis media humo.* Quid si legas, *Sed cratibus, vinctis sarmentis media humo:* subauditur *existente* Rhenanus. Sequitur Vaticani lectionem noster, qui habet, *cratibus et vimentis, ac media humo:* supra autem notatum est, *modica humo,* quod non probo. *Pichena.*

CAP. 17. *Ut belli potius jure caderent*] Hæc verba unde pendent, quo referentur? Suo loco excidisse puto, et sic exponenda: *custodia cingere arduum: datumque militibus, qui scalis evaserant, signum cædis, ut belli potius jure caderent. Excidio Vesp. &c.* Acidalius.

Plerisque consularium interfectis] Quidam emendarat in libro Budensi, *plerisque Centurionum interfectis.* Rhenanus. In veteribus nonnullis, ut ait Lipsius, legitur, *plerisque consularium.* In Flor. *consiliarium:* utrumque credo, corrupte. Sensus exigere videtur, *classicorum,* vel, *classiariorum.* Pichena.

CAP. 18. *Romanorum nemo ejus auctoritatis aderat*] Miror quid ei venerit in mentem, qui in editione Romana aut Basiliensi locum hunc adulteravit, pro, *id auctoritatis* scribens, *ejus auctoritatis.* Latine eleganterque dicitur *id auctoritatis;* sicut 'id ætatis,' 'id temporis,' 'quidvis temporis,' 'id genus,' 'omne genus,' 'quod genus' pro *ejus auctoritatis, ejus ætatis, ejus temporis, omnis generis,* et *cujus generis.* Ad hanc formam pertinet quod dixit l. XVI. 'id honoris indicibus,' pro *ejus honoris,* quemadmodum illic admonebimus. *Rhenanus.*

Propriis odiis infensum] Ex Agricolæ codice Modius, et eruditissimus vir addunt negationem, *propriis odiis non infensum.* Ego de vetere sententia non decedo. *Odia propria* apud nostrum sunt odia non momentanea, sed quæ non facile deponuntur: ea enim vis τῷ *proprium.* Plaut. Mostell. 'Atque illum amatorem tibi proprium futurum in vita.' Virg. VI. Æn. 'nimium vobis Romana propago Visa potens, superi, propria hæc si dona fuessent' Sensus est, Eunones licet in Romanorum gratiam conspiraverit cum aliis Regibus adversus Mithradatem, tamen habebatur exorabilis, utpote qui simultatum tenax non erat, immo id genus hominum invisum habebat, gnarus pœnarum, quæ inexorabiles sequuntur. Hom. Il. I. 506. *Ὃς δέ κ' ἀνήνηται, καί τε στερεῶς ἀποείπῃ, Λίσσονται δ' ἄρα ταίγε Δία Κρονίωνα κιοῦσαι, Τῷ Ἄτην ἅμ' ἕπεσθαι, ἵνα βλαφθεὶς ἀποτίσῃ: i. *qui autem renuerit dureque repudiaverit, Precantur igitur hæ Saturnidem adeuntes, Eum Atem una sequi, ut læsus pœnas luat.* Vel Eunones alias ante Romanam societatem inimicus erat Mithradati propriaque odia exercebat: sed is adeo sibi a Romanis metuebat, ut genua regis infensi accidere sustinuerit. Sic Themistocles Atheniensium metu supplex fit Admeti Regis, et inimici. Thucyd. l. II. *Salinerius.* Neutra interpretatio est unius assis. Non prior, quia usus ille elegans τοῦ *proprius* non est hujus loci: deinde si esset, quis ferat dicentem: *infensus diuturnis simultatibus, infensus iris plumbeis:* pro exorabili et non gaudente istis? Non altera, quia si vetus inter eos erat offensa, non id prætermisisset Tacitus, &c. * *Gronovius.*

CAP. 19. *Prece haud degenere permotus*] Ita scripsimus, ubi ante, *promotus.* Rhenanus.

Laudatque quod gentem Adorsorum, quod suam dexteram petendæ veniæ delegerit] Libenter hic legerim contra vulgatas editiones omnes simul et scriptum exemplar: *Laudatque gen-*

tem Adorsorum, quod suam dexteram petendæ veniæ delegerit. Nam hic indubie *suam* dixit pro *ejus*, ut et l. xv. 'Quod clam ad omen ac dolum sui exitii verteret:' sic enim ibi nobis legendum videri indicabimus. Et l. II. Hist. de Nerone: 'Sed sua immanitas, sua luxuria cervicibus publicis depulere.' Quomodo Cicero quoque loquitur et autores alii. *Rhenanus.*

Sibi et Claudio, etiam communionem victoriæ esse] Expressi lectionem Florentini, cui et Venetus consonat. Vulgo, *ex communione victoriæ.* Pichena.

Quoties ignoscendo transigentur] Scripsimus, *transigatur:* id accipiendum impersonaliter. *Rhenanus.* Ven. *transigantur.* Sed nihil muto. *Pichena.* Adeo meliorem esse lectionem contendo *transigantur* (nempe bella) ut alteram ne tolerari quidem posse putem, ut sensus corrupti ream: si enim *transigere* absolute ponas, de conventione quadam utriusque partis consensu inita intelligas, quod hic non potes. *Transigere* autem bellum, est perficere, quomodo 'transigere negotia,' III. 33. German. 22. *Freinshemius.* Mihi vero multo potius *transigatur*, in quo intelligo, *res, controversia, id quod bello quæritur.* Sic. l. III. Histor. 'Affuit ut sæpe alias, fortuna populi Romani, quæ Mucianum viresque orientis illuc tulit; et quod Cremonæ interim transegimus.' Annon hic quoque verbum absolute ponitur? Numquid autem conventio utriusque partis consensu inita accipienda est? Non secus in Agricola: 'Transigite cum expeditionibus: imponite quinquaginta annis magnum diem.' *Gronovius.*

CAP. 20. *Atque Claudius quamquam*] Videtur vel delenda copula, *que*, vel legendum: *At Q. Claudius, &c.* Ursinus. Sed quis scripsit Claudio fuisse prænomen *Quinto?* Gronovius.

Ad hæc reges feroces] *Ad hoc* reposuimus, usurpatum a Livio Sallustioque. Sic infra: 'Ad hoc gentium ductores circumire, hortari, firmare animos.' Item, *his permotus*, non *promotus.* Rhenanus.

Cui inopi, quanto longiorem vitam] Flor. *quin inopi*, quod vulgatæ lectioni non antefero. Fortasse scriptum erat *quoi* antiquo more, quod parum attentis librariis erroris causam sæpe dedit. Sic lib. seq. ubi legitur, 'cui per nuptias Antoniæ gener erat:' veteres male habent, *qui per nuptias.* Pichena.

Meritum quidem novissima exempla Mithradatem] Sic l. v. 'quamquam adversus sontes, et novissima meritos:' id est, mortem, omnium humanarum rerum novissimam, quam lib. eodem dixit 'necessitatem ultimam.' Suetonius, et Livius, 'ultimam pœnam.' Apul. 'extremam pœnam.' I. C. in L. 21. Dig. de pœnis: 'Ultimum supplicium, mortem solam interpretamur.' *Pichena.*

Quanta pervicacia in hostem] A M. Antonio Mureto est, qui ingeniose veram lectionem pervidit. Nam vulgo erat, *quantalibet pertinacia in hoc tentata. Pervicacia* autem in Vatic. scriptum. *Lipsius.*

Quantalibet pervicacia in hoc tentata] Quid si legatur, *in nos tentata?* Rhenanus. Beato magis placet, *in nos tentata:* ego subscribo. *Vertranius.* Muretus, *verum ita majoribus placitum, quanta pervicacia in hostem, tanta beneficentia adversus supplices utendum.* Eruditissimus vir pedibus it in ejus sententiam. Quam vellem ut ab his supersedissent, vocemque indignam populo Rom. ei se attribuere pepercissent. Tacit. Ann. l. XII. 'ac præcipua Silurum pervicacia, quos accedebat:' pervicax ideo hæc gens, quod jam victa ab Ostorio minore militum numero, et loco Romanis iniquo, nihilo secius bellum redintegrabat: aptius autem id verbi cadit in Mithradatem, qui non semel a Romanis victus bellum reparavit: 'nec fuit in arduo societas potentiam Romanam adversus rebellem Mithradatem ostentantibus.' Ac verbum *tentatum* de

ea re dicimus, cujus jam periculum fecimus. Liv. l. I. ‘ratus tentari potentiam, et tentatam contemni.’ Noster l. v. Hist. ‘sic prævecti tentato telorum jactu dirimuntur.’ His percursis, dicimus Claudium ita respondisse Eunoni pro Mithradate intercedenti: animus ferebat, vis aderat ulciscendi Mithradatem; sed clementia majorum qua supplicibus sine fine indulgebant (licet expertus ego sæpe sim, quam is fuerit animi ad rebellandum obstinati) me ab incepto continet et avertit. Vel simplicius: sequar tamen majores, qui quantamvis pervicaciam deprehenderint in hoc: id est in ignoscendo, supplices tamen venia semper impertiebantur. *Salinerius.* Hic quoque non potuit non nugari vir optimus, cum meras nugas defendendas susciperet. Sive simplicius, sive duplicius tractatis verbis istis nihil sani sensus est. At *pervicacia in hostem* propria laus, &c. * *Gronovius.*

CAP. 21. *Per Junium Cilonem procuratorem Ponti*] Emendavit ex historia Lipsius. Vulgo, *Colonem.* Pichena.

CAP. 22. *Memmio quondam Regulo*] Vide Sueton. in Caio, c. 25. itemque Dionem. Statim vox *Nuptiis* abest Farnes. codici: et illæsa sententia potest. *Lipsius.*

Et materiam sceleri detrahendam] Scripsimus, *materiem.* Sic l. II. ‘Si foret adhuc bellandum, relinqueret materiem Drusi fratris gloriæ.’ Lib. III. ‘Præbuit juveni materiem adipiscendi favoris.’ Lib. v. ‘Et materies criminandi.’ *Rhenanus.*

Ita quinquagies sestertium, &c.] *Ita* non hic congruit. Scripserim *At*, vel delerim potius, ex literis prioris vocis natum. *Acidalius.*

CAP. 23. *Salutis augurium*] Breves notas scribenti longius esset æquo transferre in hunc locum, quæ de eo divinationis genere prodidit Dio lib. XXXVII. Satis sit auctorem indicasse. *Vertranius.*

CAP. 24. *Regum in eo ambitio*] Consule Onufrium in urbe Roma. *Lipsius.*

Mox ad Curias veteres] Scripsimus, *in Curias veteres.* Rhenanus. Studiosorum causa notatum voluimus, fuisse Romæ Curias Veteres et Novas. In veteribus Pontifices sacra faciebant, in Novis Senatus habebatur. Arbitrabatur Martianus, vir in Romana antiquitate investiganda multum versatus, Novas fuisse, et Veteres appellatas, ratione aliarum, quæ post longo tempore fuerunt ædificatæ. *Lupanus.*

Et publicis actis perscriptum] Ita scribendum; non, *præscriptum.* Ursinus. Lege, *perscriptum.* Etiam Muretus notavit. *Acidalius.*

CAP. 25. *Ac notant periti*] Immo ipsemet, quasi parum reprehenderetur, identidem evulgavit, si vere Tranquillus in eodem Claudio 39. *Vertranius.*

Atta Clauso] Secuti sumus spectatæ fidei codicem Vat. qui disertim habet *Atto Cluso.* Superius tamen aliena manu I. addito, ut fieret, Attio. Ut mirer Jurisconsultum Vertranium scribere duos Vat. *Accio Clauso,* referre. Sed ille quidem nobis imposuit: ego si fallo, tum mihi quivis oculos *Istos, suppositis eruito manibus.* Facit a Vatic. in eadem bibliotheca, &c. * *Lips.*

Eosque ab Atto Clauso continuos duravisse] Ita Flor. et concordat Vat. ut ait Lipsius. Vulgo, *ab Atta Clauso.* Notavi etiam l. IV. *Pichena.*

CAP. 26. *Quæsitiore in Domitium adulatione*] Restitui Tacito suum verbum, Florentino prælucente, in quo legitur, *quæstiore,* cui suppositum fuit: *exquisitiore,* et est phrasis illi usitata. Lib. II. &c. * *Pichena.*

Rogata lex, qua in familiam Claudiam et nomen Neronis transiret] Eum *adoptionis* morem attingit, quæ *per arrogationem* fiebat: de qua etiam Gellius. Cæterum et *nomen* hic pro gentili familia accipitur. Cintius, et Cicero in Topicis, ‘Gentiles,’ inquit, ‘mihi sunt, qui eodem nomine vocantur.’ Valer. Maximus auctor est, ‘a Q. Me-

tello ejusdem nominis viros exhæredatos:' hoc est, agnatos gentilesque suos: ut inde existimem; in tribus Romanis nominibus, ut C. Julius Cæsar, nomen Julii familiam significare. Quo exemplo mihi nomen erit, *Alciatus; Andreas* magis cognomini quadrabit, quam prænomini, licet nemo non contrarium opinaretur. Sed alias latius. *Alciatus.*

Desolatus paulatim] *Desolare*, est tamquam de solo dejicere. Virgil. 'Vidimus ingentes et desolavimus agros.' *Desolatus* ergo dejectus est, et demissus. Tacitus lib. XVI. 'Viduata desolataque.' *Ferretus.* Immo ad solitudinem et vastitatem redigere. Vide IV. Observ. 21. *Gronovius.*

Per intempestiva novercæ officia] Eruditissimus vir ad servos refert, qui ab Agrippina ad alia officia vocabantur. Videat lector. Ego dicerem Agrippinam amovisse a privigno plerosque familiarium liberos et servos, quo ex comitatu Neronis et Britannici, populus 'fortunam utriusque præsumeret:' et quo privignus non haberet, unde præceptis sive monitis imbueretur. Hæc de domesticis: idem de iis, qui foris ejus sortem querebantur. 'Simulque qui centurionum tribunorumque sortem Britannici miserabantur, remoti fictis de causis, et alii per speciem honoris etiam libertorum si quis incorrupta fide depellitur.' Eadem ergo ratio removendi domesticos, et extraneos: sed non idem prætextus. De extraneis clarum, non itidem de domesticis: nam per *intempestiva novercæ officia* quo pacto quis animo defæcato interpretetur de servis ad alia officia vocatis? Mihi placet, Agrippinam prætendisse caritatem: hoc est, Britannico (quem penes se in Gynæceo vellet) familiares ut minime necessarios abstulisse. Id vero intempestivum est, quia jam ætas Britannici excesserat e magisterio feminarum: qui ad hoc loci undecim annos jam natus erat. Si enim anno 806. ab U. C. Nero sedecim annorum; (' D. Junio, Q. Haterio coss. sedecim annos natus Nero') majorque biennio quam Britannicus; (' his evictus biennio majorem natu Domitium filio anteponit') necessum est Britannicum C. Antistio et M. Suilio Coss. (quibus ea ab Agrippina curabantur) annum jam decimum primum attigisse. *Salinerius.*

In ludibria vertebat] Et hic usurpat absolute *verto*, quemadmodum supra annotavimus. *Rhenanus.*

Intelligens falli se] Sincerior lectio, *Intelligens falsi.* Gaudet autem hujusmodi constructionibus cum genitivo Tacitus. *Rhenanus.*

Sive verum, seu periculis commendatus] In Budensi volumine legitur eodem modo, nisi quod illic est, *sive periculis.* Conjicio scribendum priori particula *sive* expuncta, *Verum sine periculis commendatus, retinuit famam sine experimento.* Rhenanus. Beatus priorem particulam, *sive*, expungit, et legit *verum sine peric.* Ego priore expuncta, nihil muto: neque vere dici potest sine periculis Britannicum habitum non segnem, cui tot noverca tenderet dolos. Scribendum igitur, *ferunt, verum seu periculis commendatus, &c.* quasi pericula non segnis indolis fecerint fidem. *Vertranius.*

CAP. 27. *Adventu Cattorum latrocinia agitantium*] Muret. *Caucorum.* Acidalius.

Deinde L. Pomponius legatus] Parum certe cohærens narratio, quod recte Lipsio animadversum. Nec tamen putem ea deesse, quæ censuit ipse. Quin satis integer locus fore videtur, si *proinde* legas. *Acidalius.*

Addito equite alario monuit] Codex regius habet, *monitos.* Opinor scribendum: *addit, equite alario monito.* Rhenanus.

Vel dilapsis improvisi circumfunderentur] Sic Flor. Vulgo, *delapsis.* Pichena. Hic quoque scribe *dilapsis*, in qua voce sæpe erratum. Hic Mur. etiam notaverat. *Acidalius.*

Quadragesimum post annum servitio

exemerant] Transpositiones hujusmodi Tacitus amat. Hanc ergo ex Flor. hic reposui. Vulgo, *post quadragesimum annum.* Pichena.

CAP. 29. *Diuturnitate in superbiam mutans*] Comprobatur hæc Lipsii correctio a Flor. Vulgo, *diuturnitatem.* Pichena.

Auctores fuere Jubillius Hermundurorum rex] Muretus notat ex veteribus libris *Vibellius.* Acidalius.

Scripsitque P. Atellio Histro] Concordant in hoc nomine Vat. et noster. Vulgati vero, *P. Attilio.* At Lipsius ex antiquo lapide suspicatur verum ei nomen fuisse: *Palpelio Histro.* Pichena.

Pannoniæ præsidebat] Quidam scripti, *Pannoniam:* nec raro ita noster. Lib. IV. 'Galliæ litus rostratæ naves præsidebant.' Iterumque: 'Litora oceani præsidebat.' *Lipsius.*

Qui Pannoniam præsidebant] Vulgo, *Pannoniæ.* Mutavi ex Flor. et dixi etiam alibi. *Pichena.*

CAP. 30. *Quia Ligius Hermundurusque illic ingruerant*] Correximus, *ingruebant.* Item *Capessit.* Infra c. 31. 'aditu angusto.' *Rhenanus.* Consentientibus Florent. et Venet. scripsi *ingruerant*, pro, *ingruebant*, ut in vulgatis. *Pichena.*

Inter se partivere] Ex iisdem libris reposui, *partivere.* Alii, *partiti sunt.* Pichena. Ex vetere formula loquendi. Plautus in Amph. 'Vos inter vos partite: ego abeo, negotium est.' Et in Asinar. 'Prædam cum illis partiam.' *Aurelius.*

Egregia adversus nos fide] Restituit prius ex Vat. Lipsius: addo ego Florentini consensum. Male vulgo, *apud nos.* Pichena.

Dum adipiscerentur dominationes] Scio, *dominationes*, numero plurium recte dici. Tac. initio l. XIII. 'dominationibus aliis fastiditus.' Mallem tamen, *dominationem*, ut monui etiam l. VI. in verb. 'nihil abnuentem, dum dominationis apisceretur.' *Pichena.*

CAP. 31. *P. Ostorium proprætorem*] Flor. *proprætore.* Vide quæ supra notavi ad l. II. c. 66. et III. 32. *Pichena.*

Cinctosque castris Antonam et Sabranam fluvios] Invenio inter Britannos 'Sabrianum æstuarium et ostia fluminis Trisantonis.' Ptolem. l. II. Quæ nomina non valde abhorrent ab *Antona* neque a *Sabrina.* Tò *cohibere*, de altitudine nostro dicitur: *cohibita domuum altitudine.* Quis igitur vetat, ne etiam de latitudine dicatur? Ostorius uti dubios profligatis hostibus in fide retineret, eos jubet arma tradere, et fluvios Antonam Sabrinam in rivos extenuare parat: idque faciebat, quod fiducia fluminum sæpius homines rebellent, vel minus certe victoribus concedant. Hinc Darius quo deterreret Alexandrum. Curt. l. IV. 'Transeundum esse Alexandro Euphratem Tigrimque et Araxem et Hydaspem, magna munimenta regni sui.' Cæterum flumen Sicoris eodem modo rivis cohibetur. *Salinerius.* Florentinus: *cunctaque castris.* Alii, ut testatur Lipsius, *cunctisque:* hinc mihi levis quædam divinatio, *cunctosque ultra Antonam.* Pichena. Varie hic Lipsius, ad extremum, ut notaverat et Muretus: *cinctosque castris, Antona et Sabrina fluviis cohibere parat;* quasi hostem partim castris, partim fluminibus cingere voluerit ad prohibendam populationem. Nihil enim hoc meo judicio; vera lectio, et ex ea facillimus sensus, mutata voce *castris*, in *claustris;* ut fluvios ipsos claustra vocet. Et quid si pro *cinctos*, legas etiam *excinctos*, i. armis exutos, spoliatos: quod pulcherrime cum præcedentibus conveniat. Lege igitur, *Detrahere arma suspectis, excinctosque claustris Antona et Sabrina fluviis cohibere parat. Excingendi* verbum Silius Italicus l. XV. in eundem sensum, ut quidem vult Scaliger ad Catullum. Nam ego non viso integro loco, verba ista nondum plane scio an sic capienda: 'apparent mœnia Grajo Condita Massiliæ populis excincta superbis Barbarus immani

quæ territat accola ritu.' *Acidalius.*

Valida gens nec prœliis contusi] Sic in Florentino recte, *contusi*, et etiam in aliis Manuscriptis, Lipsio teste: tamen repositum fuerat, *concussa.* Pichena.

Turmas quoque peditum] Ego scio numquam turmas peditum dici; quod tamen libri omnes præ se ferunt. Possit legi, *Turmas, quodque peditum.* Addo Pichenam distinctione expedire, *Turmas quoque, peditum ad munia accingit:* id est, turmas equitum (qui immunes) jubet peditum officia fungi. *Lipsius.*

Turmas quoque, peditum ad munia accingit] Constanti librorum omnium consensu hæc lectio confirmatur. Sed quoniam nulla in eis distinctio, videbaturque non bene, *turmas peditum,* dici; ideo Lipsius emendavit; *turmas quoque equitum.* Ego distinctione apposita, vocem, *peditum* textui reddidi, sensumque optimum expedivi. Ait enim: Cum exiguum peditatum, &c. * *Pichena.*

Cap. 32. *Et ductus in Cangos exercitus*] Cum Flor. et Vat. habeant; *inde Cangos;* suspicor legendum, *inde in Cangos.* Pichena.

Jamque ventum haud procul mari] Vulgo, *Jam ventum:* addidi copulam ex Flor. *Pichena.*

Qui arma cœptabant] Forte, *cœptarant:* ut auctores rebellionis capias. *Acidalius.*

Silurum gens] Ita correximus. Nam quidam *Silurum* verterat in *Sylvarum:* alius addidit R, et fecit *Sylurarum.* Rhenanus.

Imbuendis sociis ad officia legum] Olim monui legendum esse, *ad officia legionum.* Et hoc vult Tacitus, idque institutum fuit Romanorum. *Boxhornius.*

Cap. 33. *Sed tum astu, tum locorum fraude prior*] Vel *sed astu tum locorum fraude prior,* quod æqui bonique facio. *Astus,* qui alias dicitur *furta belli,* est pars præcipua bellandi: Hom. A. ἢ ὁδὸν ἐλθέμεναι, ἢ ἀνδράσιν ἶφι μάχεσθαι. 1. Vel ad insidias ire vel fortiter adversus viros pugnare. Et Οὔτε λόχον δ' ἰέναι σὺν ἀριστήεσσιν Ἀχαιῶν: i. neque ad insidias ire cum optimis Græcorum. *Fraus locorum* peritia locorum, Virg. l. IX. ' quem jam manus omnis Fraude loci, et noctis subito turbante tumultu Oppressum rapit.' Agitur de Euryalo oppresso ab equitibus locorum gnaris: ' Objiciunt equites sese ad divortia nota.' Qua de re Caractacus his fretus, transfert bellum in Ordovicas, ubi utrisque locus esset. Eruditissimus vir in sec. cur. ex his composuit *actutum,* nefas ratus Britannum melius τὰ στρατηγήματα callere, quam Ducem Romanum. Verum quisnam Caractacus iste? princeps inter Siluras, qui ab Hispanis gente astutissima originem ducunt. Tac. in Agric. ' Silurum colorati vultus, et torti plerumque crines, et positu, contra Hispaniam Iberos veteres trajecisse, easque sedes occupasse fidem faciunt.' Et is, super vim originis, quæ durat, ' proximi Gallis et similes sunt durante vi originis:' per prospera et per adversa multum profecerat. ' Caractaci viribus confisos, quem multa ambigua, multa prospera extulerant, ut cæteros Britannorum imperatores præmineret.' *Salinerius.* * Paneg. ad Maximianum: ' Sed neque illæ fraudes locorum, nec quæ plura inerant perfugia silvarum, barbaros tegere potuerunt.' *Pichena.* Malim, *locorumque.* Illud, *que,* abstulit sequens litera f. In libris enim antiquis *que* contracte scribitur converso f. estque quasi q. *Boxhornius.*

Ordovicas] Ita correximus pro *Ordolucas.* Britanniæ populus est. *Rhenanus.*

Qui pacem nostram] Libri aliquot editionum veterum, *pacem in iram.* Ego legerim, *pacem an iram nostram.* Duplex scilicet stimulus capiendi arma in Romanos: sive quod pacem et servitutem multi timerent, sive